401

Ms – 5/7

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
20 — L
34

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

4 13
B E
27 10

Digitized by Google

Digitized by Google

# S. ASTERII
## EPISCOPI AMASEÆ
# HOMILIAE

Græcè & Latinè nunc primùm editæ
PHILIPPO RVBENIO interprete.

EIVSDEM RVBENI
Carmina, Orationes, & Epiſtolæ ſelectiores:
itemque AMICORVM in vitâ functum Pietas.




ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Viduam & Filios Ioannis Moreti.
CIↃ. IↃC. XV.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILIBVS ET CLARISSIMIS

# CONSVLIBVS

# SENATVI

# POPVLOQVE

## ANTVERPIENSI

IOANNES BRANTIVS

S.

QVo loco PHILIPPVS RVBENIVS apud vos fuerit, VIRI NOBILES & PRVDENTES, eſſe hominem, qui ignoret, arbitror neminem, niſi cui fortaſſe ignota veſtra in eum ampliſſima promerita. Quæ ne ſingula enumerem, illud vnum ſufficiat, quòd nomine tantùm & famâ notum, Romà, vbi Illuſt^mo^ Cardinali COLVMNÆ ab Epiſtolis & Bibliothecâ erat, euocaſtis, & vobis à Secretis eſſe voluiſtis. Quo in munere ita ſe geſſit, vt accepiſſe ab eo beneficium vi-



Digitized by Google

deremini, non dediſſe; & ô vtinam fungi eo diutiùs, quibúſque ſe in perpetuum firmiter dedicauerat, iis ſe probare quotidie magis magiſque potuiſſet! Sed longè illi aliter viſum, qui res humanas nutu atque arbitrio ſuo gubernat: mors enim interuenit, & virum omni liberali doctrinâ politiſsimum, nimis, eheu! immaturè de medio ſuſtulit. Quod triſte fatum publicè vos & priuatim percuſſit: quippe cuius iam ſatis ſpectata vobis erat in grauibus ſeriíſque negotiis tecta fides, patens religio, prudentia libera, verecundia liberalis. Quibus artibus ſic etiam vulgo ſe conciliauerat, vt in vniuerſorum animos quaſi influeret. Itaque euenit illi quod Plato glorioſum duxit, ἐν εὐφημίᾳ τελευτᾶν. Quamquam ſi rectâ rem reputemus viâ, tanti viri mortalitas magis finita, quàm vita eſt; qui è memoriâ hominum numquam abibit, ſuâ ſibi virtute ſcriptiſque ſuperuiuens & poſtumus. Nam cùm viuere non poſſe, niſi in litteris viueret, ſæpè cum M. Tullio profiteretur, ſi quid de forenſi labore temporis datum eſſet, abdere ſe in bibliothecam ſolitus, ſummâ ope nitebatur, ne vitam ſilentio tranſiret, vt multi mortalium, qui perinde ac ſcenica ſatellitia ſilentes hiantéſque præteruehuntur. Teſtantur hoc ELECTORVM libri, annis abhinc aliquot

editi:

Digitized by Google

editi: in quibus Doctoris ſui IVSTI LIPSI exemplo, veterum ritus pleriſque etiam doctorum ignoratos expreſſit, & ſcriptorum loca varia partim illuſtrauit, partim correxit. Teſtantur & in præſens ſancti ASTERI Amaſeæ Epiſcopi Homiliæ quinque, quas, vt in vtriuſque linguæ facultate par erat, ex Græcis Latinas fecit, ita accuratè, vt nihil poſſet ſuprà. Cúmq; neſciret quibus officiis veſtra illa beneficia remuneraretur, & ſuâ intereſſe putaret publico aliquo teſtimonio memorem gratúmque exiſtimari, vobis lucubrationes ſuas, ſi vita ſuppeditauiſſet, cōſecrare deſtinauerat. Sed quoniam hanc facultatem nec opinatus & improuiſus caſus Philippo noſtro eripuit, petenti Petro-Paullo genero meo, vt fratris vicem hîc fungerer, negare non potui; præſertim cùm arcta quæ mihi σὺν τῷ μακαρίτῃ interceſſit neceſſitudo, huiuſce officij neceſſitatem quamdam imponere videretur. Nam præter affinitatem (ſiquidem duarum ſororum viri eramus) & ſtudia inſuper paria, non mediocre vinculum attulit ad voluntates noſtras conglutinandas Collegij coniunctio. Vt non poſſim non dolere grauiter, amico amiſſo, cuius vſum & ſuauitatem nunc demum deſiderando ſentio. A quo tamen dolore, ne mentiar, auocor interdum, & quodammodò ab-

ducor, cùm leniendi & ſanandi animi cauſsâ doctiſſimi hominis ſcripta in manus ſumo. Hic abſens abſentem audire, hic coràm inuicem loqui, denique ſpeciem aliquam quaſi reuiuiſcentis videre videor. Neque vobis, vt rationem ineo, aliter videbitur, ſi tanti eſt, ASTERIVM eius ore Latinè loquentem ἐπὶ χολῆς perlegere. Quem hac fini illius nomine, imò voluntate (ſi in mortuis hic ſenſus aut cura reſidet) clariſſimo Nomini veſtro inſcribimus: haud ignari illorum in primis laudandam eſſe fidem atque humanitatem, qui amicos etiam poſt mortem diligunt; neque hoc præcipuum munus ſuum arbitrantur proſequi illos ignauo queſtu, ſed quæ voluerint, meminiſſe; quæ mandauerint, exequi. Quamobrem vos VIRI NOBILES & PRVDENTES, etiam atque etiam rogo, vt qui PHILIPPVM RVBENIVM olim viuentem propter ſummum eius ingenium, ſuauiſſimos mores, animi vitæque candorem, vnicè dilexiſtis, ab eo nunc ASTERIVM, ceu tabulam χαριστήριον in veſtro Muſarum ſacrario appenſam, æquis oculis aſpicere dignemini, beneficiorum, quibus eum vobis reddidiſtis obnoxium, apud poſteros etiam qualecumque monumentum. Tum alterum Philippum poſtumum eius filium, eius inquam oris atque indolis effigiem,

giem, grauiſſimi viri HENRICI DE MOY (cuius memoria vobis ſacroſancta eſt) ex filiâ nepotem, ad aui patriſque laudes ſuccreſcentem, in ſinu fouere, & tutores eſſe, cúmque ætas & res ferent, etiam producere velitis. Ita vobis, & per vos Reipublicæ, proſpera omnia contingant.



Digitized by Google

# AD LECTOREM.

ASTERIOS *duos fuiſſe comperio, vnum Arianæ ſectæ, apud beatum Hieronymum in Catalogo Eccleſiaſticorum Scriptorum, Socratem libro* I. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.* XXXVI. *& Sozomenum libro* II. *cap.* XXXIII. *Alterum hunc noſtrum Amaſeæ Epiſcopum, quem Iuliani* σύγχρονον, *aut eius ætati ſupparem fuiſſe ex Homiliâ* III. *liquidò conſtat. Nam* παραβάσεως *eius vt rei nuperæ mentionem facit, déque amentibus illis, qui gratiæ Principis ſalutem ſuam gratificantes, illius exemplo nefariè Chriſti Domini cultum eiurarunt, eóque vitâ functo, ludibrio & deſpectui bonis omnibus fuère, tamquam* αὐτόπτης *& oculatus teſtis ſcribit. Pauca admodum huius ad nos ſcripta peruenerunt. Quid enim præter Orationem in B. Phocam apud Simeonem Metaphraſten, & in Martyres Homiliam, atque apud Photium CP. excerpta decem Homiliarum, itémque in Catenâ Græcorum Patrum in Lucam, viſum cuiquam aut lectum? Vnius in diuitem epulonem & Lazarum Homiliæ Synodus Nicæna* II. *Actione* VI. *meminit, ſed meminit tantùm.* PHILIPPVS RVBENIVS *(cuius immaturo interitu damnum hæ litteræ fecerunt) & illam & alias quatuor* ἀνεκ-

δότους

Digitized by Google

δότως *ex Bibliothecâ Illuſtriſsimi* ASCANII *Cardinalis* COLVMNÆ, *cui tum præfuit, ſecum Româ attulit, quâque erat ingenij felicitate, Latinè vertit; cùm ſciret, vt nunc ſunt hominum iudicia, ſi quis Græca dat, nec Latina addat, nec illa quidem dediſſe videri. Quare qui* φιλέλληνες *ſumus, aut haberi volumus, per illi multum meritò debemus, & nobiſcum interiores litteræ, cuius beneficio hic nobis Scriptor obuenit non minùs venuſtus, doctus, elegans, quàm pius, & ipsâ antiquitate venerandus. Non equidem cenſendi munus mihi ſumo qui Cenſuram non gero, ſed hoc ſedulò aſſeuerare poſſum,* P. Andreæ Schotto, Petro Pantino, Theodoro Cantero *(quibus quantíſque viris!) placuiſſe plurimùm; & quiſquis peritus arbiter eſt rerum & ingeniorum, haud aliter ſentiet. Sed nec ignotum cuiquam, quod eſt Græcis hominibus in prouerbio:* Τῆς λανθανούσης μουσικῆς οὐδεὶς λόγος: Occultæ muſicæ nullus reſpectus. *quinetiam, vt Symmachi verbis vtar,* quodam pacto ſocietatem laudis affectare creditur, qui aliena benè dicta primus enuntiat. *Vnde & nos gratiam à ſtudioſis pijſq; hominibus nonnullam inituros ſperamus, cùm ea ad communem fructum è tenebris & caligine in lucem aſpectúmque educimus, quæ ignorata hactenus, penè noſtrâ nunc operâ ceu* νεογενῆ, *certè* παλιγγενῆ *cenſeri debent, eóque eſſe gratiora, quòd neque ſpes vlla, neque exſpectatio, vt ſic loquar, ea deflorauit.* μᾶλλον

γὰρ

γὰρ ἐπὶ πάντων κεχαρισμένον αὐτοῖς ἐστι τὸ παρὰ λόγον συμβὰν ἀγαθὸν τῶν εἰκότως καὶ προσηκόντως γιγνομένων, *ait epiſtolâ ad Timotheum Iſocrates.* Quidquid enim boni mortalibus præter exſpectationem offertur, id omnibus in rebus longè gratius eſt, quàm ea quæ vſitatâ & legitimâ ratione contingunt. *Vale beniuole Lector.*

AD

# AD
# CLARISS. VIRVM
# PHILIPPVM RVBENIVM I. C.
## S. P. Q. ANTVERP. A SECRETIS
## Hendecaſyllabon.

RVBENI *Latiæ decus Camœnæ,*
*Et Graiæ decus inclytum Camœnæ,*
*Cui Phœbus pater, & nepos Atlantis,*
*Linguam contulit hic, at ille mentem.*
*Heu! dum te properante Parca fato*
*(O diram nimis, inuidamque Parcam!)*
*Cælo reſtituit, tuúmque iuſſit*
*Inuiſis tenebris perire nomen:*
*Tu, quæ poſteritas ſtupeſcat omnis,*
*Depromis* * *monimenta cultiora,*
*Queis ſtylo facili & pereleganti*
*Dàs lucem ſolito benigniorem.*
*Et quod tegmine condidit Pelaſgo*
*Præſul* ASTERIVS, *politiore*
*Pandis eloquio, & facis reſurgat*
*Poſt tot ſecula, quem premit vetuſtas.*
*Hinc te dedita Palladi Iuuentus,*
*Hinc te dedita Palladi Senectus*
*Grato carmine concinet; tuúmque*
*Nos, quos iunxit amor tibi tuiſque,*
*Dum tardat Lacheſis ſecare filum,*
*Digno nomen honore proſequemur,*
RVBENI *Latiæ decus Camœnæ,*
*Et Graiæ decus inclytum Camœnæ.*

* Electa nuper edita.

Amico B. M. L. M. accinuit
L. Beyerlinck Canonicus Antuerp.

# INDEX HOMILIARVM
## S. ASTERII.

I. in locum Euangelij ſecundùm Lucam, De Diuite & Lazaro. *Pag.* 1.
II. in locum Euangelij ſecundùm Lucam, De Oeconomo iniquitatis. *Pag.* 17.
III. aduerſus Auaritiam. *Pag.* 31.
IV. in feſtum Kalendarum. *Pag.* 51.
V. in locum Euangelij ſecundùm Matthæum, An liceat homini dimittere vxorem quacumque ex cauſsâ. *Pag.* 61.

Digitized by Google

Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν

# ΑΣΤΕΡΙΟΥ

ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΑΜΑΣΕΙΑΣ

## ΟΜΙΛΙΑ

εἰς τὸ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγέλιον,
εἰς τὸν Πλούσιον καὶ εἰς τὸν Λάζαρον.

Οὐ τοῖς ἀποφατικοῖς καὶ δογματικοῖς μόνον θεσπίσμασιν ὁ Θεὸς ἡμῶν καὶ Σωτὴρ παιδεύει τοὺς ἀνθρώπους, ὥς τε μισεῖν κακίαν καὶ ἀγαπᾶν ἀρετήν· ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐναργέσι τῶν ὑποδειγμάτων, σαφῆ παραδίδωσι τὰ τῆς ἀγαθῆς πολιτείας μαθήματα, ἔργοις ὁμοῦ καὶ λόγοις προσβιβάζων ἡμᾶς τῇ καταλήψει τῆς ἀγαθῆς καὶ φιλοθέου ζωῆς. οὕτω τοι καὶ νῦν πολλαχοῦ προειρηκὼς ἡμῖν, διά τε προφητικῶν καὶ εὐαγγελικῶν στομάτων οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ διὰ οἰκείας φωνῆς, ἀποστρέφεσθαι μὲν τὸν ὑπερήφανον καὶ ὑψαύχενα πλοῦτον, ἀγαπᾶν δὲ γνώμην φιλάνθρωπον καὶ τὴν μετὰ δικαιοσύνης πενίαν· ἵνα τὴν τοῦ καλοῦ συμβουλὴν βεβαιοτέραν ἐργάσηται, τεκμηριοῖ τὸν λόγον πρακτικοῖς ὑποδείγμασι, καὶ γράφει τῇ διηγήσει τὸν πλούσιον καὶ τὸν πένητα· καὶ τοῦ μὲν τὴν φιλότιμον ἀπόλαυσιν, τοῦ δὲ τὴν τεθλιμμένην ζωὴν ὑποδείκνυσι, καὶ τὸ τέλος ἀμφοτέρων τοῦ βίου εἰς ὅ τι κατέληξεν, ἵνα τοῖς ἀλλοτρίοις ἐπιτηδεύμασι σκεψάμενοι τὴν ἀλήθειαν, σώφρονες γενώμεθα τῶν ἰδίων βίων κριταί. Ἄνθρωπος

S. P. N.

# ASTERII

EPISCOPI AMASEÆ

## HOMILIA

*In locum Euangelij ſecũdùm Lucam,*
De Diuite & Lazaro.

SALVATOR noſter Deus odium vitiorum ſtudiumq. virtutum non ſolùm vetando præcipiendoque mortalibus ingerit; ſed claris etiam exemplis certam inſtituendæ vitæ diſciplinam tradit, factiſque ſimul & verbis ad eam rectè pieque degendam impellit. Ita hoc loco, quamuis alibi iam ſæpè Prophetarum & Euangeliſtarum ore, ſed & ſuo, declaraſſet, odio ſe habere ſuperbas & elatas opes; gratam autem humanitatem paupertatemque cum iuſtitiâ coniunctam; vt orationi robur ac firmamentum addat, efficacibus vtitur exemplis, diuitemq. & egenum graphicè deſcribit: & illius quidem ambitioſas voluptates, huius autem afflictam ærumnoſamque vitam cum vtriuſque exitu nobis ob oculos ponit; vt aliorum ex inſtituto vitęque genere, de noſtro ipſorum rectè vereq. iudicare poſſimus. *Vir quidam* Lucæ 16. v.19.

*erat diues, & induebatur purpurá ac byſſo.* Hæc oratio duobus,& quidem breuibus verbis eos notat ac traducit, qui nec rectè diuitias habent,& ad inanes immodicoſq. ſumptus abutuntur. Nam & purpuræ color valdè pretioſus eſt,planeque ſuperuacuus; & byſſi item vſus minimè neceſſarius. His autem qui vitam ſectantur moderatam ac frugi,proprium ac familiare eſt, cùm rerum vſum neceſſitate metiri,tum inane vanæ gloriæ ſtudium fallacemq. voluptatem tamquam vitiorum parentem vitare. Sed enim, quò meliùs eorum quæ dicuntur vim ac robur intelligamus, primus veſtimentorum vſus inſpiciendus eſt,quàm latè pateat, & quos ei fines atq. terminos temperantia præſcripſerit. Quid igitur Iuſtitiæ lex ait? Pecudem Deus creauit pelle benè comata ac denſis velleribus: his detonſis tunicam & pallium pertexi tibi cura, quo cùm hiberni frigoris moleſtiam, tum feruentis radij noxam effugias. Quòd ſi leuiore per æſtatem anni veſte eges, vberiorem ad commoditatem vſum lini Deus dedit, vnde tibi decorum in procliui indumentum, quod ſimul & tegat, & leuitate refrigeret. Et his cùm perfrueris, Creatori gratiam habe, quòd non modò nos creauit, verùm etiam tutelæ & præſidiis vitæ proſpexit. Quòd ſi pecoribus & lanâ relictis, neceſ-

ἦν πλούσιος, καὶ ἐνεδιδύσκετο πορφύραν »
καὶ βύσσον. διὰ δύο συντόμων ὀνομά- »
των ὁ λόγος σκώπτει καὶ κωμῳδεῖ τὴν
πλαδῶσαν καὶ ἄμετρον τῶν κακῶς πλου-
τούντων διάχυσιν. τῆς μὲν γὰρ πορφύρας
τὸ χρῶμα πολυδάπανον καὶ περίεργον,
τῆς δὲ βύσσου οὐκ ἀναγκαία ἡ χρῆσις. τῶν
δὲ τὴν εὐπολίτευτον ζωὴν αἱρουμένων καὶ
ἀπερίεργον, οἰκεῖον καὶ φίλον τὸ τῇ χρείᾳ
τῶν ἀναγκαίων τὴν χρῆσιν μετρεῖν, φεύ-
γειν δὲ τῆς ματαίου κενοδοξίας τὸ συρ-
φετὸν καὶ τὴν πλάνον διαγωγήν, ὡς κα-
κίας μητέρα. καὶ ἵνα σαφέστερον αὐτοῦ τοῦ-
του τοῦ λεγομένου τὴν δύναμιν καταμά-
θωμεν, ἡ τῶν ἐνδυμάτων πρώτη διαγνω-
σθήτω χρῆσις, μέχρι πόσου καὶ τίνος πα-
ρεληφθήσεται, οὕροις καὶ κανόσι περιλαμ-
βανομένη σωφροσύνῃ. τί τοίνυν ὁ τοῦ δικαίου
νόμος φησίν; πρόβατον ὁ Θεὸς ἔκτισεν εὔ-
κομον τὴν δορὰν καὶ τοῖς μαλλοῖς εὐθηνού-
μενον· τοῦτο λαβὼν ἀπόκειρον, καὶ δοὺς
ὑφαντικῇ τέχνῃ τὴν ὕλην, χιτῶνα σαυτῷ
καὶ ἱμάτιον κατασκεύασον, ὅπως ἂν δια-
φεύγῃς χειμῶνος ταλαιπωρίαν, καὶ τῆς
ζεούσης ἀκτῖνος τὴν βλάβην. εἰ δέ σοι καὶ
κουφοτέρας ἐσθῆτος χρεία κατὰ τὴν ὥραν
τοῦ θέρους, ἔδωκεν ὁ Θεὸς τοῦ λίνου τὴν χρῆ-
σιν εἰς πλατυτέραν ἀπόλαυσιν· καί σοι
ῥᾷστον ἐκεῖθεν κτήσασθαι σκέπην εὐσχήμο-
να ἀμφιεννῦσαν ὁμοῦ καὶ ἀναψύχουσαν
τῇ κουφότητι. καὶ τούτων ἀπολαύων ὁμο-
λόγει τῷ κτίστῃ τὴν χάριν, ὑπὲρ ὧν οὐκ
ἐποίησεν μόνον ἡμᾶς, ἀλλὰ καὶ τῆς πρὸς
τὸ ζῆν ἀσφαλείας ἐφρόντισεν. ἂν δὲ κα-
ταλιμπάνων τὸ πρόβατον καὶ τὸ ἔριον, καὶ
τὴν

τὴν ἀναγκαίαν τοῦ δημιουργοῦ τῶν ὅλων παρασκευὴν, ταῖς ματαίαις ἐπινοίαις καὶ ταῖς ἐμπλήκτοις ἐπιθυμίαις ἐκδιαιτώμενος, τὴν βύσσον ἐπιζητῇς καὶ συνάγῃς τὰ τῶν Περσικῶν σκωλήκων νήματα, ἱστὸν δὲ ἀράχνης ἀνεμαῖον ὑφαίνῃς· καὶ πρὸς τὸν ἀνθοβάφον ἐρχόμενος, μισθοὺς τελεῖς δαψιλεῖς, ἵνα τὸν κόχλον ἐκ θαλάσσης θηρεύσας, τῷ αἵματι τοῦ ζώου χρίσῃ τὸ ἔνδυμα, τοῦτο ὑπερμαζῶντός ἐστιν ἀνθρώπου, παραχρωμένου τῇ κτήσει, οὐκ ἔχοντος ὅπου τὸ περιττεῦον ἐκχέῃ. καὶ διὰ τοῦτο εἰκότως ὁ τοιοῦτος μαστίζεται, παρὰ τοῦ εὐαγγελίου κατηγορούμενος, ὡς βλὰξ καὶ θηλυδρίας, κόσμοις ἀθλίων κορασίων καλλωπιζόμενος. ἄλλοι πάλιν κατὰ τὴν γνώμην τῆς ὁμοίας ματαιότητος ἐρασταὶ, μᾶλλον δὲ πρὸς τὸ πλέον τὴν κακίαν ἀσκήσαντες, οὐδὲ μέχρι τῶν εἰρημένων ἔστησαν τῆς μωρᾶς ἐπινοίας τοὺς ὅρους, ἀλλά τινα κενὴν ὑφαντικὴν ἐξευρόντες καὶ περίεργον, ἥτις τῇ πλοκῇ τοῦ στήμονος πρὸς τὴν κρόκην τῆς γραφικῆς μιμεῖται τὴν δύναμιν, καὶ πάντων ζώων τοῖς πέπλοις τὰς μορφὰς ἐνσημαίνεται, τὴν ἀνθηρὰν καὶ μυρίοις εἰδώλοις πεποικιλμένην φιλοτεχνοῦσιν ἐσθῆτα, ἑαυτοῖς τε καὶ γυναιξὶ καὶ παισίν· παίζοντες λοιπὸν, οὐ σπουδάζοντες, κατὰ τῆς ἀμετρίας τοῦ πλούτου παραχρώμενοι τῷ βίῳ, οὐ χρώμενοι. ἀντινομοθετοῦντες τῷ Παύλῳ καὶ μαχόμενοι ταῖς θεοπνεύστοις φωναῖς, οὐ γράμμασιν, ἀλλὰ πράγμασιν. ἃ γὰρ ἐκεῖνος ἀπεκήρυξε λόγῳ, ταῦθ' οὗτοι κρατοῦσι καὶ κυροῦσι τοῖς ἔργοις.

ſarioque Creatoris apparatu inſtrumentoque contempto, vanis cogitationibus veſanisq; cupiditatibus in luxum effuſus, & byſſum requiris, & Perſicorum ſtamina vermium colligis, vnde euanida, vt ita dicam, araneæ tela contexatur: ſi prætereà tinctorem ingenti mercede conducis, vt purpuram venatus maritimam eius animalculi ſanguine veſtem inficiat, id verò hominis eſt immodicè laſciuientis, quiq; rebus creatis abutatur, nec habeat vbi pecuniam ſuperfluentem effundat. Eoq; non immeritò talis ab Euangelio vapulat ac reprehenditur, tãquam mollis & effeminatus, cultumq; & ornamenta miſerarum puellularum mutuatus. Alij item reperiuntur ſimilis amantes vanitatis, magíſque etiam & pleniùs vitia exercentes, qui ne hîc quidem ſtultæ ſollertiæ fines conſtituerunt, ſed inani quodam & ſuperuacuo commento, quod artem pictoriam per ſtamen atque ſubtegmen imitatur, omniumq; formas animalium in veſtibus exprimit, florida ac ſexcentis variegata figuris veſtiméta tum ſibi tum vxoribus ac liberis comparant. Qui ipſi ludunt etiam alibi, nil vſquam ſedulò vel ſeriò facientes; ſed per immodicas opes abutentes vitâ, non vtentes, ipſiq; Paulo & diuinis vocibus, non dictis, ſed factis aduerſantes. Nam quæ 1. Tim. 2. v. 9. & 10.
ille verbis proſcripſit, hæc iſti mordicus retinent, & ipſâ re faciunt rata.

Quandocumque igitur in publicum prodeunt, quaſi depicti parietes ab obuiis aſpiciuntur. Quin etiam pueri circumſtant, ridentes inter ſeſe, digitiſque picturam in veſtibus commonſtrantes; & ad multum ſpatij proſequuntur, nec niſi ægrè recedere & auelli poſſunt. Videre eſt illic leones, pantheras, vrſos, tauros, canes, ſiluas, ſaxa ac venatores, & omnia denique, circa quæ pictorum induſtria naturæ æmula verſatur. Neceſſe videlicet erat, vt videtur, parietes non ſolùm atque domos exornari ac depingi; verùm etiam tunicas & pallia iis ſuperiecta. Qui autem quæve de diuitibus illis religioſiores, argumenta textoribus ex hiſtoriâ Euangelicâ collecta ſubminiſtrant: ipſum inquam Chriſtum noſtrum cum Diſcipulis omnibus, ac miracula quæque quemadmodum ibi narrantur. Videbis nuptias Galilęæ & hydrias; paralyticum lectum baiulantem; cæcum qui luto curatur; mulierem quæ ſanguinis proluuio laborabat, fimbriam prehẽdentem; peccatricem ad pedes Ieſu accidentem, ac Lazarum è ſepulcro rediuiuum. & hæc dum faciunt, piè ſeſe facere, & veſtimenta Deo grata induere arbitrantur. At me quidem ſi audiant, iſtis diuenditis, viuas Dei imagines colant. Chriſtum ne pinge (ſatis enim illi quòd ſemel ad corpoream naturam aſſumendam cauſâ ſe noſtrâ ſpon-

ὅτ' ἂν οὖν ἐνδυσάμενοι φανῶσι, ὡς τοῖχοι γεγραμμένοι παρὰ τῶν συντυγχανόντων ὁρῶνται. καί που καὶ τὰ παιδία αὐτοῖς περιΐστανται, μειδιῶντα πρὸς ἄλληλα καὶ δακτυλοδεικτοῦντα τὴν ἐν τοῖς ἱματίοις γραφήν· βαδίζουσι δὲ παρεπόμενα, οὐκ ἀναχωροῦντα μέχρι πολλοῦ· ἐκεῖ λέοντες καὶ παρδάλεις, ἄρκτοι, καὶ ταῦροι, καὶ κύνες, ὕλαι, καὶ πέτραι, καὶ ἄνδρες θηροκτόνοι, καὶ πᾶσα ἡ τῆς γραφικῆς ἐπιτήδευσις μιμουμένη τὴν φύσιν. ἔδει γὰρ μὴ τοὺς τοίχους αὐτῶν μόνον, ὡς ἔοικεν, καὶ τὰς οἰκίας κοσμεῖσθαι, ἀλλ' ἤδη καὶ τοὺς χιτῶνας, καὶ τὰ ἐν ἐκείνοις ἱμάτια. ὅσοι δὲ καὶ ὅσαι τῶν πλουτούντων εὐλαβέστεροι, ἀναλεξάμενοι τὴν εὐαγγελικὴν ἱστορίαν, τοῖς ὑφανταῖς παρέδωκαν· αὐτὸν λέγω τὸν Χριστὸν ἡμῶν μετὰ τῶν μαθητῶν ἁπάντων, καὶ τῶν θαυμασίων ἕκαστον, ὡς ἡ διήγησις ἔχει. ὄψει τὸν γάμον τῆς Γαλιλαίας, καὶ τὰς ὑδρίας· τὸν παραλυτικὸν, τὴν κλίνην ἐπὶ τῶν ὤμων φέροντα· τὸν τυφλὸν τῷ πηλῷ θεραπευόμενον· τὴν αἱμοῤῥοοῦσαν τοῦ κρασπέδου λαμβανομένην· τὴν ἁμαρτωλὸν τοῖς ποσὶν τοῦ Ἰησοῦ προσπίπτουσαν· τὸν Λάζαρον ἐκ τοῦ τάφου πρὸς τὴν ζωὴν ὑποστρέφοντα. καὶ ταῦτα ποιοῦντες εὐσεβεῖν νομίζουσιν, καὶ ἱμάτια κεχαρισμένα τῷ Θεῷ ἀμφιέννυσθαι. ἐμὴν δὲ εἰ δέχοιντο συμβουλὴν, ἐκεῖνα πωλήσαντες, τὰς ζώσας εἰκόνας τοῦ Θεοῦ τιμησάτωσαν. μὴ γράφε τὸν Χριστὸν (ἀρκεῖ γὰρ αὐτῷ ἡ μία τῆς ἐνσωματώσεως ταπεινοφροσύνη, ἣν αὐθαιρέτως δι' ἡμᾶς κατεδέξα-

δέξατο) ἐπὶ δὲ τῆς ψυχῆς σου βαστάζων νοητῶς τὸν ἀσώματον λόγον περίφερε. μὴ τοῖς ἱματίοις ἔχε τὸν παραλυτικὸν, ἀλλὰ τὸν κείμενον ἄῤῥωστον ἐπιζήτησον. μὴ ἱστόρει συνεχῶς τὴν αἱμοῤῥοοῦσαν, ἀλλὰ χήραν θλιβομένην ἐλέησον. μὴ τὴν ἁμαρτωλὸν γυναῖκα ἐπιμελῶς ὅρα γονυπετοῦσαν τὸν Κύριον, ἀλλ' ἐπὶ τοῖς αὐτοῦ πλημμελήμασι συντριβόμενος, πυκνὸν ἔκχει τὸ δάκρυον. μὴ τὸν Λάζαρον ἐγειρόμενον ἐκ νεκρῶν σκιαγράφει, ἀλλὰ τῆς σῆς ἀναστάσεως ἀγαθὴν τὴν ἀπολογίαν εὐτρέπιζε. μὴ τὸν τυφλὸν ἐπὶ τῆς ἐσθῆτος περίφερε, ἀλλὰ τὸν ζῶντα καὶ τῶν ὄψεων ἀφῃρημένον ταῖς εὐποιΐαις παραμυθοῦ. μὴ τοὺς κοφίνους ζωγράφει τῶν λειψάνων, ἀλλὰ βόσκε τοὺς πεινῶντας· μὴ τὰς ὑδρίας ἐπὶ τῶν ἱματίων βάσταζε, ἃς ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας ἐπλήρωσεν, ἀλλὰ πότιζε τὸν διψῶντα. ἐπὶ ταῦτα ἡμᾶς ὠφέλησεν τὸ ὑπερήφανον ἔνδυμα τοῦ πλουσίου. οὐ μὴν οὐδὲ τὰ ἑξῆς παροπτέον· προσέθηκεν γὰρ τῇ πορφύρᾳ καὶ τῇ βύσσῳ, τὸ τρυφᾶν καθημέραν λαμπρῶς. πάντως δὲ τῆς μιᾶς γνώμης ἀμφότερα τὸ καὶ τῇ ἀχρήστῳ φιλοτιμίᾳ τῶν ἐσθημάτων ἐγκαλλωπίζεσθαι, καὶ τῇ γαστρὶ καὶ τῇ φάρυγγι δουλεύειν ἡδυπαθῶς. τρυφὴ τοίνυν ἐστὶ πρᾶγμα πολέμιον φιλαρέτου ζωῆς· βλακείας δὲ καὶ διαχύσεως δηλούσης, ἀπολαύσεως ἀμέτρου καὶ ἀνδραποδώδους συνηθείας. καὶ λεγόμενον μὲν τὸ πρᾶγμα ἕν τι φαίνεται· ἐξεταζόμενον δὲ κατὰ μέρος καὶ κατηγορούμενον, ἐκ ποικίλης καὶ πλείονος καὶ πολυκεφάλου κακίας ἔχει τὴν σύστα-

te demiſit) ſed mente & intellectu Verbum incorporeum circúfer: in veſtibus paralyticum ne habe, ſed hominem infirmum ac proiectum require: ne aſſiduè mulierem ſanguinis profluuio laborantem ſpectandam propone, ſed viduæ afflictæ miſerere: ne peccatricem ad genua Domini prolapſam tam diligenter cóthere, ſed tuorum aſpectu peccatorum contritus, lacrymas vberes emitte. Pro effigie Lazari reſurgentis, idoneam in tuæ tempus reſurrectionis apologiam para. cæcum in veſtibus depictum circumferre noli, ſed cęcum viuentem beneficiis ſolare: poſthabitiſq; reliquiarum cophinis, & hydriis illis Canæ Galilææ, eſurientibus cibum, ſitientibus potum præbe. Et in his quidem nobis illa ſplendida ac ſuperba diuitis veſtis profuerit. Neq. verò cetera negligenda. Præter luxum enim in veſtibus, purpuraq; ac byſſo, opiparè cottidie epulabatur. Paria autem ac gemina prorſus iſta duo ſunt, inutili inaniq; circa veſtes ambitione efferri, ventriq; & gulæ per voluptatem ancillari. Luxus vtique & deliciæ cum ſtudio virtutis repugnant, tum ſocordiæ, profuſioni, intemperantiæ, ſeruiliq; prorſus conſuetudini homines mancipant & addicunt. Et quamquam res vna atque ſimplex videatur; ſi propiùs inſpicias & ſigillatim examines, è variâ multipliciq. vitiorum colluuie conflata reperietur.



rietur.

rietur. Deliciari enim abſque magnis facultatibus haud poſſis. Atqui diuitias accumulare citra peccatum, impoſſibile; niſi alicui, ſicut Iob (quod valdè rarum) ſimul & diteſcere & iuſtitiam colere contigerit. Ante omnia autem ei cui lautè delicateq́ue viuere propoſitum, domo opus eſt cultiùs exſtructâ ac pretioſis calculis, lapillis atque auro, ſponſarum inſtar, exornatâ; tum etiam ad mutationes temporum anniq́ue tempeſtates benè accommodatâ. Commendatur enim hiberna quidem calida & ad Meridianum conuerſa ſolem; æſtiua verò Septemtrioni oppoſita, quò tenues illæ & frigidulæ ab Arcto ſpirantes auræ perflare eam & permeare commodè poſſint. Ad hæc ſtragulâ multi pretij veſte eſt opus ad ſcamna, lectos, culcitas, ianuas. nam omnia apud hos tales, quãuis inanima, accuratè veſtiuntur, cùm pauperibus interim hominibus integumenta corporis deſint. Adde vaſa argentea & aurea, ſumptuoſam emptionem auium Phaſianarum, viniq́; Phœnicij, quod Tyriæ vites, etſi maximè pretioſum, diuitibus affatim ſufficiunt, omnemq́; adeò voluptatis atque deliciarum apparatum, ab ipſis illis qui vſurpant accuratè recẽſendum. Nam adaugeſcens & exquiſitior indies luxus etiam Indica aromata cibis affundit; magiſq́; iam coquis quàm Medicis vnguentarij ſeruiunt.

σιν. τρυφὴ γὰρ οὐκ ἂν γένοιτο, μὴ πολλαῖς αὐξηθεῖσα ταῖς ὕλαις. ὕλας δὲ πλούτου σωρεῦσαι ἀναμαρτήτως, ἀμήχανον· πλὴν εἰ μή τινι κατὰ τὸ σπάνιον, ὡς τῷ Ἰὼβ, συμβαίη, καὶ πλουτεῖν δαψιλῶς, καὶ ζῆν κατὰ τὸ δίκαιον ἀκριβῶς. δεῖ τοίνυν τῷ τρυφῶντι πρῶτον μὲν οἰκίας πολυτελοῦς, ψήφῳ καὶ λίθοις καὶ χρυσῷ κατὰ τὰς νύμφας κεκοσμημένης· πρὸς δὲ τὰς ἐξαλλαγὰς τῶν ὡρῶν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐπιτηδείως ἐχούσης. ζητεῖται γὰρ θερινὴ, ἀλεεινὴ μὲν ἡ τοῦ χειμῶνος, καὶ τεθραμμένη πρὸς τὴν ἀκτῖνα τῆς μεσημβρίας· ἀναπεπταμένη δὲ πρὸς τὴν ἄρκτον θερινὴ, ἵνα λεπταῖς ὁμοῦ καὶ ψυχραῖς ταῖς αὔραις ταῖς βορείαις καταπνέηται. μετὰ ταύτην χρεία πολυτελοῦς ἐσθῆτος τῆς μελλούσης ἀμφιέννυσθαι τὰ βάθρα, τὰς κλίνας, τὰς στιβάδας, τὰς θύρας· πάντα γὰρ παρ᾽ ἐκείνοις ἐπιμελῶς ἐνδύεται καὶ τὰ ἄψυχα, ἐλεεινῶς τῶν πενήτων ἐκδυομένων. πρόσθες ἑξῆς τούτοις καὶ λόγισαι τὸν ἐν τοῖς σκεύεσιν ἄργυρον, τὸν χρυσὸν, τὴν πολυδάπανον ἀγορασίαν τῶν ἐκ Φάσιδος ὀρνίθων, οἶνον τοῦ Φοίνικος, ὃν αἱ ἄμπελοι Τύρου πολὺν τοῖς πλουσίοις καὶ τίμιον ἀπορρέουσι· πᾶσαν τὴν ἄλλην τῆς ἀπολαύσεως τὴν παρασκευὴν, ἣν αὐτῶν τῶν χρωμένων ἐστὶν ἐπιμελῶς ὀνομάσαι. αὔξουσα γὰρ καθημέραν ἐπὶ τὸ περιεργότερον ἡ τρυφὴ ἤδη καὶ τῶν ἐξ Ἰνδικῆς ἀρωμάτων παρεγχέει τοῖς ὄψοις· καὶ μᾶλλον τῶν ἰατρῶν οἱ μυροπῶλαι τοῖς μαγείροις ὑπηρετοῦσιν. ἐνταῦ-

ἐντεῦθεν ἐπόπτευσον τὸ δορυφορικὸν τῆς τραπέζης πλῆθος· τραπεζοποιούς, οἰνοχόους, ταμιείας, καὶ τοὺς τούτων ἀφηγουμένους μουσικοὺς, μουσικὰς, ὀρχηστρίδας, αὐλητὰς, γελωτοποιοὺς, κόλακας, παρασίτους, τὸ ἀκόλουθον τῆς ματαιότητος συρφετόν. ταῦτα ἵνα κτηθῇ, πόσοι πένητες ἀδικοῦνται; πόσοι δὲ ὀρφανοὶ κονδυλίζονται; πόσαι δὲ χῆραι δακρύουσιν; πόσοι σφοδρῶς σπαραττόμενοι σπεύδουσι πρὸς ἀγχόνην; ἡ δὲ τῶν τοιούτων ψυχὴ ὥσπερ ληθαίου τινὸς ὕδατος γευσαμένη ἑαυτῆς ἀμνημονεῖ καθάπαξ, τίς ἐστι καὶ τίνι συνέζευκται, καὶ ὅτι ποτὲ τῆς συζυγίας ταύτης λυθήσεται, καὶ πάλιν ἀνακτισθέντι συνοικήσει τῷ σώματι. ἐλθόντος δὲ καιροῦ τοῦ καθήκοντος, καὶ τοῦ ἀπαραιτήτου προστάγματος τῆς πρὸς τὸ σῶμα κοινωνίας ἀποσπάσαντος αὐτὴν, ἀναλογισμὸς εἰσέρχεται τῶν βεβιωμένων καὶ ἀνωφελὴς μετάνοια, κατόπιν γενομένη τῆς χρείας. τότε γὰρ ὀνίνησι μεταμέλεια, ὅταν ὁ μεταβουλευόμενος ἐξουσίαν ἔχει τῆς διορθώσεως· ἀναιρεθείσης δὲ τῆς ἐνεργείας τοῦ κατορθοῦν, ἀχρεῖος ἡ λύπη,
,, καὶ μάταιος ἡ μετάγνωσις. Πτωχὸς δέ τις
,, ἦν ὀνόματι Λάζαρος. οὐ πένητα ἁπλῶς ὑπογράφει ὁ λόγος τῆς δαπάνης καὶ τῆς χρείας τῶν ἀναγκαίων ἐστερημένον, ἀλλὰ γὰρ καὶ ἀρρωστίᾳ ὀδυνηρᾷ συνεχόμενον καὶ διεῤῥυηκότα τὸ σῶμα, ἄοικον, ἀνέστιον, ἀθεράπευτον, τῇ πύλῃ τοῦ πλουσίου προσεῤῥιμμένον. καὶ λίαν ἐπιμελῶς τῇ διηγήσει τὰς συμφορὰς ἐπὶ τέλει ἐκτραγῳδεῖ τοῦ πτω-

Quin & menſæ ſatellitium perpende, ſtructores, pincernas, diſpenſatores,& qui his preeunt,muſicos,muſicas, ſaltatriculas, tibicines,ridiculos,gnathones,paraſitos, turbam vanitatis comitem atque pediſſequam. Hæc vt habeantur, quot pauperes iniuriâ afficiuntur? quot orphani pugnis cæduntur? quot viduis lacrymæ excutiuntur? quot denique miſerè dilaniati ad reſtim & laqueum decurrũt? Eiuſmodi profectò mortalium anima, quaſi lethæâ quadam aquâ deguſtatâ, ſui prorſus obliuiſcitur; quæ & ipſa ſit & cui coniuncta, quódque hæc copula aliquando ſoluetur, ac deinde, rediuiuo corpore, rurſus integrabitur. At cùm debitum tempus adueniet, & indeprecabile decretum corporis & animæ nexum diſſoluet, reputatio ſubibit eorum quæ in vitâ patrata ſunt, & pœnitentia ſera ac nihil profutura. Tunc enim demum pœnitentia prodeſt, cùm pœnitens emendãdi facultatem habet; ſublatâ verò copiâ rectè faciendi, inutilis eſt dolor & irrita pœniten-
tia. *Erat autem quidam mendicus, nomine Lazarus.* Lucæ 16. v. 20.
Non tãtùm pauper hîc deſcribitur, vſuq́; neceſſariorum carens, ſed etiam graui inualetudine oppreſſus atque corpore tabido diffluentíque, ſine lare & certâ ſede, incultus, horridus,& ad ianuam diuitis proiectus. Ad ſummam, cum curâ ac Tragico ferè cothurno pauperis miſeriç enarrantur,

vt non miſerantis ſæuities magis magiſq; notaretur & innoteſceret. Nam is quem alterius inopia atq. ægritudo commiſeratione nõ tangit, fera ſanè eſt rationis expers, perperàm humanam indutus formam, ipſamq; naturam prauâ voluntate fallens, ac denique feris ipſis atque belluis immanior. Si quidem ſues iugulatâ ſue ſenſu quodam doloris afficiuntur, & circa fuſum recèns ſanguinem triſte murmur edunt. Circumſtant tauri cædem boues, miſerabili dolorem mugitu deſignantes. Quin gruum quoque greges, cùm vna fortè gregalium in caſſes incidit, captam circumuolitant, & lamẽtabili quodam aërem clangore complent, comitem ſuam & gregalem requirentes. Et hominem, ratione præditum animal, manſuetum & ad Dei ſimilitudinem, virtutis ac bonitatis capax, proximorum acerbi caſus graueſq; calamitates tam parùm adficient ac mouebunt? Iacebat itaque ærumnoſus ille gratuſq; mendicus in magnis doloribus, pedum vſu priuatus (alioquin enim alaſtorem illum atque ſuperbum declinaſſet, aliúmque pro ianuâ illâ hoſpitum interfectrice & pauperibus ſemper occluſâ locum delegiſſet) ac manibus etiam pæ-

χοῦ, ἵνα τὴν τοῦ μὴ ἐλεοῦντος στηλιτεύσῃ σκληρότητα. ὁ γὰρ πρὸς λιμὸν καὶ νόσον μηδὲν πάσχων ἐλεεινὸν ἢ συμπαθὲς, θηρίον ἐστὶν ἄλογον, κακῶς εἰς ἀνθρώπου μορφωθὲν σχῆμα, ψευδόμενον τῇ προαιρέσει τὴν φύσιν, μᾶλλον δὲ καὶ αὐτῶν τῶν θηρίων ἀσυμπαθέστερον. εἴ γε χοίρων μὲν σφαζομένων, ἕλκονται πρός τινα λυπηρὰν αἴσθησιν οἱ χοῖροι, καὶ τῷ νεοῤῥύτῳ αἵματι ἀνιαρὸν ἐπιτρύζουσι. περιΐστανται δὲ τοῦ ταύρου τὸν φόνον οἱ βόες, ἐμπαθεῖ μυκηθμῷ τὴν ἀλγηδόνα σημαίνοντες. ἀγέλαι δὲ γεράνων, μιᾶς τῆς συννόμου περιπεσούσης θηράτροις, περιΐπτανται τὴν κρατουμένην, καί τινος ὀδυρτικῆς κλαγγῆς τὸν ἀέρα πληροῦσι, τὴν ὁμόφυλον ζητοῦσαι καὶ σύντροφον. ἄνθρωπος δὲ τὸ λογικὸν ζῶον καὶ ἥμερον καθ' ὁμοίωσιν Θεοῦ τὴν ἀγαθότητα παιδευόμενον, μικρὸν οὕτω φροντίζειν τῶν συγγενῶν ἐν ταῖς ὀδυνηραῖς τῶν συμφορῶν περιστάσεσιν; ἔκειτο τοίνυν ὁ πολυώδυνος καὶ εὐχάριστος πένης, πόδας οὐκ ἔχων (ἢ γὰρ ἂν τὸν ἀλάστορα καὶ ὑπερήφανον ἔφυγεν, ἕτερον τόπον ἀλλαξάμενος ἀντὶ τῆς ξενοκτόνου πύλης, τῆς κεκλεισμένης τοῖς πένησι) χειρῶν ἀπηρημένος, καὶ οὐδὲ παλάμην ἔχων προτείνειν εἰς αἴτησιν, ἐμφραχθεὶς αὐτὰ τὰ ὄργανα τῆς φωνῆς, καί τινα βραχεῖαν καὶ τραχεῖαν τῶν στέρνων ἠχὴν προϊέμενος, πᾶσαν ἁπλῶς ἠκρωτηριασμένος τοῖς μέλεσι, νόσου

nè carens, neque palmam protendere valens ad rogandum: ſed & præcluſa habens ipſa vocis organa, ſtridulúmque & aſperum pectore ſonum emittens: omnibus denique membris vel mutilus vel captus,

νόσου πονηρᾶς λείψανον, ἐλεεινὸν ὑπόδειγμα τῆς ἀνθρωπίνης ἀσθενείας. ἀλλ' ὅμως οὐδὲ τοσοῦτος κατάλογος συμφορῶν ἔκλινεν πρὸς ἐπίσκεψιν τὸν ὑψαύχενα· παρῄει δὲ ὡς λίθον τὸν ἄνθρωπον, ἀπαραφάσιστον τὴν ἁμαρτίαν ἐπισπῶν. οὐ γὰρ εἶχεν ἐγκαλούμενος λέγειν ταῦτα τὰ κοινὰ καὶ εὐπρόσωπα· οὐκ εἶδον, οὐκ ᾔδειν, ἔλαθέν με ποτνιῶν ὁ πτωχός, ὃς ἔκειτο πρὸ τῆς πύλης εἰσιόντος καὶ ἐξιόντος θέαμα. ἵνα ἀπαραίτητον ἐργάσηται τοῦ ὑπερηφάνου τὴν καταδίκην, ἐπεθύμει καὶ τῶν ψιχίων τῆς τραπέζης, καὶ οὐδὲν τούτων ἐτύγχανεν· ἀλλ' ὁ μὲν τῇ πλησμονῇ διερρήγνυτο, ὁ δὲ ὑπὸ τῆς ἐνδείας ἐτήκετο. καλὸν οὖν ἦν καὶ δίκαιον τὴν Χαναναίαν ἐκείνην τὴν Φοίνισσαν διδάσκαλον ἐπιστῆσαι τῷ μισανθρώπῳ πλουσίῳ, λέγουσαν ἐκεῖνα τὰ γεγραμμένα· ὅτι, ὦ ἀλάστωρ καὶ ὑπερήφανε, καὶ τὰ κυνάρια ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν· σὺ δὲ τὸν ἀδελφόν σου, τὸν ὁμόφυλον, ταύτης τῆς δωρεᾶς οὐκ ἠξίωσας. ἀλλ' οἱ μὲν κύνες ἐπιμελῶς ἐτρέφοντο, κατ' ἰδίαν οἱ φύλακες, χωρὶς οἱ θηρευτικοί, καὶ στέγης ἠξιοῦντο καὶ κλίνης, καὶ θεραπευτὰς εἶχον ἀποκεκληρωμένους κατὰ σπουδήν· ἔρριπτο δὲ χαμαὶ ἡ τοῦ Θεοῦ εἰκὼν ἀμελουμένη καὶ πατουμένη, ἣν ἰδίᾳ χειρὶ ὁ τῶν ὅλων ἀριστοτέχνης καὶ δημιουργὸς διεπλάσατο, εἴ τῳ Μωϋσῆς ἀξιόπιστος τεκμηριώσας τῶν ἀνθρώπων τὴν γένεσιν.

neque aliud quàm quædam infelicis morbi reliquiæ, & miſerãdum infirmitatis humanæ exemplum. Neque tamen miſeriarum ille catalogus ſuperbi mentem ad conſiderationem flexit. Præteribat hominem tãquam ſaxum, eo ſcelere ſemet obſtringens, cui nullum omnino velum aut prætextus. Neque enim ad expurgandum adducere potuit illa vulgaria ac ſpecioſa; *Non noram, ignorabam, latuit me pauper cùm rogaret*; quippe qui pro foribus iacens egredienti ſimul & intranti ſpectaculo fuerat: & quò prorſus indeprecabilis ſuperbi damnatio redderetur, micas de menſâ deciduas ſupplici voce petierat; neq. tamen omnino quidquam impetrarat, ſed, cùm ille ſatietate dirumperetur, fame & inopiâ contabuerat. Quare par & æquum fuerat, Chananæam illam Phœniſſam huic diuiti hominum oſori magiſtram adhiberi, quæque ſcripta ſunt ei referre: Etiam catel- Matth. 15 v. 27.
li, ô alaſtor ac faſtuoſe, comedunt Marci 7. v. 28.
micas quę cadunt de menſa dominorum; tu autẽ fratrem tuum atq. proximum hoc munere non es dignatus. Imò canes ipſi cũ curâ alebãtur: ſeorſum quidem ædium cuſtodes, ſeorſum venatores, tectoq. & ſtrato, ſuis illis & quaſi peculiaribus attributis miniſtris, digni habebãtur; cùm interim humi neglecta iaceret atq. calcaretur Dei imago, quã, ſi cui Moyſes idoneus ac fide dignus de generatione hominũ auctor, pro- Gen. 1. v. 27.
priâ manu finxit præſtantiſſimus ille architectus atque conditor vniuerſi.

Quòd ſi igitur hoc loci narratio de Lazaro finem haberet, atque ita rerum natura ferret, vt hac vitâ tam diuerſâ, tam inæquali, vitæ noſtræ curriculum definiretur, altâ ſanè & exertâ voce conquererer, quòd, cùm pari dignatione creati ſimus, tam inæqualiter erga proximos & eadem ſtirpe proſatos nos geramus. Enimuerò cùm ea quæ reſtant auditu præclara ſunt, qui ſuperioribus aggemuiſti, bonum deinceps animum habe, iamque diſce compauperis beatitatem. Comperies enim iuſti Iudicis exactum tribunal, vbi voluptarius ille ingemiſcat ac ploret; mendico cōtrà benè pulchreq; ſit, & condignum vterque præmium ferat.
Lucæ 16. v. 22. *Accidit autem vt moreretur mendicus, & deportaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.* Vides pauperis ac iuſti famulos: vides migrationis tam felicis adminiſtros, Angelos inquam ipſos comites atque ſatellites, hilariter & blandè eum intuentes, ipſaq; ſpecie & ore malorum remiſſionē ac medelam iam inſtantem declarantes. Impoſitus eſt autem ſinui Patriarchæ. quod quidem queſtionis anſam & occaſionem iis præbet, qui magnâ cum animi voluptate profunda Scripturarum ſcrutantur. Nam ſi iuſtorum quilibet in eūdem hunc ab exceſſu locum deferretur, peramplum ſanè & in infinitum patentem hunc ſinum ad omnem beatorum multitudinem capiendam eſſe oporteret. At ſi id omnino impoſſibile (ſinus

εἰ μὲν οὖν ἐτελεύτησεν μέχρι τούτου τὸ τοῦ Λαζάρου διήγημα, καὶ οὕτως εἶχεν τῶν πραγμάτων ἡ φύσις, ὡς τῇ ἀνωμαλίᾳ τοῦ βίου τούτου τὴν ζωὴν ἡμῶν περιγράφεσθαι, μεγάλας ἂν ἀφῆκα σχετλιάζων φωνάς· ἐφ᾽ οἷς οἱ κτισθέντες ὁμοτίμως, οὕτως ἀνίσως μετὰ τῶν ὁμοφύλων διαγόμεθα. ἐπειδὴ δὲ καλὰ τὰ λειπόμενα πρὸς ἀκρόασιν, ἐν τοῖς παρελθοῦσι στενάξας ὁ πένης, ἐν τοῖς ἀκολούθοις εὐθύμησον, μαθὼν τοῦ συμπτωχοῦ σου τὴν μακαρίαν ἀπόλαυσιν. εὑρήσεις γὰρ δικαίου κριτοῦ ἀκριβὲς δικαστήριον, ἐν ᾧ στενάξει ὁ ἡδυπαθήσας καὶ ζῇ ὁ μοχθήσας· ἑκάτερος δὲ κομίζεται τὰ πρὸς ἀξίαν ἐπίχειρα. ἐγένετο δὲ ἀποθανεῖν „ τὸν πτωχὸν, καὶ ἀπενεχθῆναι ὑπὸ τῶν „ ἀγγέλων εἰς τὸν κόλπον Ἀβραάμ. ὁρᾷς „ τοὺς διακονιστὰς τοῦ δικαίου καὶ πένητος, καὶ τοὺς ὑπηρέτας τῆς μεταστάσεως. ἄγγελοι γὰρ ἐδορυφόρησαν, γαληνόν τε καὶ πρᾷον εἰς αὐτὸν βλέποντες, καὶ τῷ σχήματι προδηλοῦντες τὴν ἀναμένουσαν αὐτὸν θεραπείαν καὶ ἄνεσιν. ἐντέθη δὲ κομισθεὶς τοῖς κόλποις τοῦ πατριάρχου· ὃ καὶ διαπορήσεως ἀφορμὴν παρέχει τοῖς ἡδέως τὰ βάθη τῶν γραφῶν βασανίζουσιν. εἰ γὰρ πᾶς τελευτῶν δίκαιος πρὸς τὸν αὐτὸν κομίζοιτο τόπον, πολύς τις ἂν εἴη καὶ ἐπ᾽ ἄπειρον ἀνηπλωμένος ὁ κόλπος, εἴ γε μέλλοι χωρητικὸς ἔσεσθαι τοῦ πλήθους τῶν ὁσίων παντός. εἰ δὲ τοῦτο παντελῶς ἀμήχανον (κόλπος γὰρ

γὰρ κοιλανθεὶς ἄνδρα μὲν καὶ ἕνα δυσχερῶς, μόλις δὲ δύο περιστέλλει βρέφη) θεωρία τις ἡμᾶς ἐκδέχεται τῇ εἰκόνι τοῦ αἰσθητοῦ κόλπου, πρὸς νοητήν τινα πραγματείαν χειραγωγοῦσα. τί γάρ ἐστι τὸ λεγόμενον· ὁ Ἀβραάμ φησιν ἀποδέχεται τοὺς τὸν εὐπολίτευτον ζήσαντας βίον; εἰπὲ τοίνυν ὦ θεσπέσιε Λουκᾶ, ὡς πρὸς παρόντα γάρ σε καὶ ὁρώμενον διαλέξομαι, διὰ τί πολλῶν ὄντων δικαίων καὶ πρεσβυτέρων τοῦ Ἀβραὰμ, ταύτην τῷ μεθηλικεστέρῳ τὴν τιμὴν ἀπεκλήρωσας· σιωπήσας τὸν Ἐνὼχ, τὸν Νῶε, καὶ εἴ τις ἄλλος κατὰ τὸν βίον τούτοις ἀκόλουθος; ἀλλά σου τάχα συνίημι, καὶ οὐκ ἔξω βάλλει τοῦ σκοποῦ ἃ λογίζομαι. ἐπειδὴ γὰρ ὁ Ἀβραὰμ θεράπων Χριστοῦ, καὶ διαφερόντως οὗτος ἀνθρώπων τὰς τοῦ Χριστοῦ ἐπιφανείας ἐδέξατο, καὶ τὸ τῆς Τριάδος μυστήριον ἱκανῶς ἡμῖν ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ γέροντος τούτου διετυπώθη, ἡνίκα τοὺς τρεῖς ἀγγέλους ὡς ἄνδρας ὁδοιπόρους ἐξένισεν καὶ ἁπλῶς ἐκ πολλῶν τῶν μυστικῶν αἰνιγμάτων οἰκεῖος ἄνθρωπος οὗτος γεγένηται τοῦ Θεοῦ, τοῦ χρόνοις ὕστερον ἀμφιεσαμένου τὴν σάρκα, καὶ διὰ μέσου τοῦ ἀνθρωπικοῦ τούτου παραπετάσματος ἐναργῶς ὁμιλήσαντος τοῖς ἀνθρώποις· διὰ τοῦτο τὸν κόλπον αὐτοῦ οἷον εὔδιόν τινα λιμένα καὶ ἄκλυστον ἀναπαυτήριον εἶναι τῶν δικαίων φησιν. ἐν Χριστῷ γὰρ πάντων ἡμῶν ἡ σωτηρία καὶ ἡ ἐλπὶς καὶ ἡ ἀπεκδοχὴ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος,

enim quamuis cauus & capax vel vnum ægrè virum, infantes vix duos complectatur) cogitatio quędam ſubit, & per imaginem ſenſilis huius ſinus ad rem intelligibilem quaſi manu nos ducit. Quid enim eſt, quòd Abrahamus eos recipere dicatur qui benè rectéque vitam inſtituerunt? Fare, age, diuine Luca (nam velut præſentem te compellabo) quid cauſſæ, quòd cùm multi iuſtorum Abrahamo antiquiores fuerint, honorem hūc illis in æuo remotiori conſtitutis debitum, iſti præcipuè adſignaris? Præteriiſti ſilentio Enoch, Noë, & alios horum poſteros & ſectatores. Verùm intelligere iam mentem tuam videor; nec abit, vt opinor, extra ſcopum mea ratiocinatio. Cùm enim Abrahamus Chriſtum Dominum ſummè coluerit, eíq. ſe Chriſtus pręcipuè ſupra alios mortales aperuerit ac reuelarit: cùm admirabile Trinitatis myſterium, tribus Angelis ſpecie & habitu viatorum hoſpitio per hunc ſenem exceptis, in eius tabernaculo præclarè nobis fuerit adumbratum: cùm denique pateat è multis myſticis ænigmatis hunc virum familiarem fuiſſe Deo, qui multis pòſt ſæculis palàm cum hominibus ſub velo carnis verſatus eſt; his de cauſſis ſinum eius tranquillum quemdam portum, & quietum ab omni fluctuum agitatione locum dicit. In Chriſto enim noſtrûm omnium ſalus ac ſpes & exſpectatio futuri ſæculi, Gen. 18. v. 2.

 qui

qui ſecundùm ſeriem humanam è carne prodiit Abrahami. Atque adeò laus huius ſenis atque decus ad Saluatorem relationem habere mihi videtur, qui de virtute cuiuſque cognoſcit, debitamq́; mercedem retribuit, ac ſalutari illâ voce
Matth. 25 v. 34. iuſtos compellat: *Venite benedicti Patris mei: poßidete regnum vobis paratum. Accidit autem vt moreretur mendicus.* Duo circa pauperem hunc notantur, inopia nimirum, & humilitas atque modeſtia. Non eſt itaque quòd pauper quilibet ac pannoſus virtutis laudem ſibi vindicet, aut egeſtatem ad ſalutem ipſi ſufficere exiſtimet. Nec enim vniuerſim laudatur quemcumque neceſſitas egere cogit; ſed hic demum in admiratione eſt, qui ſponte & decreto quodam animum in paupertate componit ac moderatur: illis autem qui moribus & ingenio prauo ſunt, omninoq́; corrigi non poſſunt, viaticum eſt ad mala multa facinora coacta paupertas. Et omnes equidem parietum perfoſſores, plagiarios, graſſatores, fures, & homicidas ipſos, cùm ad tribunal iudicio ſiſterentur, inopes, egenos, ignobiles, ſine domo certiſq́; ſedibus vidi. Vnde liquidò conſtat, beatum hîc pauperem illum prædicari, qui mente philoſophâ laborem & ærumnam perfert, fortiterq́; & conſtanter aduerſos tolerat caſus, ac nihil vel ſce-

τὸν ἐκ τῆς σαρκὸς τοῦ Ἀβραὰμ, κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην ἀκολουθίαν βλαστήσαντι. καί μοι δοκεῖ ἡ περὶ τὸν γέροντα τοῦτον τιμὴ εἰς τὸν σωτῆρα τὴν ἀναφορὰν ἔχειν, τὸν κριτὴν ὄντα καὶ μισθαποδότην τῆς ἀρετῆς, καὶ τῇ θεραπευτικῇ φωνῇ προσκαλούμενον τοὺς δικαίους, καὶ λέγοντα· δεῦτε οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου, κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν. Ἐγένετο δὲ ἀποθανεῖν τὸν πτωχόν. διπλῆ τίς ἐστιν ἡ περὶ τὸν πτωχὸν σημασία· ἡ μὲν δηλοῦσα τὴν ἀναγκαίαν τὴν ἔνδειαν, ἡ δὲ τὴν μετριοφροσύνην καὶ τοῦ ἤθους τὴν ταπεινότητα. μὴ τοίνυν ὁ τὴν ὕλην ἄπορος ἔχων καὶ πενόμενος ἀργυρίου, ἢ ῥιεσμένος δὲ τὴν ἐλεεινὴν ἐφεστρίδα, οἰκειούσθω τῆς ἀρετῆς τὸν ἔπαινον, μηδὲ νομιζέτω ἀρκέσειν αὐτῷ τὴν ἔνδειαν πρὸς σωτηρίαν. οὐ γὰρ ὁ κατ' ἀνάγκην πενόμενος, ἐπαινεῖται, ἀλλ' ὁ τὴν γνώμην αὐθαιρέτως μετριάζων θαυμάζεται, ἐπὶ τοῖς ἀπορουμένοις ἁπλῶς· ἔχουσι δὲ τὸν τρόπον ἀπαιδαγώγητον ἢ ἀκατόρθωτον, ἐφόδιον γίνεται πολλῶν καὶ πονηρῶν τολμημάτων ἡ πρὸς ἀνάγκην ἀκτημοσύνη. καὶ πάντας ἐγὼ τοὺς τοιχωρύχους καὶ ἀνδραποδιστὰς, ἔτι μὴν λωποδύτας καὶ κλέπτας, καὶ τοὺς ἀνδροφόνους αὐτοὺς, εἴ ποτε παρέβαλον ἀρχοντικῷ κριτηρίῳ, πένητας ἐθεασάμην, ἀγνώστους, ἀοίκους, ἀνεστίους. ὡς ἐκ τούτου πρόδηλον εἶναι, ὅτι μακαρίζει νῦν ἡ γραφὴ τὸν πτωχὸν ἐκεῖνον τὸν φιλοσόφῳ ψυχῇ τοὺς μόχθους βαστάζοντα, καρτεροῦντα δὲ γενναίως πρὸς τὰς περιστάσεις τοῦ βίου καὶ οὐδὲν κακουργοῦντα πο-

τα πονηρὸν, ἵνα τῇ σαρκὶ χαρίσηται τῆς τρυφῆς τὴν ἀπόλαυσιν. ὃν καὶ σαφέστερον διαγράφει ἐν τῷ πρώτῳ τῶν μακαρισμῶν ὁ Κύριος λέγων· „ μακάριοι „ οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι. οὔτε οὖν πᾶς πτωχὸς δίκαιος, ἀλλ' ἐκεῖνος οἷος ὁ Λάζαρος· οὔτε πᾶς πλούσιος ἀπεγνωσμένος, ἀλλ' ὁ μετὰ τοιαύτης ζῶν προαιρέσεως οἵαν εἶχεν ὁ τοῦ Λαζάρου σύγχρονος, καὶ τούτῳ οἱ διὰ τῆς πείρας τοῦ βίου μάρτυρες πρόδηλοι. τί γὰρ τοῦ θείου Ἰὼβ πλουσιώτερον; ἀλλ' ὅμως ἡ εἰς ἄγαν εὐπορία τὸν ἄνδρα οὔτε τῆς δικαιοσύνης ἠλλοτρίωσεν, οὔτε συλλήβδην εἰπεῖν τῆς ἀρετῆς ἐξώρισεν. τί τοῦ Ἰσκαριώτου πενέστερον; καὶ οὐδὲν ἀπώνατο τῆς ἐνδείας εἰς σωτηρίαν, ἀλλὰ τοῖς ἕνδεκα πένησι καὶ φιλοσόφοις συνδιαιτώμενος, καὶ αὐτῷ γε τῷ κυρίῳ τῷ δι' ἡμᾶς αὐθαιρέτως πτωχεύσαντι, κακίᾳ προαιρέσεως εἰς φιλαργυρίαν παρενεχθεὶς, ἐκεῖθεν καὶ τὴν προδοσίαν ἐρραδιούργησεν. ἄξιον δὲ καὶ τὴν ἐκφορὰν ἑκατέρου τῶν τεθνηκότων συνετῶς δοκιμάσαι. ὁ μὲν γὰρ πτωχὸς κοιμηθεὶς, ἀγγέλους εἶχεν δορυφόρους καὶ θεραπευτὰς, ἄγοντας αὐτὸν μετὰ καλῆς τῆς ἐλπίδος εἰς τὸν τόπον τῆς ἀναπαύσεως· ὁ δὲ ἀποθανών φησιν ἐτάφη. οὐδὲν γὰρ οἷον αὐτῇ χρήσασθαι τῇ λέξει τῇ γραφικῇ ἱκανῶς διὰ μιᾶς λέξεως ἑρμηνευούσῃ τὴν ἄτιμον τοῦ πλουσίου κατάλυσιν. ὁ γὰρ ἁμαρτωλὸς τελευτῶν, ὄντως θάπτεται, χθόνιος ὢν τὸ σῶμα, γήϊνος δὲ καὶ τὴν ψυχὴν, καὶ τὸ φυσικὸν ἐκεί-

leris vel flagitij molitur, vt carni per voluptatem atque delicias gratificetur. Quem ipſum apertiùs deſcribit Dominus in enumeratione beatorum, vbi primo loco dicit: *Beati pauperes ſpiritu.* Non Matth. 5. v. 3.
omnis igitur pauper iuſtus; ſed ille qui Lazari ſimilis: neq; diues omnis damnatus; ſed ille qui vitam inſtituit quomodo Lazari æqualis, aliiq; ipſa vitæ huius teſtes & imitatores. Quis enim cæleſti illo Iobo opulentior? Neque tamen eum nimia illa rerum omnium copia & affluentia aut à iuſtitiâ abalienauit, aut, vt breuiter dicam, à virtutis orbitâ demouit. Contrà, quis Iſcariote Iudâ pauperior? Neque tamen vel minimùm ad ſalutem ei profuit egeſtas: verùm cùm & vndecim pauperibus ac philoſophis, & ipſi Chriſto Domino, qui vo- 2. Cor. 8. v. 9.
luntariam cauſsâ noſtrâ paupertatem ſuſceperat, contubernio iunctus eſſet, nimiâ cupiditate & auaritiâ abreptus, proditionis ſcelus molitus eſt. Operæpretium autem erit, vtriuſque elationem defuncti prudenter examinare. Pauper enim cùm obdormiſſet, Angelos ipſos habuit comites ac miniſtros, à quibus ad locum requietis optimæ ſpei plenus deferretur; alter poſt mortem ſepultus eſt. Nihil enim ſatius quàm ipſam afferre Scripturam, quæ vel vno verbo infamem diuitis exitum ſatis declarat. Mortuus quippe peccator verè ſepelitur, quoniam corpore & animo iuxtà terreſtris eſt, ac naturalem huius

 digni-

dignitatem coniunctione & ſympathiâ carnis ad ſordes fæceſq; terrenas deorſum trahit, nullumque poſteritati profuturum vitæ ſuæ monumētum relinquens, ignobiliq; tectus obliuione, ſimilem pecudibus exitum ſortitur. Nam & corpus ſepulcrum, & animam infernus habet; ac quaſi tenebroſi duo carceres pœnam ſceleſti & vltionem partiuntur. Et quis, obſecro, miſerum & infelicem ſtultitię non incuſet? qui quidem, dum inter homines ageret, magna ſpirabat, ſeſeq; efferēs, omnes qui cum ipſo verſarentur deſpicatui habebat, & obuios quoſque tantum-non formicas atque vermes ducebat, inani faſtu fluxæq; & fugacis opinione gloriæ pænè diruptus; at verò cùm ab hac vitâ auelleretur, & tāquam maſtigia ſpoliaretur alienis, quorum ſe dominum per humanam amētiam eſſe crediderat, ad oppoſitam arrogantiæ delabitur humilitatem animiq demiſſionem, & auiculę lugentis inſtar lamentans, & multa fruſtrà deblaterans, Patriarcham implorat, miſericordiámque precatur, quam ipſe non vſurpauerat, cùm ei benefaciendi facultas in manibus eſſet. Petit deniq. & flagitat, vt ipſe Lazarus auxiliator aduerſus flammas & incēdium adueniat, vtq. leproſi digitum in aquam intinctum adlambere aliquantum ſibi detur. Talis nimirum ac tanta eorum ſtultitia, qui corporis huius nimiùm amantes: hic exitus eorum, qui diuitiarum deliciarumq. ſupra modum ſtudioſi. Eoq. ſapientem ac multùm in poſterum proſpi-

νης ἀξίωμα τῇ συμπαθείᾳ τῆς σαρκὸς πρὸς τὴν ὕλην καταγαγὼν, οὐδὲν χρηστὸν τῆς ἑαυτοῦ ζωῆς καταλιμπάνων ὑπόμνημα, λήθῃ δὲ ἀτίμῳ καλυπτόμενος, καὶ τὸν τῶν βοσκημάτων θάνατον τελευτῶν. τάφος μὲν γὰρ ἔχει τὸ σῶμα, ᾅδης δὲ τὴν ψυχήν· δύο σκοτεινὰ δεσμωτήρια, μεριζόμενα τοῦ πονηροῦ τὴν τιμωρίαν. καὶ τίς οὐκ ἂν τῆς ἀβουλείας τὸν ἄθλιον καταμέμψαιτο; ἡνίκα μὲν ὑπὲρ γῆς ἦν, γαυριοῦντα, μεγαλαυχούμενον, πάντων ὑπερφρονοῦντα, τῶν συζώντων καὶ ὁμοφύλων, καὶ μονονουχὶ μύρμηκας καὶ σκώληκας ἀποκαλοῦντα τοὺς ἐντυγχάνοντας, κενῷ δὲ φρονήματι τῆς ὀλιγοχρονίου δόξης διαρρηγνύμενον· ἡνίκα δὲ ἀπεσπάσθη τοῦ βίου, καὶ ὡς μαστιγίας δοῦλος ἀφῃρέθη τῶν ἀλλοτρίων, ὧν ἐξ ἀνοίας ἐνόμιζεν εἶναι δεσπότης, εἰς ἀντίρροπον τῆς ὑπερηφανείας καταφέρεται ταπεινότητα, καὶ γραὸς θρηνούσης ὀδυρμοὺς προβαλλόμενος, μακρὰ καὶ ἀνόητα τὸν πατριάρχην ἐπικαλεῖται λέγων· ζητῶν ἔλεον, ὃν οὐκ ἔδωκεν, ἡνίκα τοῦ εὐεργετεῖν πρόχειρον εἶχεν τὴν ἐξουσίαν. ἀξιοῖ δὲ αὐτῷ βοηθὸν κατὰ τοῦ πυρὸς ἀφικέσθαι τὸν Λάζαρον· εὐχόμενος ἀπομυζῆσαι τοῦ λεπροῦ τὸν δάκτυλον ὀλίγον νενοτισμένον ὕδατι. τοιαῦται τῶν φιλοσωμάτων αἱ ἀβουλίαι· τοῦτο τῶν φιλοπλούτων καὶ φιληδόνων τὸ τέλος. καὶ προσήκει τὸν συνετὸν καὶ προ-

μαθῆ

μνηθῇ τοῦ μέλλοντος, οἷον φάρμακόν τι προφυλακτικὸν νοσήματος τὴν παραβολὴν ἡγησάμενοι, φυγεῖν τῶν ὁμοίων κακῶν τὴν πεῖραν· τὸ συμπαθὲς καὶ φιλάνθρωπον, ὡς αἴτια τῆς ζωῆς τῆς μελλούσης, ἀσκήσαντα. δραματικῶς γὰρ ἡμῖν ὁ λόγος τὴν νουθεσίαν ἐπὶ προσώπων ὡρισμένων ἐξέθετο, ἵνα ἐμψύχως καὶ δεικτικῶς παιδευθέντες τῆς ἀγαθῆς πολιτείας τὸν νόμον, μηδέποτε καταφρονήσωμεν τῶν τῆς γραφῆς παραγγελμάτων, ὡς ἄχρι λόγου μόνον φοβούντων, οὐ μὴν τὴν ἀπειλὴν προαγόντων εἰς τιμωρίαν. οἶδα γὰρ ὡς οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ταῖς τοιαύταις ὑπονοίαις δελεαζόμενοι, ἀκώλυτον ἑαυτοῖς τοῦ ἁμαρτάνειν τὴν ἐξουσίαν χαρίζονται. πᾶν δὲ τοὐναντίον παρὰ τῆς προκειμένης γραφῆς διδασκόμεθα, ὡς οὐδὲ συγγνώμην τις τῆς ἐκεῖ κρίσεως ἐπελαφρύνει τὴν κόλασιν, οὐδ' ἐλαττοῖ τὴν ὡρισμένην τιμωρίαν φιλανθρωπία· εἴ γε δεῖ ταῖς φωναῖς τοῦ πατριάρχου τεκμηριώσασθαι τὸν λόγον. πολλὰ γὰρ ἱκετευθεὶς παρὰ τοῦ πλουσίου, καὶ μυρίων ἐλεεινῶν ἐπακούσας φωνῶν, οὔτε ταῖς ὀδυρμοῖς ἐπεκλάσθη, οὔτε τῆς ὀδύνης ἐξείλετο τὸν πικρῶς μαστιζόμενον, ἀλλ' ἰσχυρῷ τῷ φρονήματι τὴν δικαίαν κρίσιν ἐκύρωσεν, εἰπὼν, ὅτι πρὸς ἀξίαν ἑκάστῳ διεκλήρωσεν ὁ Θεός· καί σοι μὲν ἐπὶ τοῦ βίου τρυφήσαντι κατὰ τῶν ἀλλοτρίων συμφορῶν, δίκη τοῦ πλημμελήματος ἐπετέθη ἃ πάσχεις, τῷ δ' ἐκεῖ μοχθήσαντι καὶ παθόντι καὶ πικρῶς ἀνασχομένῳ τῆς ἐνσάρκου ζωῆς, γλυκεῖά τις καὶ εὐφραίνουσα ἡ ἐνθάδε ἀπενεμήθη κατάστασις.

cientem hominem decet, medicamenti vicem ad morbos auertendos hanc parabolam habere; tum humanitate & miſericordiâ, tamquam futuræ vitæ conciliatricibus, malorum huiuſcemodi diſcrimina declinare. Dramatica enim hęc oratio ac certis attributa perſonis, quò per demonſtrationem ac viuas imagines benè viuendi legem edocti, ſacra monita ac præcepta numquam aſpernemur, perinde quaſi verbis tantùm terrorem incutiant, & inanes intra minas cõſiſtant. Nec enim me fallit, multos mortales huiuſcemodi cogitationibus delenitos peccandi ſibi ipſis licentiam condonare. Verùm alia nos omnia locus hic Scripturæ docet, ipſiuſque Patriarchæ teſtimonio nulla iudicij illius pœnam venia leuat, nulla decretam mitigat vltionem clemẽtia. Nam etſi multis & miſerabilibus Patriarcham verbis diues obſecraſſet, nullis ille flecti potuit lamentis, vt grauiſſimorũ cruciatuum doloribus eum eximeret; ſed maturo conſilio iuſtam ad hunc modum ſententiam confirmauit: Deus vnumquemq. pro meritis condignè muneratur: ac tu quidem, qui dum viueres, alienâ cum iniuriâ luxu deliciiſque diffluebas, peccati pœnam in præſentiâ luis; iſte autem, qui miſeram & acerbam in terris vitam exegit, in lætum huc atque iucundum, re conuerſâ, traductus eſt ſtatum.

Addidit, vaſtum immanemque hiatum infelices illos à beatis dirimere, & omni prorſus intercedere commercio, quò ſeorſum vtriq. degant, ac diſtinctè ſuam habeant quà bonorum quà miſeriarum ſortem. Verùm aliud, meo quidem animo, non tam ſenſu quàm intellectu percipiendum occultè hæc parabola deſignat. Non enim profectò cogitandum, foſſam illic aut ſcrobem, qualis in caſtris arcendis hoſtibus fieri ſolet, ab Angelis re ipſâ ductam; ſed potiùs à Lucâ, dum diſcidium ſeiunctionemque eorum adumbrare ſtudet, qui per virtutem quique ſecùs vitam coluerunt, ſimilitudinem hanc & imaginem hiatus propoſitam fuiſſe. Et hanc cogitationem noſtram velut ſigillo concludit Eſaias, ita

Eſaiæ 59. quodammodò loquens: *An non valida ſatis manus Domini ad ſeruandum, aut aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat? imò verò peccata veſtra diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum.*

πρὸς δὲ τούτοις καὶ χάσμα μέγα εἶναί φησιν, τὸ κωλῦον αὐτοὺς τὴν πρὸς ἀλλήλους ἐπιμιξίαν, καὶ διεῖργον τοὺς τιμωρουμένους ἀπὸ τῶν τιμωμένων, ἵνα εὐκρινῶς διάγωσιν ἀπ' ἀλλήλων ἀμφότεροι ἀσύγχυτον ἔχοντες τῶν ἀγαθῶν καὶ τῶν κακῶν τὴν ἀπόλαυσιν. οἶμαι δὲ τὴν αἰσθητὴν παραβολὴν νοητῆς εἶναι θεωρίας αἴνιγμα. οὐ γὰρ δὴ τάφρον ὄντως ἐννοήσωμεν ἐκεῖ πρὸς τῶν ἀγγέλων διορυχθεῖσαν, οἷα περ ἐν τοῖς στρατοπέδοις γίνεται τὰ τῶν πολεμίων μεταίχμια· ἀλλὰ τὸν χωρισμὸν ἡμῖν ὁ Λουκᾶς ὑπογράφων, ὃν ἀπ' ἀλλήλων εἰσὶ κεχωρισμένοι οἵ τε κατ' ἀρετὴν καὶ οἱ ἑτέρως ζήσαντες, ὑπέθετο τὴν εἰκόνα τοῦ χάσματος. ἐπισφραγίζεται τὴν διάνοιαν ἡμῶν ταύτην καὶ Ἡσαΐας οὕτω πως λέγων· μὴ οὐκ ἰσχύει ἡ χεὶρ Κυρίου τοῦ „
σῶσαι, ἢ ἐβάρυνε τὸ οὖς αὐτοῦ τοῦ μὴ „
ἀκοῦσαι; ἀλλὰ τὰ ἁμαρτήματα ὑμῶν „
διϊστῶσιν ἀναμέσον ὑμῶν καὶ ἀναμέσον „
τοῦ Θεοῦ. „

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

TOY

# ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΟΜΙΛΙΑ

**εἰς τὸ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγελίου, εἰς τὸν Οἰκονόμον τῆς ἀδικίας.**

Πολλάκις ὑμῖν εἶπον διαλεγόμενος, ὅτι πεπλασμένη τὶς καὶ ψευδὴς ἔννοια τοῖς ἀνθρώποις ἐμπεσοῦσα πληθύνει τὰ ἁμαρτήματα, καὶ ἐλαττοῖ τὰ ἀγαθὰ ἅπερ ἕκαστος ὀφείλομεν ἐπὶ τῆς ἑαυτῶν πολιτείας ἀσκεῖν. αὕτη δέ ἐστι, τὸ νομίζειν ὅτι πάντα ὅσα ἔχομεν ἐν τῇ χρήσει τοῦ βίου ὡς κύριοι κεκτήμεθα καὶ δεσπόται. καὶ ταύτης ἕνεκεν τῆς ὑπολήψεως σφοδρῶς ὑπὲρ αὐτῶν διαμαχόμεθα, καὶ πολεμοῦμεν, καὶ δικαζόμεθα, καὶ εἰς ἄκρον αὐτῶν περιεχόμεθα ὡς ἐξαιρέτων κτημάτων. ἡ δὲ ἀλήθεια οὐχ οὕτως ἔχει, ἀλλὰ καὶ σφόδρα ἐναντίως. πάντα γάρ, ὧν ἀπολαύομεν, οὐχ ἡμέτερα· οὔτε μὴν ἡμεῖς ὡς αὐθένται καὶ κύριοι τοῦ βίου τούτου ὡς ἡμετέρᾳ οἰκίᾳ ἐνῳκίσθημεν· ἀλλ᾽ ὡς πάροικοι καὶ ἐπήλυδες, καὶ μεταστάσαι ἀγόμεθα ὅπου οὐ θέλομεν, καὶ ἡνίκα οὐ προσεδοκῶμεν, ἀφαιρούμεθα δὲ τῶν ὄντων ὅταν δόξῃ τῷ κυρίῳ τῆς κτήσεως. διὸ καὶ εὐμετάβολον χρῆμά ἐστι τὸ τῆς ἐπικήρου ταύτης ζωῆς. καὶ ὁ σήμερον ἔνδοξος, αὔριον ἐλεεινὸς, οἴκτου καὶ βοηθείας ἄξιος· ὁ νῦν εὔπορος καὶ εὐθηνούμενος ταῖς ὕλαις τοῦ πλούτου, πένης μετὰ μικρὸν οὐδὲ τὸν ἄρτον οἴκοθεν

# EIVSDEM HOMILIA

*In locum Euangelij ſecũdùm Lucam,*
de Oeconomo iniquitatis.

INter diſſerendum ſæpenumerò vobis dixi, quòd commẽticiâ ac falsâ quadam notione mentibus hominum inſitâ cùm peccata multiplicantur, tum opera bona, quæ præſtare quiſque noſtrûm hac in vitâ debemus, retardantur. Hæc autem illa eſt, quæ cuncta, quibus vtimur, fruimur, nexu mancipioque noſtra eſſe nobis perſuadet. Ab hac opinione eſt quòd magnâ contentione de illis litigamus, pugnamus, digladiamur, ac, ceu præcipua quædam & eximia bona, maximè ea amamus & æſtimamus. Verùm longè ſecùs, imò planè contrà ſeſe res habet. Nihil enim quidquam eorum quæ poſſidemus, verè noſtrum eſt: ac ne nos quidem ipſi tamquam domini hîc in terris, ac velut propriâ ſede & domo commoramur; ſed quaſi inquilini & aduenę, vel potiùs exſules nolentes ac nec opinantes abripimur, fortuniſque ſimul omnibus, cùm rerum Domino viſum fuerit, exuimur. Ad ſummam, facillimè res fluxæ huius vitæ mutantur: & qui hodie clarus & illuſtris, cras miſeratione & ope dignus; qui in præſentiâ locuples ac diuitiis affluens, paullò pòſt egere, vixque domi panem


ad

ad victum habere deprehenditur. Et hoc maximè Deus nobis hominibus præſtat, quòd ſemper idem & in eodem ſit ſtatu, vitamque & gloriam ac potentiam poſſideat ſempiternam. Vnde autem exordium hoc ſermonis deſumptum, prudentes ac litterati facilè profectò iam animaduertunt. A Lucæ nimirum parabolâ, quam huius intuitu rei de illo bonorũ alienorum diſpenſatore commentus eſt; quem gementem ac plorãtem deſcribit, poſtquam tamquam prodigus ac diſſipator ex domino bonorum audierat: *Redde rationem* Lucæ 16. v. 2. *villicationis*, & quamprimùm hinc abi: non enim vltrà rebus te meis illudere perque voluptatem abuti quaſi propriis ſinam. Eſt autem hæc non vera rei narratio; ſed ficta parabola, quæ ſermone quodam obumbrato moralẽ virtutem nos docet. Itaque noueris quiſquis es, rerũ tibi alienarum diſpenſationem eſſe delegatam, eiectaq. prorſus ex animo poteſtatis herilis arrogantiâ, diſpẽſatoris & œconomi rationibus reddendis obnoxij circumſpectionem & humilitatem ſume, Dominumque ſemper exſpectans, codicem ac tabulas rationum ſollicitè compara. Inquilinus enim es, & ad breue tempus, velut in tranſitu conceſſa tibi vſura. Quòd ſi in notis ac familiaribus etiam hæſitas, ab ipsâ re & experientiâ diſce, quæ magiſtra eſt minimè fallax. Prędium poſſide vel ex hereditate maiorũ, vel ex aliquo contractu: me-

ἔχων ὃν προσεφέρητο εἰς ζωήν. καὶ τούτῳ μάλιστα ὁ Θεὸς ἡμῶν τῶν θνητῶν ὑπερέχει τῷ ἀεὶ ὁ αὐτὸς εἶναι, καὶ ὡσαύτως ἔχειν, καὶ ἀναφαίρετον κεκτῆσθαι ζωὴν, καὶ δόξαν καὶ δύναμιν. πόθεν οὖν εἰς ταύτην ἦλθον τὴν ἀρχὴν τοῦ λόγου, ἢ τάχα γνώριμον ἤδη τυγχάνει τοῖς νοῦν ἔχουσι καὶ φιλολόγοις. ὁ Λουκᾶς ἡμῖν παραβολὴν ἀναπλάσας ὑπηνίξατο ἀρτίως, ἐν ᾗ τὸν οἰκονόμον τῶν ἀλλοτρίων ὑπογράφει στενούμενον καὶ θλιβόμενον. ἐπειδὴ ὡς ἀπατητὴς καὶ πολυδάπανος, ἤκουσεν παρὰ τοῦ κυρίου τῶν χρημάτων καὶ τῶν κτημάτων, ὅτι, δὸς τὸν λόγον τῆς διοικήσεως, καὶ μετάστηθι, οὐ γάρ σε τοῖς ἐμοῖς, ὡς ἰδίοις, ἐντρυφᾶν ἀνέξομαι. τοῦτο δέ ἐστιν οὐ γενομένου πράγματος ἐξήγησις, ἀλλὰ πλάσις παραβολῆς τοῖς ἐπεσκιασμένοις τῶν λόγων ἠθικὴν ἀρετὴν ἐκπαιδεύουσα. γνῶθι τοίνυν ἕκαστος, ὡς ἀλλοτρίων εἶ διοικητὴς, καὶ ῥίψας ἀπὸ τῆς ψυχῆς σου τῆς αὐθεντίας τὴν ὑπερηφανίαν, τὸ τοῦ ὑπευθύνου καὶ οἰκονόμου ἀνάλαβε ταπεινὸν καὶ εὐλαβὲς, ἀεὶ τὸν κύριόν σου ἀναμένων, καὶ μετὰ δειλίας συγγράφων τῆς ἀπολογίας τὸ λογοθέσιον· πάροικος γὰρ εἶ ὀλιγοχρονίου χρήσεως, καὶ παροδικῆς λαβὼν συγχώρησιν. εἰ δὲ ἀμφιβάλλεις ἐπὶ τοῖς γνωρίμοις, κατάμαθε τὰ γινόμενα, καὶ τῇ ἀψευδεῖ διδασκάλῳ τῇ πείρᾳ παιδεύθητι. κέκτησαι χωρίον, ἢ παρὰ πατέρων λαβὼν, ἢ ἀπό τινος συναλλάγματος κύριος γέγονας· ἀναλέγη-

λογίσαι ἐν τῇ μνήμῃ καὶ ἀπαρίθμησαι πάντας, εἰ δύνασαι, τοὺς πρὸ σοῦ κεκτημένους αὐτό. ἐπίβαλλε δὲ καὶ τῷ μέλλοντι χρόνῳ τὸν νοῦν, καὶ πόσοι αὐτοῦ κυριεύσουσι μετὰ σὲ κατανόησον. φράσον δέ μοι, τίνος ἡ δεσποτεία, καὶ τίσι κατ' ἐξαίρετον διαφέρουσα, τοῖς ἐσχηκόσι, τοῖς ἔχουσιν, ἢ τοῖς μέλλουσιν; εἰ γάρ τις ἐκ μηχανῆς πάντας ἀθροίσειεν, εὑρεθήσονται πλείους τῶν βώλων οἱ κεκτημένοι. μᾶλλον δὲ εἴπερ ἀκριβῶς βούλει καταιδεῖν τίνι παρόμοιος ὁ βίος ἡμῶν, μνημόνευσον εἴποτε ὥρᾳ θέρους ὁδοιπορῶν, ἐθεάσω δένδρον ἀμφιθαλές, ἐπὶ πολὺ τοῦ πλάτους καὶ τοῦ μήκους διῆκον, ἱκανὸν τῇ σκιᾷ οἰκίας πληρῶσαι χρείαν· τούτῳ τερφθεὶς ὑπῆλθες, καί, ἐφ' ὅσον ἐξῆν, ἐκεῖσε κατέμεινας. ἐπεὶ δὲ ἔδει πάλιν ἀπαίρειν καί σου βουλομένου τὴν ἄφιξιν, ἕτερος ὁδοιπόρος ἐπέστη· καὶ σὺ μὲν * ἐφόρτους τὴν ἀποσκευήν, ὁ δὲ τὴν ἰδίαν καθῄρει, καὶ πάντα τὰ σὰ ἀθρόον διεδέξατο, τὴν στιβάδα, τὸ πῦρ, τὴν τοῦ δένδρου σκιάν, τὸ παραρρέον ὕδωρ. καὶ ὁ μὲν εἴχετο τῆς ἀνακλίσεως, σὺ δὲ τοῦ πορευτέου. ἐτέρφθη κἀκεῖνος· εἶτα ἀφῆκεν, καὶ τὸ ἓν δένδρον ἐπὶ μιᾶς ἡμέρας ἐγένετο τυχὸν δέκα ξένων ὀλιγοχρόνιον καταγώγιον, καὶ τὸ πάντων γενόμενον, ἑνὸς ἦν τοῦ ὄντως κυρίου. οὑτωσὶ δὲ καὶ αἱ περιουσίαι τῆς ἐνταῦθα διαγωγῆς τέρπουσι μὲν πολλούς, καὶ τρέφουσι· τῆς δεσποτείας μόνῳ τῷ Θεῷ προσηκούσης τὸ ἄφθαρτον

moriâ igitur tecum repete & enumera, ſi potes, quotquot id ipſum ante te poſſederũt. Pòſt deinde futurũ in æuum cogitationem mitte, tecumque reputa, quàm multi numero poſt te eo potientur: ac dic mihi ſodes; cuiuſnam eius dominium, & quodnam eximij diſcriminis inter illos qui aliquando id habuerunt, qui nunc habent, aut deinceps ſunt habituri? Nam ſi quis omnes velut è machinâ congregauerit, domini profectò plures quàm glebæ reperientur. Ampliùs, ſi videre libet expreſſam huius vitæ imaginem, recordare, ſi fortè accidit, aut finge, te aliquando tempore æſtatis arborem in viâ conſpicatum vndique viridem & patulam, lataq́; aptam vmbrâ vel domus vicem implere, propter amœnitatem ei ſucceſſiſſe, &, quâtum licebat, ſub eâ commoratum: dein alium, te iam abituriente, viatorem adſtitiſſe, depoſitáque ſarcinâ, tua abeuntis excepiſſe omnia, ſtratum, ignem, ramorum vmbram ac lympham præterfluentem. Sed & hunc, vbi pauxillum in herbâ, te ambulante, requieſſet, viam rurſus inire cœpiſſe; eamdémque arborem vnâ die decem fortè hoſpitum ad breue tempus diuerſorium extitiſſe, & cunctis vſu patuiſſe, cùm tamen vnius propria domini cenſeretur. Haud aliter ſeſe habent ſtationis huius atque vitæ copiæ & facultates. multos illæ quidem alunt & oblectant; dominium autem earum penes vnum Deum, cui incorruptibilis

& interitus expers vita. In pandocheum etiam aliquando, cùm iter faceres, diuertiſti, ibíque lectum, menſam, pocula, diſcos, aliáque omne genus vaſa reperiſti, cùm nihil quidquam tecum attuliſſes. Et vbi nondum ad ſatietatem iis vſus eſſes, ſuperuenit alius anhelabundus ac puluerulentus, & aliena ceu propria affectans, ad abitum te excitauit & impulit. Talis omnino vita noſtra, fratres, aut ſi quid his quæ diximus magis tranſitorium & caducum. Quare cùm aliquos audio dicentes, Prędium meum ac domus mea, non poſſum ſatis admirari, quomodo quæ ipſorũ non ſunt inani ſyllabâ ſibi vindicent, tribuſq; fallacibus litterulis aliena amplexentur. Sicut enim hiſtrionum perſonas propriè & peculiariter eorum poſſidet nemo; ſed pro re & argumento promiſcuè quiſque ſumit: ita terram fæceſq; terrenas quaſi veſtes ex aliis alij induunt. Dic quæſo, num aliquid regno maius? Atqui ſcrutare quæ regum ſunt: chlamydes conquire regias, quamplurimas ſanè reperies, quæ regum multorum corpora texerint: quod & de coronis, fibulis, zonis cenſendum: omnia nempe hereditatem inſtabilem, vſumq; eorum communem, & ab iis qui abeunt, ad alios qui remanẽt tranſeuntem. Quid autem & quanti tota illa quam Præſides obtinent ſcena; argenteum vehiculum & virga aurea? Non ſemper iſta à Præſide habentur, numquam certè ab eodem,

καὶ ἀνόλεθρον ἔχοντι τὴν ζωήν. ἐθεάσω καὶ πανδοχεῖον, ἐφ' ὃ πάντως ὀλιγίαν κατέλυσας, ἔλαβες δὲ ἐκεῖθεν πολλὰ, βαστάζων μηδὲν, κλίνην, τράπεζαν, ἐκπώματα, πίνακα, ἄλλα σκεύη παντοδαπά. οὐδέπω δέ σου πρὸς αὐτάρκειαν χρησαμένου, ἧκεν ἄλλος τις πνευστιῶν, κεκονιαμένος, κατεπείγων σε καὶ ἐξεγείρων τοῦ πανδοχείου, καὶ ζητῶν τὰ ἀλλότρια ὡς ἐξαίρετα. τοιοῦτος ἡμῶν ὁ βίος, ἀδελφοί, καὶ ἔτι τῶν λεχθέντων παροδικώτερον. ἐγὼ δὲ θαυμάζω τοὺς λέγοντας, τὸ χωρίον μου, καὶ, ἡ οἰκία μου, ὅπως ματαίᾳ συλλαβῇ ἐξοικειοῦνται τὰ μὴ προσήκοντα, καὶ τρισὶ στοιχείοις ἀπατηλοῖς ἐναγκαλίζονται τὰ ἀλλότρια. ὡς γὰρ τὰ τῶν θαυματοποιῶν προσωπεῖα ἔχει μὲν οὐδεὶς κατεξαίρετον, πάντες δὲ ἐπιτίθενται οἱ τῶν δραμάτων ὑποκριταί· οὕτως τὴν γῆν καὶ τὰς ἀπ' ἐκείνης ὕλας ἄλλοι ἐξ ἄλλων ὡς ἱμάτια μετενδύονται. μή τι βασιλείας, εἰπέ μοι, δυνατώτερον; ἀλλ' ὅμως ἐρεύνησον τὰ βασίλεια, ζήτησον χλαμύδας βασιλικάς· εὑρήσεις δὲ ταύτας ἱκανάς, αἳ πολλῶν βασιλέων ἐνέδυσαν σώματα. ὁμοίως δὲ καὶ τοὺς στεφάνους καὶ τὰς πόρπας καὶ τὰς ζώνας, πάντα κληρονομίαν ἄστατον, χρῆσιν κοινὴν ἀπὸ τῶν ὁδευόντων εἰς τοὺς μένοντας ἀπομείνασαν. τί δὲ τῆς τῶν ὑπαρχόντων ἀξίας ἡ σκηνή, τὸ ἀργυροῦν ὄχημα, ἡ καλαμὶς ἡ χρυσῆ; οὐκ ἀεὶ ταῦτα ἔχει τὸν ὕπαρχον, καὶ οὐδέποτε τὸν αὐτόν,

εἰ μὴ

Digitized by Google

εἰ μὴ πρὸς ὀλίγον ἕκαστον. ὡς γὰρ ἡ κλίνη τῆς ἐκφορᾶς, ἄλλοτε ἄλλα δέχεται σώματα· οὕτως καὶ τῶν ἀρχῶν τὰ σύμβολα τοὺς χρωμένους ἀμείβει. ἐντεῦθεν καὶ ὁ ἀπόστολος ἡμῖν ἐβόα πλείστας φωνὰς ταύτης τῆς διανοίας παιδευτικάς.

παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου, „ καὶ τὸ, ὡς μηδὲν ἔχοντες, καὶ πάντα κατέχοντες. καὶ τὸ, οἱ χρώμενοι, ὡς μὴ παραχρώμενοι. πάντα γὰρ ταῦτα πρὸς ἕνα τείνει σκοπὸν, ὅτι προσήκει, ὡς ἐφημέρους ἡμᾶς διαζῆν, ἀναμένοντας τῆς ἐξόδου τὸ σύνθημα. καὶ ἵνα καταμάθῃς ἀκριβῶς, ὅτι νόμοις ὑπόκεισαι καὶ κανόσι δεσποτικοῖς, καθ' οὓς σε προσήκει ἀκριβῶς διορθοῦσθαι· ἀπὸ σαυτοῦ πρῶτον κατανόησον, ὅτι καὶ τὸ σῶμά σου καὶ ἡ ψυχὴ πανταχόθεν τοῖς τῆς ἀρετῆς ὑπόκειται παραγγέλμασιν, καὶ οὐδὲ σαυτοῦ κύριος εἶ, ἀλλὰ προσήκει σε οἰκονομεῖν καὶ λόγον καὶ πρᾶξιν, καὶ [illegible] τῆς ζωῆς σου κίνημα. ἔλαβες σῶμα παρὰ τοῦ κτίσαντος ἐκ πολλῶν μορίων συγκείμενον, καὶ πέντε αἰσθήσεσιν εἰς τὰς τῆς ζωῆς χρείας οἰκονομούμενον. εἰσὶ δὲ οὐδὲ αὗται ἐλεύθεροι καὶ αὐτόνομοι, ἀλλ' ἑκάστη δούλη νόμων ἐστίν. καὶ πρῶτος ἀκούει ὀφθαλμός. βλέπε φύσιν, καὶ θεώρει ἃ βλέπειν καλόν· ἥλιον πᾶσαν τὴν οἰκουμένην φωτίζοντα, σελήνην τὸ σκυθρωπὸν καὶ ζοφῶδες τῆς νυκτὸς καταυγάζουσαν, τοὺς ἄλλους ἀστέρας οὐ πολὺ μὲν οὐδὲ αὐτάρκες ἡμῖν τὸ παρ' ἑαυτῶν φῶς χορηγοῦντας, πλὴν τὸ κάλλος ὃ

niſi fortè ad exigui temporis vſuram. Sicut enim feretrum aur ſandapila alia ſubinde cadauera ſuſcipit: ita principum virorum inſignia vtentes identidem commutant. Vnde & frequentes Apoſtoli nobis erudiendis in hanc ferè ſententiam voces. Repræſentat enim huius mundi faciem illud, *Tamquam nihil habentes, & tamen omnia poßidentes.* &, *Vtentes, tamquam non vtentes.* 2. Cor. 6. v. 10. 1. Cor. 7. v. 31. Hæc enim omnia ad vnum ſcopum tendunt, quòd velut in diem hîc viuere debeamus, ſemperque exitus ſignum ac teſſeram expectare. Et quò plenius diſcas, legibus re & regulis ſubiici Dominicis, ad quas omnia dirigenda ſint, teipſum inprimis intuere, & conſidera, tam corporis aſpectu quàm animi, præceptis virtutis teneri, neque tuæ ſpontis tuíve dominum ipſius eſſe, ſed cùm ſermonem tum actiones, atque adeò quoſcumque vitæ motus lege certâ habendos. Accepiſti corpus à Creatore ex partibus pluribus compoſitum, & quinq ſenſibus ad vſum cõmoditatemque vitæ inſtructum, qui nec ipſi liberi ſunt, verùm pro ſe quiſque legibus certis adſtringuntur. Et quod ad viſum quidem attinet, qui princeps cenſetur: contuere naturam, & contemplare quæ viſu pulchra ac præclara. ſolem rerrarũ orbem colluſtrantem, lunam triſtem & obſcuram faciem noctis illuminantem: ſtellas ceteras exiguum illas quidem neq nobis ſufficiens ex ſeſe lumen prębentes, verùm tamen decus

neſcio quod ſpeciemq; ſcintillan-
tem quam ſortita ſunt eiaculan-
tes. Aſpice terram plantis omnige-
nis herbiſque comantem, ac mare
æquabilem in planiciem expan-
ſum, vbi pura tranquillitas ſtrauit
ac fixit. Ad hæc & talia licet ocu-
lis vtare: cetera verò ſpectacula, quę
per oculos noxam animæ inferũt,
fuge & prætercurre, velumque ne
videant obducito. Satius enim ſen-
ſui tenebras inducere, quàm operi-
bus tenebrarum occaſionem præ-
bere. Et ideò per Matthæum he-
ſternâ nobis die Dominus dixit:
Matth. 5. v. 28. *Quicumque aſpexerit vxorem al-
terius ad eam concupiſcendam, iam
adulterium cum eâ cõmiſit in corde*
Matth. 18. 8. *ſuo*. Ac vel pręſtet oculum proiice-
re cùm ad fœda ac noxia reſpicit.
Sed & auribus ſuæ leges, ſuæ cau-
tiones. Ad ſanos enim ſanctóſque
ſermones inclinare & patefacere
eas oportet, ac per iſtos quaſi tubos
ad animum bona dicta tranſmit-
tere. At ſi quis vitiorum aſſecla pe-
ſtilenſq; & pernicioſus homo pro-
piùs accedit, vt peccati cœnum per
aures infundat, vitandus ille & fu-
giendus nõ aliter quàm genus illud
ferarum quę toxicum eiaculantur.
Os etiam & lingua cõtineantur, vt
bona tantùm & honeſta promant,
à fœdis & vetitis abſtineant: à ma-
ledictis inquam, ſycophantiis, calumniâ, contentione cum fratribus ac
blaſphemiâ contra Deum; eorumq; vice proferant atq. enuntient quæ-
cumque pia, quæcumque religioſa, quæcumque bonorum operum

ἔλαχον, ἀποστίλβοντας. θεώρει γῆν φυ-
τοῖς παντοδαποῖς καὶ βοτάναις κομῶ-
σαν, θάλασσαν ἡπλωμένην ὡς πεδίον
ὁμαλὲς, ὅταν εἰς καθαρὰν γαλήνην πα-
γῇ. εἰς ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα κατακέ-
χρησο τῷ ὁρᾷν· τὰς δὲ ἄλλας θέας, ὅσαι
διὰ τῆς ὄψεως τὴν βλάβην ἐπεισάγου-
σι τῇ ψυχῇ, φεῦγε καὶ παράτρεχε, καὶ
ἐπιτίθει σαυτῷ κάλυμμα, ἵνα μὴ βλέ-
πῃ. βέλτιον γὰρ σκοτίσαι τὴν αἴσθησιν,
ὅταν τῶν ἔργων τοῦ σκότους τὴν αἰτίαν
παρέχει. διὰ τοῦτο χθὲς ἔλεγεν ἡμῖν ὁ Κύ-
ριος διὰ Ματθαίου· πᾶς ὁ βλέπων »
γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι, ἤδη ἐ- »
μοίχευσεν αὐτὴν ἐν τῇ καρδίᾳ. καὶ βέλ- »
τιον ἐκκόπτειν αὐτὸν, ὅταν ἄτακτα βλέ-
πει καὶ ἐπιζήμια. καὶ ἡ ἀκοὴ παραγ-
γέλματα κωλυτικὰ πάσης ἀκρασίας.
χρὴ γὰρ αὐτὴν, ὅταν μὲν ἀγαθόν τινος
ἀκούῃ, ἀναπεπταμένην εἶναι, καὶ δι' ἑαυ-
τῆς τῇ ψυχῇ παραπέμπειν τῶν συμφε-
ρόντων λόγων τὴν αἴσθησιν. εἰ δέ τις κα-
κίας ἑταῖρος καὶ λοιμὸς καὶ φθορεὺς πλη-
σιάσας αὐτῇ, ἐπαντλεῖν μέλλει τῆς ἁ-
μαρτίας τὸν βόρβορον, δεῖ φεύγειν αὐ-
τὸν, ὡς ἰοβόλον θηρίον. σωφρονείτω καὶ
ἡ γλῶσσα μετὰ τοῦ στόματος, λαλεί-
τω τὰ δίκαια· τῶν δὲ ἀπηγορευμένων
ἀπεχέσθω, λοιδοριῶν, συκοφαντιῶν,
κατηγορίας ἀδίκου, καταλαλίας τῆς
κατὰ τῶν ἀδελφῶν, βλασφημίας τῆς
πρὸς Θεόν. φθεγγέσθω δὲ ὅσα εὔφη-
μα, ὅσα εὐσεβῆ, ὅσα πράξεων ἀγαθῶν
ἔχει

ἔχει τὴν συμβουλήν. καὶ λεγέτω πᾶς
» ἄνθρωπος τὰ τοῦ ἱεροψάλτου· εἶπα, φυ-
» λάξω τὰς ὁδούς μου, τοῦ μὴ ἁμαρτά-
» νειν με ἐν γλώσσῃ μου. καὶ τό· ταῖς
» γλώσσαις αὐτῶν ἐδολιοῦσαν, καὶ τό· τί
» ἐγκαυχᾷ ἐν κακίᾳ ὁ δυνατὸς ἀνομίαν
» ὅλην τὴν ἡμέραν. ἀδικίαν ἐλογίσατο ἡ
» γλῶσσά σου. ὡσεὶ ξυρὸν ἠκονημένον ἐ-
» ποίησας δόλον. γενέσθω τῶν ὠφελούν-
των τὸ στόμα. σωφρονείτω καὶ ἡ ῥὶς μὴ
ξυφὴν ἀεὶ ὀσφραινομένη, μηδὲ μύρων
πολυτελῶν ἀτμοὺς εὐώδεις ἐπὶ τὴν κε-
φαλὴν ἀνέλκουσα· τῶν γὰρ τοιούτων καὶ ὁ
Ἠσαΐας σφοδρῶς ἔξω κατήγορος. μεμ-
νήσθω καὶ ἡ χεὶρ τῶν ἐντολῶν, ἵνα μὴ
πάντων ἀκωλύτως ἅπτηται. ἐκτεινέσθω
πρὸς ἐλεημοσύνην, μὴ πρὸς ἁρπαγήν.
τηρείτω τὰ ἴδια, μὴ συναγέτω τὰ ἀλλό-
τρια. ἁπτέσθω σωμάτων νωθρῶν καὶ κε-
κακωμένων δι' ἀγαθῆς ἐπισκέψεως, μὴ
τῶν σφριγώντων καὶ ταῖς πορνείαις ἀεὶ
σχολαζόντων. ἔδειξεν ἡμῖν ὁ λόγος, ὡς καὶ
αὐτοὶ ἑαυτῶν οὐ δεσπόται ἐσμὲν, ἀλλ' οἰ-
κονόμοι. πᾶν γὰρ τὸ νόμοις ὑποκείμενον
καὶ προστάγμασι, δοῦλον τοῦ νομοθέ-
του ἐστὶ καὶ ὑπήκοον. εἰ δὲ τὰ μόρια τοῦ
σώματος ἡμῶν οὐκ ἐλεύθερα ἐξου-
σίας, ἀλλὰ δεσποτικῷ βουλήματι πρὸς
τῆς ἐνεργείας κανονιζόμενα· τί ἂν εἴποι
τις πρὸς τοὺς οἰομένους, χρυσοῦ, καὶ ἀρ-
γύρου, καὶ γῆς, καὶ τῶν ἄλλων ὑλῶν ἀνεύ-
θυνον ἔχειν τὴν κτῆσιν. οὐδὲν σὸν, ἄν-
θρωπε· σὺ δοῦλος, καὶ τὰ σὰ τοῦ κυρίου.

cauſſa & incentiuum. Sacri deni-
que Pſaltæ quiſque hæc vſurpet:
*Dixi, Cuſtodiam vias meas, ne pec-* Pſal. 39. v. 1.
*cem lingua mea.* &, *Linguis ſuis do-* Pſal. 5.
*loſè agebant*. ac prætereà: *Quid* v. 11. Pſal. 41.
*gloriatur in malitiâ qui potens eſt* v. 1.
*in iniquitate? Totâ die iniuſtitiam
cogitauit lingua ipſius. Sicut noua-
cula acuta feciſti dolum*. Ad ſum-
mam, ſit & os inter ea quæ proſunt.
Ac naribus quoque & odoratui
modus adhibeatur, ne voluptati
deditæ nimiùm ſint, vnguento-
rumq; pretioſorum fragrantes ha-
litus conſectentur. In tales enim
Eſaias acriter inuehitur. Quin ma- Eſaiæ 3. v. 20. & 24.
nus quoque meminiſſe mandato-
rum debet, ac cauere ne promiſcuè
qualiacumque contrectet. Proten-
datur ad faciẽdam eleëmoſynam;
non ad furtum: tueatur propria,
neque colligat aut comportet alie-
na: corpora ægra ac malè affecta
ad opem ferendam attingat; non
vegeta ac libidinibus ſemper pru-
rientia. Conſtare iam ſatis exiſti-
mo, quòd nec ipſius noſtri domi-
ni ſumus; ſed œconomi tantùm ac
diſpenſatores. Quidquid enim le-
gibus ac præceptis adſtringitur, ipſi
ſubditum & obnoxium eſt legiſla-
tori. Quòd ſi igitur ne ipſæ quidem
corporis noſtri partes ac membra
libera ſuiq; iuris ſunt, ſed voluntate Domini ad functiones ſuas dirigun-
tur & gubernantur; quid his dicemus, qui ſibi perſuadent, auri, argenti,
agri, ceterarumq; rerum plenam ſe poſſeſſionem merumq; dominium
habere? Nihil omnino tuũ, ô bone: tu ſeruus es, & omnia tua Domini,
quia

quia ſeruus liberum peculium non habet. Nudus in hanc lucem prodiiſti, & quæcumque poſſides, ex lege Domini accepiſti. Siue enim hæc ex patrimonio, Deus voluit ac iuſſit, vt liberis exuuias ac ſpolia ſua parẽtes partiantur: ſiue ex matrimonio, hoc ipſum & quæ eò pertinent, à Deo ſunt inſtituta: ſiue denique ex mercaturâ, agriculturâ, aut aliis acquirendi modis, Deo fauente & adiuuante nactus es. Ecce patet itaque, tua non eſſe quę habes: videamus iam quid prę ſcriptum tibi ſit, & qualis eſſe eorum adminiſtratio debeat. Da eſurienti, tege nudum, cura malè affectũ, nec pauperem aut iacentem in triuiis neglige; de te ipſo noli ſollicitus eſſe, aut cogitare, quemadmodum ad diem craſtinum perueniес. Et iſta quidem ſi feceris, à legiſlatore cohoneſtabere; ſi verò mãdatorum rationem nullam habueris, malè mulctabere, grauiterq́; puniere. Hæc profectò mihi nõ videntur eius eſſe, qui ſuus ſibi dominus, cuiq́; libera quidvis agendi poteſtas; ſed omnino contrà, multitudo præceptorum arguit hominem imperio regio legibuſq́; Dominicis ſubditum, à quo præſcriptæ vitæ ratio quaſi debitum aliquod exigetur. Et nos tamen neſcio quomodo tamquam liberam degamus vitam & à rationibus reddendis immunem, miſeros inopéſque deſpicimus, ac miſeriis ſuis immori patimur; cùm interim non dubitemus per ambitionem ac vanitatem ſumptus immodicos facere.

δοῦλος γὰρ ἐλεύθερον πεκούλιον οὐκ ἔχει. γυμνὸς γὰρ ἦλθες εἰς τοῦτο τὸ φῶς. ἔλαβες δὲ ἃ ἔχεις κατὰ νόμον τοῦ κυρίου σου. ἢ κληρονομήσας πατέρα, ἐπειδὴ οὕτως ὁ Θεὸς διετάξατο, γονεῖς γὰρ τέκνοις, φησὶ, μερίζουσι σκῦλα· ἢ ἀπὸ γάμου τὴν ἀπορίαν κτησάμενος, γάμος δὲ καὶ τὰ ἐπ' ἐκείνῳ παρὰ Θεοῦ διατέτακται· ἢ ἀπὸ ἐμπορίας καὶ γεωργίας καὶ τῶν ἄλλων προφάσεων, Θεοῦ πρὸς ἐκεῖνα συμπράξαντος. ἰδοὺ τοίνυν, ἐδείχθη ὅτι ἔλαβες τὰ μή σα. ἴδωμεν τοίνυν λοιπὸν τί σοι ἐπετάχθη, καὶ οἷα ἐπ' ἐκείνοις διοίκησις. δὸς τῷ πεινῶντι, ἔνδυσον τὸν γυμνὸν, θεράπευσον τὸν κεκακωμένον, μὴ περιίδῃς τὸν ἄπορον, τὸν ἐρριμμένον ἐν ταῖς διόδοις· σὺ περὶ σαυτοῦ μὴ μεριμνήσῃς, μηδὲ φροντίσῃς, πῶς διάξεις ἐπὶ τῆς ὑστεραίας. κἂν ταῦτα, φησὶν, ἐργάσῃ, τιμηθήσῃ παρὰ τοῦ νομοθέτου· ἂν δὲ παρακούσῃς τῆς ἐντολῆς, κολασθήσῃ πικρῶς. ταῦτα ἐγὼ οὐ βλέπω τοῦ αὐτεξουσίου, οὐδὲ τοῦ ζῶντος μετ' αὐθεντείας· ἀλλὰ τοὐναντίον τὰ πολλὰ καὶ συνεχῆ προστάγματα ὑποδείκνυσί μοι ἄνθρωπον βασιλευόμενον ἰσχυρῶς, καὶ νόμοις δεσποτικοῖς ὑπεύθυνον, καὶ τὴν κεκανονισμένην πολιτείαν ἀπαιτούμενον ὡς χρέος. ἡμεῖς δὲ πῶς ὡς ἀλογίστευτον ἔχοντες τὸν βίον, τοὺς μὲν ἀθλίους καὶ πενομένους περιορῶμεν ἐντελευτῶντας ταῖς συμφοραῖς· δαπανώμεθα δὲ φιλοτίμως ταῖς ματαιότησι. κολά-

κολάκων πλῆθος ἀσώτων τρέφοντες, καὶ φατρίας κακοδαιμόνων παρασίτων ἐπισυρόμενοι· καὶ αὖθις θηριομάχοις καὶ θηρείοις σκορπίζοντες τὸν πλοῦτον, κἀν ταῖς ἱπποτροφίαις οὐδενὸς τῶν ὄντων φειδόμενοι, καὶ πάλιν θαυματοποιοῖς καὶ μίμοις καὶ τοῖς ἑξῆς ὀλεθρίοις δαπανῶντες τὴν εὐπορίαν. καὶ πρᾶγμα πάσχομεν κενὸν καὶ μανίας ἐγγύς. ἔνθα μὲν γὰρ ἡ δαπάνη φέρει τὸ κέρδος ἀνάριθμον καὶ σωτηρίαν ἀθάνατον, συνέχομεν σφοδρῶς τὸ ἀργύριον, ὡς μηδὲ ὀλίγους ὀβολοὺς τῆς χειρὸς ἐκπεσεῖν· ὅπου δὲ ἁμαρτωλῶν γίνεται τὸ ἀνάλωμα καὶ μυρίων κολάσεων αἴτιον, καὶ αὐτῆς γε τῆς διὰ πυρὸς τιμωρίας, αὐτεπάγγελτοι ῥέομεν (καὶ ἡ φιλοτιμία προσλαμβάνει τὴν αἰτίαν) καὶ πάσας θύρας ἀνοίξαντες ἀφίεμεν τὸν πλοῦτον πρὸς τοὺς ἔξω χωρεῖν. τοῦτο δὲ τὸ φρόνημα οὐκ ἔστι δούλων ἀναμενόντων τὸν κύριον· ἀλλὰ νέων, ἀσώτων, κωμαστῶν, ἀκολάστων. εἰ δὲ θέλεις, ὦ ἀκροατὴς, ἰδεῖν οἰκονόμου σοφοῦ μετὰ σώφρονος εὐλαβείας, διοικοῦντος τὰ πιστευθέντα, ἀνάπτυξον τὴν βίβλον τοῦ Δαβίδ. ζήτησον ἐκείνους τοὺς λόγους ἔνθα φησὶ πρὸς τὸν Θεὸν ὁ ἀνὴρ πολυπραγμονῶν τοῦ ἰδίου τέλους τὴν προθεσμίαν· „γνώρισόν μοι, Κύριε, τὸ πέρας „μου, καὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἡμερῶν μου τίς „ἐστιν, ἵνα γνῶ τί ὑστερῶ ἐγώ. ὁρᾷς ὅπως ὡς ἐν εἰκόνι θεωρεῖται τῷ λόγῳ ἡ τοῦ εὐξαμένου διάθεσις, ὅτι περιδεής ἐστιν, καὶ προορᾷ τὸ μέλλον, καὶ ἀναμένει τὴν κρίσιν

Nam & adulatorum intemperantium multitudinem alimus, & paraſitorum infelicium turbam in comitatu habemus; & cùm in beſtiariorum ac ferarum & generoſorum equorum alimenta, tum in præſtigiatores & mimos alioſque perditiſſimos homines opes exhaurimus: atque adeò rem facimus ſtultitiæ & inſaniæ prorſus adfinem. Nam vbi impenſa lucrum inæſtimabile ſalutemque æternam adfert, compreſsâ manu pecuniam cohibemus, vt ne pauci quidem oboli excidant: vbi verò de ſumptibus iſtiuſmodi agitur, quos & peccata comitantur, & pœnæ infinitæ ac vel ipſum ignis ſupplicium conſequitur, vltrò opes effundimus, totoque oſtio, ambitione iubente, exire permittimus. Qui ſanè nō eſt ſenſus animuſque ſeruorum dominū exſpectantium; ſed iuuenum intemperantium, commiſſatorum ac voluptatibus deditorum. Quòd ſi videre libet, auditor, quàm ſollicitè timideque concredita ſibi diſpenſator prouidus adminiſtret, Dauidis mihi librum explica, ac locum eum quære, quo pius ille vir præſtitutam exitus ſui diem ſtudioſè inquirens ad Deum ita fatur: *Notum fac* Pſal. 38. v. 5.
*mihi finem meum, & numerum dierum meorum, quis eſt, vt ſciam quid deſit mihi*. Vides in his verbis tamquam in imagine clamantis animum & affectionem, quàm ſit timidus, quàm in futurum longè proſpiciens, quàm curioſè iudicij

ſupremæque lucis in inquiſitione verſetur, ne ſignum abitus imparatum eum offendat & opprimat; vtque præcognito quod ſupereſt incolatus ſpatio, diligentiâ ac ſtudio officium ſuum implere poſſit, priuſquam veniat qui abducat. Eſt enim verè cuiuſque noſtrûm exitus, œconomi quędam ac diſpenſatoris effigies, ſi ſigillatim examinemus, & inter ſe contendamus, quid patiatur & qui vitâ defungitur, & qui diſpenſatione abdicatur. Nam qui moritur, ad eumdem planè modum aliis adminiſtrationem tradit, atque œconomus claues: hic eiicitur ex agro, ille ex toto terrarum orbe tamquam ex vno aliquo fundo cedit: œconomus labores ſuos, vineas, hortos, domos, mœſtus inuituſque relinquit; ille autem cui vita deſerenda quemadmodum adfici tibi videtur? Nónne bona ſua ſuſpirat ac deplorat? nónne ſupellectilem theſauroſq; deamatos miſerabiliter circumſpicit? cùm nec opinatò longè ab ijs abſtrahitur, & ad locum ei deſtinatum traducitur, talibuſque aures eius vocibus perſonant: *Redde rationem villicationis tuæ*: oſtende quomodo præceptis obtemperaueris, quo animo erga conſeruos, leni ac benigno fueris, an contrà ſæuo & inhumano tyranni in morem pugnis ac verberibus in eos ſæuiens, eleëmoſynæq; demenſo miſeros defraudans. Et benè ſe res habebit, ſi quidem propitium reddere dominum bonumq; ſe ſeruum approbare potuerit; ſin minùs,

καὶ τὴν προθεσμίαν περιεργάζεται, ἵνα μὴ τὸ ἀπαράσκευον αὐτὸν καταλάβῃ τῆς ἐξόδου τὸ σύνθημα. καὶ ζητεῖ λογιζόμενος κατιδεῖν, τί τὸ τῆς παροικίας ὑστέρημα, ἵνα σπεύσας ἀναπληρώσῃ, πρὶν ἐλθεῖν τὸν ἐξάγοντα. ἀληθῶς γάρ ἐστιν εἰκὼν οἰκονόμου ἡ ἑκάστου ἡμῶν τελευτή, ἂν τὰ καθέκαστον ἀλλήλοις ἀντεξετάζωμεν, τί μὲν πάσχει ὁ ἀποθνήσκων τί δὲ ὑπομένει ὁ τῆς οἰκονομίας ἐκβαλλόμενος. ὁμοίως γὰρ καὶ ὁ τελευτῶν ἄλλοις μεταπαραδίδωσι τὴν διοίκησιν, ὡς ὁ οἰκονόμος τὰς κλεῖδας. ἐκεῖνος ἐκβάλλεται ἀγροῦ, οὗτος τοῦ κόσμου παντὸς, ὡς ἑνὸς χωρίου. περιπαθῶν ἀναχωρεῖ οἰκονόμος τῶν ἰδίων πόνων, οἷον ἀμπέλων, κήπων, οἰκιῶν· τί οὖν δοκεῖ σοι καὶ ὁ τελευτῶν πάσχειν; οὐκ ὀδύρεται τὰ κτήματα; οὐκ ἐλεεινὸν περιβλέπει τὴν οὐσίαν, μετὰ τοσαύτης προσπαθείας ἀπροαιρέτως αὐτῆς ἀποσπώμενος πόῤῥω θησαυρῶν ταμιείων; καὶ ὅταν ἀφίκηται πρὸς τὸν κληρωθέντα τόπον, ἀκούων· ἀπόδος τὸν λόγον τῆς οἰκονομίας σου· δεῖξον, ὅπως ἤκουσας τὴν ἐντολὴν, ὅπως διετέθης πρὸς τοὺς ὁμοδούλους, ἢ χρηστῶς καὶ φιλανθρώπως, ἢ τοὐναντίον ἐπαχθῶς καὶ τυραννικῶς, παίων, κονδυλίζων, ἀποστερῶν τῆς ἐλεημοσύνης σιτηρέσιον. κἂν μὲν δυνηθῇ ἵλεω καταστῆσαι τὸν δεσπότην, ἀγαθὸν δοῦλον ἑαυτὸν ἀποδείξας, εὖ ἂν ἔχοι· εἰ δὲ τοὐναντίον,

οὐκ

οὐκέτι μάστιγες ἐκεῖ διὰ ῥάβδων, οὐδὲ μυλὼν σκοτεινὸς, καὶ πέδαι σιδηραί, ἀλλὰ πῦρ ἄσβεστον, καὶ σκότος αἰώνιον οὔποτε φωτὶ καταυγαζόμενον, καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων, ὃν σαφῶς ἡμῖν τὸ εὐαγγέλιον προεδήλωσεν. εἰ μὲν οὖν οὐδέποτε τὴν ἐνταῦθα ὡς ἀλλοτρίαν ἐκβάλλῃ, κατατρύφησον τοῦ κόσμου, καὶ κατὰ πάσης αἰσθήσεως ἀκώλυτον ἄφες τὴν ἡδονήν. εἰ δὲ συντελεσθήσεται ταῦτα, καὶ ἐπὶ μακρὸν αὐτῶν ἀπολαύσομεν, φοβηθῶμεν, ἀδελφοί, τὴν ἐντεῦθεν μετάστασιν, καὶ ζήσωμεν ἐν τῷ καιρῷ τῆς παροικίας, ὡς ὁ Κύριος ἐνετείλατο, μὴ ἀπαχθῶμεν δεσμῶται μετὰ χρεῶν· ἀλλ' ὁδεύσωμεν ἐλεύθεροι καὶ εὐπαρρησίαστον τὸ συνειδὸς ἐπαγόμενοι, ἀκατάγνωστα φέροντες τὰ τῆς τοῦ βίου πολιτείας βιβλία. κακὸς ἦν οἰκονόμος τῆς ἐνθάδε ζωῆς ὁ πλούσιος ἐκεῖνος, οὗ ἡ χώρα εὐφόρησεν, ἐπειδὴ τῇ εὐθηνίᾳ τῶν καρπῶν οὐδὲν ὁ ἄνθρωπος χρηστὸν ἐβουλεύσατο, ἀλλ' ἀνοίξας γαστρὸς ἐπιθυμίαν καὶ τοὺς πλατεῖς καὶ ἀχωρήτους τῆς πλεονεξίας κόλπους, πάντα ἀπεκλήρου τῇ ἑαυτοῦ ἀπολαύσει, λέγων· „καθελῶ μου τὰς ἀποθήκας, καὶ μείζονας οἰκοδομήσω, καὶ ἐρῶ τῇ ψυχῇ μου· ἔχεις πολλὰ ἀγαθὰ κείμενα, ἀναπαύου, φάγε, πίε, εὐφραίνου. καὶ μεταξὺ λαλοῦντος, ὁ ἀπάγων ἐπέστη· ἦλθε φοβερὸς σύνδουλος, ἀνάσπαστον ἐκ τῆς οἰκονομίας ἀπάξων.

non illic ei paratæ virgæ & flagra, non obſcurum piſtrinum, non compedes ferreę; ſed ignis inextinguibilis, ſed tenebræ perpetuæ, nullaq́; lucis intercapedine diſtinctæ, ſed ſtridor dentium, ipſius Euangelij teſtimonio deſignatus. Matth. 13 v. 42. 22. v. 13. 24. v. 51. 25. v. 30. Lucæ 13. v. 28.

Quòd ſi numquam, ô bone, terrenis hiſce bonis tamquam alienis exuêre; age ſanè, fruere mundo, omnibuſq́; voluptates ſenſibus admitte: ſin, vt quàm diutiſſimè fruamur, eis aliquando finis præſtò, carendumque erit; metuamus fratres migrationis illum diem, & ex præſcripto Domini tempore incolatus viuamus, ne vincti & ære alieno oppreſſi abripiamur; ſed liberi, ſed ſecurâ conſcientiâ ſoliſque commentariis actionum noſtrarum irreprehenſibilibus & extra cenſuræ aleam onuſti viam ingredi poſſimus. Malus fuit huius vitę diſpenſator vir ille diues, cuius quidem ager quamquam vberes fructus reddiderat, nihil tamen in tantâ fortunâ copiaque rerum boni vel cogitauit vel fecit; ſed hiante ventris deſiderio, latiſque & profundis cupiditatis & auaritiæ ſinibus apertis ſuum ipſius in vſum atque voluptates omnia conuertit, talia ſubinde dicens: *Deſtruam horrea mea, & maiora exſtruam, & dicam animæ meæ: Habes multa bona repoſita, requieſce, ede, bibe, lætare.* Lucæ 12. v. 18. Et dum loqueretur, ecce adſtitit qui abduceret: acceſſit ſpecie terribili conſeruus, deturbatum diſpenſatorio munere rapturus ad pœnam.

Et quid tum, quæſo, prodeſt voluptariæ vitæ propoſitum ? Atque hæc quidem viuidè graphiceque noſtram ad cautionem deſcripta ſunt. Iam verò quid experientia vitæ cottidiana ? Nónne hæc aſſiduè talia quoque vociferatur?dum hunc quidem qui meridie firmus & valens,ante ortum heſperi mortuum nobis oſtendit; illum qui veſperi benè ſanus & incolumis,ante radium matutinum cõclamatum atque depoſitum : alium item in accubitu ſuperq; menſam animam efflantem. Et quis tandem obſecro tam ſtupidus atque ſtolidus,vt non animaduertat cottidie noſtrûm aliquem , alium aliàs , ex huius vitæ diſpenſatione quaſi loco moueri ? Sed enim bonus ac fidus miniſter rectaq; ſubnixus conſcientiâ adficitur animo,quemadmodum olim Paulus. ille enim vel Domino non vrgente ad eum anhelabat ac ſolui cupiebat; ſed & vltrò diſpenſationis munus depre-
Rom.7. v.24. cabatur , alicubi loquens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de cor-*
Phil.1. v.23. *pore mortis huius?* Ac rurſus: *Bonum mihi diſſolui , & eſſe cum Chriſto*. Contrà, qui plenus cogitationibus terrenis,glebæq; & humo verè cognatus, de migratione

καὶ τί τὸ ὄφελος τῆς φιληδόνου βουλῆς; καὶ ταῦτα μὲν ἐμψύχως ἐγράφη εἰς νουθεσίαν ἡμῶν. ἡ δὲ πεῖρα τοῦ βίου ποταπή; οὐ καθεκάστην ἡμέραν ταῦτα διὰ ἔργων βοᾷ, δεικνῦσα ἡμῖν τὸν ἐν μέσῃ τῇ ἡμέρᾳ ὑγιαίνοντα, περὶ τῆς ἑσπέρας τῆς ἑσπέρου νεκρόν; καὶ τὸν ἐῤῥωμένον ἐν τῇ ἑσπέρᾳ, τὴν ἀκτῖνα τὴν ἑωθινὴν οὐ καταλαμβάνοντα; καὶ ἄλλον μεταξὺ τοῦ ἐσθίειν, τοῦ ζῆν ἀπολήγοντα; τίς δὲ οὕτως ἠλίθιος, ὡς μὴ συνορᾷν ὅπως καθημέραν ἄλλος ἄλλοτε τῆς ἐνθάδε οἰκονομίας ἀποκινούμεθα; ἀλλ᾽ ὁ μὲν ἀγαθὸς καὶ πιστὸς οἰκέτης καὶ πεποιθὼς τῇ ἑαυτοῦ διοικήσει, οὕτως ἔχει γνώμης, ὡς εἶχεν Παῦλος. ἐκεῖνος γὰρ τοῦ Κυρίου μὴ κατεπείγοντος, ἔσπευδεν πρὸς αὐτὸν, καὶ τὴν ἀνάλυσιν ἐπόθει, καὶ παρῃτεῖτο ἑκὼν τὴν οἰκονομίαν, πῆ μὲν λέγων· Ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος, τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου; καὶ πάλιν· ἐμοὶ δὲ καλὸν ἀναλύσαι, καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι. ὁ δὲ γήϊνος τὸ φρόνημα, καὶ τῇ βώλῳ ἀληθῶς συγγενὴς, τοιαῦτα ὀδύρεται ἀμηχανῶν ἐπὶ τῇ μεταστάσει, οἷα οὗτος ὁ τῆς παραβολῆς ἄνθρωπος· τί ποιήσω ὅτι ὁ κύριός μου ἀφαιρεῖται τὴν οἰκονομίαν ἀπ᾽ ἐμοῦ. σκάπτειν οὐκ ἰσχύω, ἐπαιτεῖν αἰσχύνομαι. ἀργοῦ καὶ φιληδόνου ἡ λύπη. τὸ μὲν γὰρ ἐπὶ τῇ ἀναχωρήσει θρηνεῖν, ἔλεγχός ἐστιν τοῦ προσπεπηχέναι τῷ χωρίῳ, καὶ

Lucæ 16. v.3. anxius,ita lamentatur vt ille in parabolâ: *Quid faciam,quia Dominus aufert à me diſpenſationem? Fodere non valeo;mendicare erubeſco.* Deſidis ſimul atque voluptarij hic dolor,hæc querela. Nam fletus in abitu & eiulatio hominem arguit fundo ſuo prorſus agglutinatũ & affixum,

καὶ τὰς ἐμπαθεῖς τῆς σαρκὸς ἀπολαύσεις ὀδύρεσθαι. τὸ δὲ ἀδυνατεῖν πρὸς ἔργον, ἀργοῦ βίου καὶ ἀναπεπτωκότος ἐστὶ κατηγόρημα. εἰ γὰρ εἶχεν πρὸς φιλοπονίαν συνήθειαν, οὐκ ἂν ἐφοβεῖτο τὸ σκάπτειν. εἰ δὲ ἀλληγορικῶς τὴν παραβολὴν ἐπὶ τὸ νοητὸν ἐκλάβοιμεν, μετὰ τὴν ἐνθένδε μετάστασιν, οὔτε τοῦ ἐργάζεσθαι, οὔτε τοῦ προσαιτεῖν καιρός. καὶ διὰ τοῦτο μηδεὶς λεγέτω· σκάπτειν οὐκ ἰσχύω. κἂν γὰρ δύνηται, οὐδεὶς συγχωρῇ. ὁ βίος οὗτος ἔχει τῶν ἐντολῶν τὴν γεωργίαν, ὁ δὲ μέλλων τὴν ἀπόλαυσιν. ὥστε εἰ μηδὲν εἰργάσω ἐνταῦθα, ἀπέμεινον αἱ ἄμπελοι, καὶ περιττῶς φροντίζεις περὶ τῆς σκαπάνης. οὔτε δὲ προσαιτῶν ὠφελήσεις τι σαυτόν. καὶ τούτου σαφὲς ἡμῖν ὑπόδειγμα παραδέδοται, τὸ τῶν μωρῶν παρθένων, αἵτινες ἀπορίᾳ καταστᾶσαι τοῦ ἐλαίου, ἀναιδῶς ᾔτησαν παρὰ τῶν φρονίμων· ὤνησαν δὲ οὐδέν, ἀλλ᾽ ἀπεστράφησαν ἄπρακτοι. δεικνύντος τοῦ λόγου, ὅτι ἀλλοτρίῳ ἐλαίῳ ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ νυμφίου οὐδεὶς κέχρηται· τουτέστιν, ἀλλοτρίῳ κατορθώματι εἰς ἰδίαν ἀπόλαυσιν. ἕκαστος γὰρ [illegible] ἰδίαν πολιτείαν ὡς ἱμάτιον περιβέβληται· εἴτε λαμπρὸν καὶ τίμιον, εἴτε φαῦλον καὶ τῆς πτωχικῆς ἐφεστρίδος ὅμοιον. ἐκδύσασθαι δὲ αὐτὸ οὐκ ἔστιν, οὔτε ἀπαλλάξαι, καὶ διαμείψασθαι πρὸς ἕτερον, οὔτε ἐκ δάνους ἢ χρήσεως ἐν τῷ καιρῷ τῆς κρίσεως καλλωπίσασθαι καὶ κοσμηθῆναι. μένει δὲ ἕκαστος οἷος ἐπὶ τῆς ἀληθείας ἐστίν, εἴτε πένης ἀγαθῶν, εἴτε πλούσιος. καὶ ταῦτα μὲν ἐπὶ τοσοῦτον. τί δ᾽ ἂν εἴποιμεν

carniſq; voluptates, quibus fuit deditus, gementem ac deplorantem. Imbecillitas autem ac fuga laborum, vitę per inertiam ac deſidiam actæ crimen eſt ac nota. Nam ſi operi ac labori aſſueuiſſet, à fodiendo nequaquam abhorreret. Quòd ſi allegoricè de his quæ ſub intellectú cadunt, parabolam hanc interpretamur; vbi ſemel hinc migrauerimus, neq; operandi neque mendicandi tempus: eoq; nemo dicat, *Fodere non valeo.* Vt enim maximè valeas, nemo permiſerit. Cultus & obſeruatio mãdatorum, huius propria vitæ eſt; fruitio verò futuræ. Quare ſi hîc ceſſaueris ac nihil operatus fueris, fruſtrà de vitibus, fruſtrà de foſſione cogitaueris. Sed nec rogando vel mendicando quidquam profeceris. Declarat inſigne virginum inſipientium exemplum: quæ, cùm oleum ipſis deeſſet, vt impudenter, ſic incaſsùm à prudentibus id petierunt. (Matth. 5. v. 1.) Quo docemur, adueniente ſponſo, neminem oleo alieno, id eſt aliorum rectè factis ſuum ad commodum atque fructum vti. Suis quiſque factis quaſi veſte quadam amictus eſt, ſiue ſplendidâ illâ ac pretioſâ, ſiue vili ac paupertinâ: nec exuere eam fas & aliâ permutare, nec omnino vel ex dono vel commodato Iudicij tempore exornari. Manet quiſque qualis reuerà eſt, ſiue bonorum egenus, ſiue diues & copioſus. Et hæc quidem hactenus. Quid iam dicamus

condonatione & remiſſione debitorum, quam iniquitatis ille œconomus commentus eſt, vt ſolatium aliquod & auxilium in malis apud conſeruos ſibi compararet? Non enim ſanè procliue, conuertere id in allegoriam ſcripto congruentem. Dicam tamen quod in mentem multa voluenti mihi venit. Omnes quicumque peccatorum remiſſionem obtinere ſtudemus, alienarum donationem rerum lucrum atque quæſtum proprium facimus. Aliena appello quę Domini ſunt. Nihil enim omnino noſtrum; ſed quod bonorum cumque exiſtit, illius mancipio proprium eſt. Quum igitur aliquis finem ſuum & abitum conſiderans peccatorum onus beneficentia leuare ſtudet, ac vel debitorum ſibi nominum gratiam facit, vel egentibus de fortunis ſuis largitur; ea quæ Domini ſunt donando plurimos ſibi conciliat amicos, qui bonitatis ac liberalitatis eius teſtes apud Iudicem erunt, ſuoque teſtimonio recreationis & refrigerij locum ei parabunt. Teſtimonium autem qui beneficiis affecti ſunt apud Iudicem ferre dicuntur, non voce & oratione tamquam apud ignarum; ſed ipſis illis quodammodò benefactis quæ acceperunt, auctores ſuos pœnâ criminum eximentibus.
Geneſ.4. v.10. Nam quâ ratione ſanguis Abeli clamare ad Dominum dictus eſt; eodem modo opera bona teſtimonium ei tribuere dicentur qui fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

περὶ τῆς συγχωρήσεως τῶν χρεῶν, ἣν ἐπενόησεν ὁ οἰκονόμος τῆς ἀδικίας, παραμυθίαν ἑαυτῷ τῶν κακῶν πρὸς τοὺς ὁμοδούλους πραγματευσάμενος; οὐ γάρ ἐστιν εὔκολον εἰς ἀλληγορίαν ἀκόλουθον μετασκευάσαι τῷ γεγραμμένῳ. ὃ δέ μοι πολλὰ σκοπησαμένῳ παρέστη, τοιοῦτον τυγχάνει. πάντες ἄνθρωποι ὅσοι τὴν μέλλουσαν ἑαυτοῖς ἄνεσιν πραγματευόμεθα, ἀλλότρια διδόντες, ἢ συγχωροῦντες, οἰκεῖον ποριζόμεθα κέρδος. ἀλλότρια δὲ λέγω τὰ τοῦ δεσπότου. οὐδὲν γάρ ἐστιν ἡμέτερον, ἀλλὰ πάντα τῆς ἐκείνου δεσποτείας κτήματα. ὅτε ἂν οὖν τις αἰσθόμενος τῆς τελευτῆς καὶ τῆς ἐνθένδε μεταστάσεως, εὐποιΐαις κουφίσῃ τῶν ἁμαρτιῶν τὸ φορτίον, ἢ χρεώσταις συγχωρήσας ὀφλήματα, ἢ τοῖς πενομένοις χορηγήσας τὴν εὐπορίαν τὰ τοῦ δεσπότου διδούς, φίλους κτᾶται πολλούς, τοὺς μέλλοντας αὐτῷ προσμαρτυρεῖν παρὰ τῷ κριτῇ τὴν ἀγαθοσύνην, καὶ διὰ τῆς μαρτυρίας εὐτρεπίζειν ἀναψύξεως καταγώγιον. μάρτυρες δὲ λέγονται οἱ εὖ παθόντες παρὰ τῷ κριτῇ, οὐ φωναῖς ὡς ἀγνοοῦντα διδάσκοντες, ἀλλ' ὡς τῆς περὶ αὐτοὺς πράξεως τῆς τιμωρίας τοὺς ἁμαρτήσαντας ἐξαιρουμένης. ὃν τρόπον τὸ αἷμα τοῦ Ἄβελ ἐλέγετο βοᾷν πρὸς τὸν Θεόν· ὁμοίως καὶ τὸ ἀγαθὸν ἔργον λεχθήσεται μαρτυρεῖν τῷ κατορθωκότι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

# ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ κατὰ πλεονεξίας.

ΑΝδρες Χριστιανοί, καὶ κλήσεως ἐπουρανίου μέτοχοι ἄνδρες, ὑμεῖς ὁ χωρικὸς δῆμος, καὶ πάντες ὅσοι τὴν πόλεων ἐκφοιτήσαντες πρὸς τὴν παροῦσαν συμφώνως ἑορτὴν συνεδράμετε· γενικῷ γὰρ ὑμᾶς πάντας περιλαμβάνω κηρύγματι· ἆρα ἕκαστος ὑμῶν ἐνεβάλλετο τῇ διανοίᾳ φροντίδα, συνεῖδεν δὲ καὶ κατενόησεν ὑπὲρ τίνος ἠθροίσθημεν, ἀνθ' ὅτου δὲ τιμῶνται μάρτυρες οἴκων περιφανῶν κατασκευαῖς, καὶ τοῖς ἐνιαυσίοις τούτοις συλλόγοις, καὶ πρός τινα σκοπὸν βλέποντες οἱ πατέρες ἡμῶν ἐνομοθέτησαν τὰ ὁρώμενα, καὶ ἰσχυρὸν ἀφῆκαν τὸν νόμον τοῖς μετέπειτα. ἢ πρόδηλον τῷ καὶ μικρὸν πυκνώσαντι τὴν διάνοιαν, ὡς ζήλῳ ἡμῖν εὐσεβείας ταῦτα διετυπώθη, καὶ κοινὰ παιδαγωγεῖα τῶν ψυχῶν αἱ πανηγύρεις συνάγονται, ἵνα μάρτυρας τιμῶντες, τὸ τῶν μαρτύρων ὑπὲρ εὐσεβείας καρτερὸν μιμησώμεθα· ἵνα τοῖς συναγομένοις παιδευταῖς ὑποθέντες τὸ οὖς, μάθωμεν τί χρηστὸν, ὃ πρὸ βραχέος οὐκ ἐγινώσκομεν, ἢ δόγματος ἀσφάλειαν, ἢ λύσιν ἀπορουμένης γραφῆς, ἤ τινα λόγον τὴν τῶν ἠθῶν ἐπανορθοῦντα κατάστασιν. ὑμεῖς δέ μοι δοκεῖτε τῆς ἀρετῆς ἐπιμέλειαν ἀφέντες, καὶ τῆς περὶ τὴν ψυχὴν σπουδῆς ἐκλαθόμενοι, ὅλην ἑαυτῶν

# EIVSDEM Homilia aduerſus Auaritiam.

VIri Chriſtiani, cæleſtiſq; participes vocationis, quotquot & ex agris & ex opidis (vniuerſim enim omnes appello) hoc ad feſtum concurriſtis, vnuſquiſque veſtrûm vtiq; perſpicit & intelligit, quâ de cauſſâ conuenerimus, & quare Martyres ædium ornatu cultuque magnifico, tum annuis huiuſmodi cœtibus honeſtentur, & quo potiſſimùm propoſito ſibi ſcopo maiores noſtri iſta quæ videmus inſtituerint, eumque ritum ad poſteros tranſmiſerint. Planum certè perſpicuumque ei qui vel parùm cogitationem intendit, quòd zelo pietatis hæc talia conſtituta, quodque publici iſti ſolemnéſque conuentus tamquam ludi quidam atque pædagogia ſunt animarum: vt & Martyres colentes inſignem eorum pietatem imitemur, & Doctoribus eâ occaſione congregatis aurem præbentes, profuturum aliquid ignoratúmque nobis anteà diſcamus, quod ad dogma confirmandum, aut ad ambiguum obſcurúmve Scripturæ locum explicandum, aut ad morum & vitæ emendationem pertineat. Sed enim vos mihi videmini, virtutis omiſſo ſtudio, curáque animæ poſthabitâ, toti circa

Mamonæ

Mamonæ ſordes forumque rerum venalium verſari: alij quidem ipſi contrahentes; alij alienis intenti inhianteſque, & æmulos inuicem ſciſcitantes, quomodo res alienæ depretientur ac vileſcant. Verùm, agite, transferte mihi ſtudium hoc ad Eccleſiam: relinquite Auaritiam, illam circumforaneam, illam Mænada: auerſamini tamquam turpem meretriculam, multitudini arridentem, & alienis ornatam induuiis ac fucatam. Contrà, amate diuinam hâc, probam, pudicam, amictam decorè vultuque graui ac modeſto. Sic enim ait Salomon in libro Prouerbiali:

Prou. 4. v. 6. *Ne dimittas eam, & cuſtodiet te: dilige eam, & conſeruabit te.* Noli per contemptum præterire, & quæ in menſâ hac propoſita, quia gratis cõſequi potes, ne aſpernare. Sed eò gratiora ſint ac magis expetantur, quòd nos hîc non ſedemus ad modum inſtitorum cum ſtaterâ ac trutinâ; ſed vnicum cenſemus lucrum auditoris ac diſcipuli ſalutem. Lecta à nobis in Actis Apo-

Act. 25. & 26. ſtolorum Pauli ad Feſtum & Agrippam oratio; Pauli inquam & fidelis Apoſtoli & prudentis oratoris. Ac tibi perſpectum auditor, ſi quidem animum aduertiſti, quomodo nec veritatem ille ex metu prodat, & obſequium erga Agrippam ſermonis libertate temperans duros commitiget animos atque deleniat, non aliter quàm ſi belluas

μεταπεθηκέναι τὴν μέριμναν πρὸς τὸν συρφετὸν τοῦ μαμωνᾶ, καὶ τὴν ἀσχολίαν τῶν πρατηρίων· οἱ μὲν αὐτοὶ συναλλάττοντες, οἱ δὲ κεχηνότες εἰς τὰ ἀλλότρια, καὶ τοὺς ἐπὶ τοῖς ὠνίοις φιλονικοῦντας ἱστοροῦντες, ὅπως τὰ ἀλλήλων ἐπευωνίζουσιν. ἀλλὰ μετάθετέ μοι τὸν πόθον ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν. καταλείψατε τὴν φιλαργυρίαν, τὴν ἀγόραιον, τὴν Μαινάδα· ἀποστράφητε αὐτὴν ὡς ἄκοσμον ἑταιρίδα, προσγελῶσαν τῷ πλήθει, ταῖς ἀλλοτρίαις ὕλαις καλλωπιζομένην, καὶ τοῖς ἄνθεσι τοῦ φαρμακοπώλου. ἐράσθητε ταύτης τῆς θείας καὶ σώφρονος ἐσταλμένης κοσμίως, σεμνὸν καὶ ἀμετεώριστον βλεπούσης. οὕτως γὰρ Σολομῶν ἐν τῇ παροιμιακῇ βίβλῳ φησί· « μὴ ἐγκαταλείπῃς αὐτήν, καὶ ἀνθέξεταί σου· ἐράσθητι αὐτῆς, « καὶ τηρήσει σε. μὴ παρέλθῃς καταφρονή- « σας, μὴ δὲ τὰ παρ' ἡμῖν ἐπὶ τῆς τραπέζης ταύτης προκείμενα, διὰ τοῦτο αὐτὰ νομίσῃς ἄτιμα, ἐπειδὴ προῖκά σοι ἔξεστιν τὴν κτῆσιν περιποιήσασθαι. ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ἐπιθύμησον, ὅτι οὐ καθήμεθα κάπηλοι, ζυγὸν ἢ τρυτάνην φέροντες· ἓν δὲ κέρδος ζητοῦμεν, τὴν τοῦ μαθητοῦ σωτηρίαν. ἀνεγνώσθη ἡμῖν ἐκ τῶν πράξεων Παύλου λόγος πρὸς Φῆστον καὶ Ἀγρίππαν· Παύλου τοῦ πιστοῦ Ἀποστόλου καὶ σοφοῦ δημηγόρου. εἶδες πάντως, ὦ ἀκροατής, εἰ τὸν νοῦν ἐπέστησας, ὅπως καὶ τὴν ἀλήθειαν οὐ προδίδωσιν ἐκ δειλίας, καὶ τὴν πρὸς τὸν Ἀγρίππαν θεραπείαν τῇ παρρησίᾳ κεράσας, τὸ βραχὺ κριτήριον ἐκμαλάσσει πρὸς ἀγαθότητα, ὥσπερ θηρία τινὰ

τινὰ κατεπᾴδων ταῖς τοῦ λόγου μεταχειρίσεσιν. προεφήτευσεν καὶ σήμερον Ζαχαρίας, τῶν μεγάλων ἡμῖν μυστηρίων τοῦ Μονογενοῦς ὑπανοίγων τὴν θύραν διὰ τοῦ λίθου τοῦ τὰς ἑπτὰ βολὰς τῶν ὀφθαλμῶν κεκτημένου, διὰ τῆς χρυσῆς λυχνίας, ἐφ' ἧς οἱ ἑπτὰ λύχνοι καὶ τὰ δύο στελέχη τῶν ἐλαιῶν. πολλαὶ αἱ ἑξῆς γραφαὶ, πλούσιον τὸν θησαυρὸν τῆς ὠφελείας ἔχουσαι, αἷς ἐβουλόμην πάσαις ἐπελθεῖν, καὶ δεῖξαι ἡμῖν τὴν τῆς πνευματικῆς πανηγύρεως εὐθηνίαν· ἐπείγει δέ με πρὸς τὴν ἔκτισιν τοῦ χρέους ἡ τῆς προτεραίας ὑπόσχεσις. ἀρξάμενοι γὰρ πολλαῖς κατηγορίαις τῆς πλεονεξίας καθάπτεσθαι, ἐπειδὴ μὴ ἔφθημεν αὐτῆς γυμνῶσαι τὴν ματαιότητα, εἰς τὴν παροῦσαν ἡμέραν τὸν ἔλεγχον τῆς κατηγορίας ὑπερεθέμεθα. ἀκούσατε οὖν, καὶ γένεσθε εὐγνώμονες τῆς ἀληθείας κριταί. ἐπειδὴ μή τε ἄλλοις τισὶν, ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν σωτηρίᾳ δικάζεται, καὶ πάσας τὰς κατακρινούσας ψήφους ἐπὶ τὴν ὑπόδικον φέρεται ἕκαστος τῆς ἰδίας ψυχῆς, ὥσπερ οἰκίας ἢ πόλεως αὐτὴν ἀπελάσαντες. πλεονεξία τοίνυν ἐστὶν, οὐ μόνον τῷ ἀργυρίῳ σὺν τοῖς ἄλλοις κτήμασιν ἐπιμαίνεσθαι, καὶ βούλεσθαι τοῖς παροῦσι τὰ μὴ προσόντα συνάπτειν· ἀλλὰ, γενικώτερον εἰπεῖν, τὸ ἐπὶ παντὸς πράγματος πλέον ἔχειν βούλεσθαι τοῦ ὀφειλομένου καὶ ἐπιβάλλοντος. καὶ δὴ τοῦτο τὸ πλημμέλημα πρῶτος ἔπαθεν ὁ διάβολος, ἀρχάγγελος μὲν ὢν καὶ ἐπὶ τῆς καλλίστης ζωῆς καὶ τάξεως τεταγμένος, τυραννίδα δὲ καὶ ἐπανάστασιν

aliquas orationis, vt ita dicam, contrectatione incantaret. Vaticinatus eſt & hodie Zacharias, ingentium de Vnigenito myſteriorum ianuam nobis reſerans per lapidem ſeptem oculorum ictus habentem, perque candelabrum aureum, ſuper quod lucernæ ſeptem duoque trunci oliuarum. Multa deinceps Scripturæ loca theſaurum boni conditum habent, quæ percurrere quidem omnia velim, & ſpiritualis oſtendere conuentus abundantiam; verùm vrget me & impellit ad debitum ſoluendum heſterna promiſſio. Cùm enim inſtituta tum à nobis & incœpta auaritiæ eſſet accuſatio, neque exponi denudarique vanitas eius & ſtultitia potuiſſet, in hanc diem reiecimus. Quare attendite, & ęqui veritatis æſtimatores atque iudices eſtote. Non enim alienis de rebus, ſed de noſtrâ ipſorum ſalute diſceptatur, & damnatorios quoſque calculos aduerſus propriam animam quaſi ream & domo vel vrbe eiiciendam quiſque mittit. Auaritia itaque eſt non ſolùm pecuniæ ceterorumq; bonorum cupiditate feruere & ferri, præſentiaq; aliis inſuper cumulare velle; ſed, vniuersè loquendo, qualibet in re plus quàm par eſt aut adeſt, cupere & affectare. Et à diabolo quidem peccatum hoc manauit, qui initio cùm eminentiſſimam Archangeli dignitatem & ordinem obtineret, tyrannidem ac rebellionem

Zachar. 3.
Zachar. 4.

aduerſum diuinitatem molitus eſt demens, ac mox in aërem terræ proximum deturbatus, malus nobis & vitæ noſtræ factus eſt vicinus: atque adeò neque diuinitatem, quam captabat, adeptus eſt; & Archangeli, quo fulgebat, honorem amiſit: ſerui inſtar infidi, qui temerariis auſis in latronem euaſit; ac canis illius in Gentium fabulis, qui & carnem perdidit, & vmbram (nam quomodo rem inanem & incomprehenſibilem?) prehendere non potuit. Poſt hunc pri-

Gen. 3. mus hominũ voluptate pellectus, vetitas ſumpſit dapes, ſummóque excidit immortalitatis bono; ſicut

Gen. 25. v. 31. Eſau poſteà propter pulmẽtum iu-

Hebr. 12. v. 16. re primogenituræ. Sed & multitu-

Gen. 11. dinem hanc linguarum & idiomatum immoderata quorumdam cupiditas in vitã noſtram introduxit. Qui felicitate nimiâ laſciuientes cùm peruium ſibi cælum fore crediderunt, ridendámque eius ad adſcẽſum turrim moliti incaſsùm eſ-

Gen. 11. v. 1. ſent, tum ipſi cohibiti ſunt & coërciti, tum pro conſenſu concentuq; ſermonis diſcidium atq; diſſenſionem inuexerunt, humanæq; genti moleſtiam ex obſcurarum ſono vocum, interpretandique laborem

Exod. 8. 9. 10. reliquerunt. Iam verò Pharao quà re in tantas tamque varias calamitates incidit? Nónne plus habendi cupiditate, dominandiq; peregrino populo, qui nihil eius ad imperium pertineret? Hinc factum, vt, cùm alienos nõ dimitteret, ſuos deperderet,

κατὰ τῆς θεότητος ἐννοήσας ὁ ματαιόφρων, εἶτα καταβληθεὶς, καὶ εἰς τὸν περίγειον τοῦτον ἀέρα καταπεσὼν, κακὸς γείτων τῆς ἡμετέρας ζωῆς. οὔτε γοῦν κατέλαβεν, ὃ ἐδίωκεν, τὴν θεότητα· καὶ ἀπώλεσεν, ὃ ἐκέκτητο, τὸ ἀρχάγγελον· δοῦλος ἄπιστος, ταῖς κατὰ μικρὸν τόλμαις εἰς λῃστὴν ἐξελθών· κύων τῶν παρ' Ἕλλησι μύθων, καὶ τοῦ κρέως στερηθεὶς, καὶ τῆς σκιᾶς οὐ δραξάμενος, πῶς γὰρ ἀκαταλήπτου πράγματος; μετὰ τοῦτον ὁ πρῶτος ἄνθρωπος εἰς ἡδυπάθειαν δελεασθεὶς, ἀπηγορευμένῃ βρώσει τὴν ἀθανασίαν ἀπώλεσεν, ὡς Ἠσαῦ ὕστερον διὰ φακὴν τὰ πρωτοτόκια. καὶ τὰς διαλέκτους δὲ ταύτας καὶ τὰς πολλὰς τῶν ἀνθρώπων φωνὰς ἔρως τοῦ πλείονος εἰς τὸν βίον εἰσήγαγεν. οἱ γὰρ τῇ ἀνθρωπικῇ εὐθηνίᾳ ὑπερμαζήσαντες, βατὸν δὲ ἑαυτοῖς ἔσεσθαι τὸν οὐρανὸν προσδοκήσαντες, καὶ πύργον γελοῖον ἐπὶ τὴν ἐκείνου ματαιοπονοῦντες ἀνάβασιν, οὗτοι τοὺς ὁμοφώνους ἀνθρώπους, ἑτερογλώσσους ἐποίησαν· καὶ τὸ πλέον, οὗ εἶχον, ζητοῦντες αὐτοί τε συνεχύθησαν, καὶ τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων κατέλιπον κάμνειν ἐν ἀκοαῖς ἀσήμων φωνῶν καὶ ἑρμηνειῶν ζητήσει. τί δὲ ὁ Φαραὼ, πόθεν ταῖς διαφόροις καὶ ποικίλαις περιέπεσεν μάστιξιν; οὐ διὰ πλεονεξίαν, καὶ τὸ βούλεσθαι κύριος εἶναι ξένου λαοῦ, καὶ μηδαμόθεν τῇ ἐκείνου βασιλείᾳ προσήκοντος; καὶ διὰ τοῦτο τοὺς ἀλλοτρίους οὐκ ἀφεὶς, τοὺς ἰδίους ἀπώλεσεν· τοὺς

Digitized by Google

τοὺς μὲν ἐν πληγῇ τῶν πρωτοτόκων, τοὺς δὲ ἐν τῇ διώξει τῇ κατὰ θάλασσαν. ἀφίημι γὰρ ποταμοὺς εἰς αἷμα ῥυέντας, καὶ βατράχων ἄπλετον γένεσιν, καὶ βρούχου λύμην, καὶ φλυκταινῶν ἐξάνθησιν, καὶ τὸν τετραπόδων τὸν θάνατον, καὶ πᾶσαν τὴν κάκωσιν ἣν Αἴγυπτος κατεδικάσθη διὰ τὴν πλεονεξίαν τοῦ ἄρχοντος. ἀλλαχοῦ πάλιν τέλος τῆς ἁμαρτίας κατέμαθον, λέπραν ἀθρόαν τῷ πλεονέκτῃ περιχυθεῖσαν. καί μοι συνδιαμνημόνευσον, εἴ τις φιλοΐστωρ καὶ τῶν κατορθωμάτων Ἐλισσαίου φιλήκοος, ὅπως μὲν ὁ Σύρος Νεεμὰν ἐκαθαρίσθη τῆς λέπρας ἐν τῷ Ἰορδάνῃ λουσάμενος· ὅπως δὲ μετῆλθεν τὸ πάθος εἰς Γιεζεὶ τὸ παιδάριον, νεανίσκον πλεονέκτην καὶ ἀφιλόσοφον, πνευματικὸν πωλήσαντα χάρισμα, καὶ τὴν ἄμισθον ἰατρείαν τοῦ διδασκάλου. πόθεν ὁ Ἀβεσσαλὼμ πατραλοίας ἐγένετο, ὁ τοῦ πράου πατρὸς φλεγμαίνων καὶ θρασὺς νεανίσκος; οὐ πρὸ καιροῦ ζητήσας τὴν κληρονομίαν τῆς βασιλείας, ἐπιπηδήσας δὲ τοῖς ἀλλοτρίοις, ὡς ἅρπαξ; τὸν Ἰούδα δὲ πάλιν, τί τοῦ καταλόγου τῶν μαθητῶν ἐξέβαλεν, ἐποίησεν δὲ προδότην ἀντ' Ἀποστόλου; οὐ τὸ γαζοφυλάκιον πρῶτον ῥᾳδιουργούμενον, εἶτα ἡ κτῆσις τῆς ἀτίμου τιμῆς; Ἀνανίαν καὶ Σάπφειραν διὰ τί τραγῳδοῦσιν τῶν ἀποστόλων αἱ πράξεις; οὐχ, ἐπειδὴ τῶν ἰδίων ἐγένοντο κλέπται, καὶ τῶν οἰκείων ἀναθημάτων ἱερόσυλοι; ἐπιλείψει με τάχα καὶ ἡ ἡμέρα τοὺς τῆς πλεονεξίας ὑπηρέτας ἀπαριθμούμενον.

quà ſtrage primogenitorum, quà in Exod.12 & 14.
traiectu maris. Nam omitto fluenta ſanguinea, ranarum infinitam ſubolem, bruchorum tetrá luem, puſtularum papularumq; fœdam eruptionem, & quadrupedum necem cum ceterâ clade & peſte, quâ populus Ægyptius ob auaritiam atque cupiditatem Principis damnatus eſt. Alibi verò peccatum hoc malâ ſcabie & ſpiſsâ leprâ vindicatum didici. Et iuxtà mecum hîc recordare quiſquis hiſtoriâ amas, & Eliſæi pręclara facta libenter audis, quemadmodum Naaman ille 4.Reg.5.
Syrus, poſtquam in Iordane lauiſ- v.14. Lucæ 4.
ſet, à leprâ fuerit liberatus; contraq; v.27.
eâ correptus puer Giezei, puer aua- 4.Reg.5. v.27.
rus & imperitus, qui ſpiritualem gratiam, gratuitamq; doctoris ſui medelam pretio venditarat. Quid Abſalonem mitiſſimi patris fero- 2.Reg.15.
cem audacemque filium ad parricidium adegit? Nónne intempeſtiua ſucceſſionis regiæ & aliena inuadendi diripiendiq; cupiditas? Iudam quid è catalogo Diſcipulo- Lucæ 22. v.4.
rum expunxit, & ex Apoſtolo proditorem fecit? Nónne cùm gazophylacij infida adminiſtratio, tum pretium infame, & denariorum aliquot propudioſum auctoramentū? Ananiæ deniq; & Sapphiræ tri- Act.5.
ſtis vnde & tragicus in Actis Apoſtolorū exitus? Nónne quia ſuarum furto rerum propriorumq. donariorum ſacrilegio ſeſe contaminarant? Deficiet me dies, ſi miniſtros & mancipia auaritię dinumerare pergam.

Quare miſſam faciam veterem hiſtoriam, & cottidianam vitæ experientiam interrogabo, cuiuſmodi fera ſit auaritia, quàm ęgrè quos ſemel prehenderit elabi ſinat, vt vegeta ſemper ac valida, numquam debilitetur atque deficiat; ſed cum iis, quos ſibi ſubiecerit, cōſeneſcat & perennet. Libidinoſus amatorq; corporum, vbi iam longam inſaniam inſaniuit, remiſſionem finemque morbi tandem inuenit, vel poſtquam ſenilem ipſe ætatem attigit, vel cùm eam quam amat exoletam videt ac floris exſtincti. Guloſus ventris voluptatibus aliquādo renuntiat, ſiue quando iam ſatietas eum cepit, ſiue cùm ſtomachus eæque partes quibus cibum concoquendi vis ac munus, imbecilliores factæ, deſiderium & appetentiam illam hiantem ſedarunt. Ambitioſus, poſtquam in multis ſe iactauit theatris, ſpectari tandem velle & inanes flare glorias deſinit. Verùm auaritiæ morbus eiuſmodi malum eſt, vt vix vmquam eo liberari poſſis. & quemadmodum hæc ſemper virens atq; frondēs hedera adſitas irrepens arbores validè circumuoluitur & adhęret; ac ne ramis quidem fatiſcentibus aut areſactis recedit, niſi quis flexus iſtos & anguineos quaſi gyros ferro ſecet: ita nec auari mentem, ſiue iuuenis hic ſiue ſenex, in libertatem facilè vindicaris, niſi ſobrio prudentique conſilio velut machærā morbum diſſcideris. Auarus propinquis eſt odioſus, famulis grauis, amicis inutilis, exteris difficilis & vix

ἀφέντες δὲ τὴν παλαιὰν ἱστορίαν, τὴν πεῖραν ἐξετάσωμεν τὴν παρακολουθοῦσαν τοῦ βίου, οἷον οἶδεν θηρίον τὴν πλεονεξίαν, καὶ ὧν ἂν λάβηται δυσαπάλλακτον, ἀκμάζον ἀεί, καὶ οὐ μαραινόμενον, συγγηράσκον δὲ τοῖς ἁλοῦσι, καὶ εἰς τέλος συνόν. ὁ λάγνος καὶ σωμάτων ἐραστής, κἂν ἐπὶ πολὺ ταῖς ἐπιθυμίαις λυσσήσῃ, ἢ αὐτὸς εἰς πρεσβυτικὴν ἡλικίαν ἐλθών, ἢ τὸ ποθούμενον ἐρωτικῶς παλαιωθὲν καὶ τὸ ἄνθος ἀποβαλὸν, στάσιν εὑρίσκει τῆς νόσου. ὁ γαστρίμαργος ἀναχωρεῖ καὶ αὐτὸς τῆς φιληδονίας, ἢ τοῦ κόρου πληρώσαντος, ἢ τῶν πεπτικῶν μορίων ἀσθενησάντων καὶ παυσάντων τὴν ἐπιτεταμένην ὄρεξιν. ὁ φιλόδοξος πολλαῖς κομπάσας περιφανίαις, τοῦ φαντιᾶν ἀπολήγει. ἡ δὲ τῆς πλεονεξίας νόσος, κακόν ἐστιν δυσαπάλλακτον. καὶ ὥσπερ ὁ κισσὸς οὗτος τὸ εὐθαλὲς φυτὸν καὶ ἀείφυλλον ἐπὶ τὰ παραπεφυκότα τῶν δένδρων ἀνέρπον, ἰσχυρῶς περιελίττεται τοῖς ξύλοις ὧνπερ ἂν δράξηται, καὶ οὔτε πεπονθότων, οὔτε ξηρανθέντων ἀναχωρεῖ, εἰ μή τις αὐτοῦ σιδήρῳ καθάπερ δράκοντος διατέμει τοὺς ἑλιγμούς· οὕτως οὐδὲ τοιαύτην ψυχὴν ἐλευθερῶσαι ῥᾴδιον, εἴτε νεάζοντος τοῦ σώματος εἴτε καὶ ὑπομαρανθέντος, ἐὰν μή τις νηφαλαίος λογισμοὺς ἐπελθὼν, ὡς μάχαιρα διακόψῃ τὴν νόσον. τοῖς οἰκείοις ὁ πλεονέκτης ἐστὶν ἀηδής, οἰκέταις βαρύς, φίλοις ἄχρηστος, ξένοις δυσ-

ἐντευ-

ἐντυχὼς, γείτοσιν ὀχληρὸς, γυναικὶ μοχθηρὸς σύνοικος, παίδων φειδωλὸς καὶ μικρολόγος τροφεὺς, ἑαυτοῦ κακὸς ἐπιστάτης, νύκτωρ φροντίζων, μεθ' ἡμέραν πεπυκνωμένος, διαλεγόμενος ἑαυτῷ κατὰ τοὺς ἐξεστηκότας ἢ παραφρονοῦντας· πάντων εὐθηνούμενος καὶ στένων ὡς ἐνδεὴς, τῶν παρόντων οὐκ ἀπολαύων καὶ τὰ ἀπόντα ζητῶν, τοῖς ἰδίοις οὐ κεχρημένος, ἐποφθαλμιῶν δὲ τοῖς ἀλλοτρίοις. πολύαρνον τοῦ τοιούτου τὸ ποίμνιον, στενοῦνται τοὺς σηκοὺς ἐφ' ὧν κατακλείεται, καλύπτον πεδιάδας ἐν αἷς νέμεται. κἂν εὔσαρκον ὀφθῇ τοῦ περιοίκου πρόβατον, ἀφεὶς τὴν ἰδίαν ἀγέλην τῷ ἑνὶ καὶ ἀλλοτρίῳ τῇ ἐπιθυμίᾳ προστακέθηται. τὸ αὐτὸ ἐπὶ τῶν βοῶν, ὁμοίως ἐπὶ τῶν ἵππων, οὐκ ἄλλως ἐπὶ τῆς γῆς. πάντα στενοχωρεῖ τὴν οἰκίαν, καὶ οὐδὲν ἐν τῇ χρήσει. οὐδὲ γὰρ ἀπολαυστικὸν οἷόν τε εἶναι, τὸν ἄπληστον· ἀλλ' ἔστιν αὐτοῦ ἡ οἰκία τάφου παραπλησία. ἰδοὺ γὰρ οἱ τάφοι γέμουσι πολλάκις ἀργύρου καὶ χρυσοῦ· ἀλλ' αἱ ὑλαρτοὺς χρωμένους οὐκ ἔχουσιν. τὸ σῶμα οὐ τρέφεται· ψυχῆς οὐχ εὑρίσκεται κέρδος, οὐκ εὐθηνεῖ γὰρ ἐκ τῆς δεξιᾶς ἐλεημοσύνη. τί τὸ τέλος τοῦ μόχθου; διδαξάτω μέ τις τῶν ταύτῃ περιειλημμένων τῇ νόσῳ. οἶδα δὲ πολλοὺς ἐγὼ γνωρίσας ἐπὶ τῆς πείρας, ὡς καὶ ἐν νόσοις μᾶλλον τῆς ὑγείας ἀγαπῶσι τὰ χρήματα. κἂν μὲν ὁ ἰατρὸς δέῃ τινὸς ὕλης εὐώνου τῆς θεραπείας εἰσηγήσηται τρόπον, οἷον διὰ σελίνου, ἢ θύμου, ἢ ἀνήθου, ὧν ἡ

affabilis, vicinis moleſtus, vxori malus contubernalis, liberorum parcus atque ſordidus educator, ſui ipſius malignus curator, noctu interdiuque ſolicitus & cogitabundus, ſecum ipſe loquens ac diſſerens, eorum more qui mente exciderunt & in inſaniam lapſi ſunt. Denique cùm omnibus abundat, tamquam omnium egenus ingemiſcit: præſentibus non fruitur, quæ abſunt anxiè quęritat: propriis non vtitur, & ad aliena oculos adiicit. Multi in iſtius [ inquit ] grege agni, ſtabula vix capiunt, planities ac paſcua tota teguntur. Ac ſi pinguem & benè habitam ouem vicini viderit, miſſo proprio grege, in vnam & alienam illam cupiditate fertur. Atque ita quoque de bubus, equis, agris. Omnium copia rerum ædes coanguſtat, ſine vſu, ſine fructu. Nullum enim percipere fructum voluptatis poteſt, quiſquis inſatiabilis; eſtq; domus eius ſimilis conditoriis ſiue ſepulcris, quæ ſæpè plena ſunt auro atque argento, cùm qui vtatur exiſtat nemo. Corpus auari non alitur: anima nihil lucratur; quia non exuberat è dexterâ eius eleemoſyna. Quis autem laboris & ærumnæ finis? Dicat eorum aliquis quos hic morbus corripuit. Multos equidem ipſe noui, qui etiam cùm in morbo cubant, pecuniam ſalute ſua magis ament & æſtiment. Nam ſi fortè medicus remedium eis parabile præſcribit ac parui pretij, ex apio putà, thymo, vel anetho, quæ paſſim

obuia ſunt & paruo comparantur, ſine morâ conſilio obtemperant: ſi verò medicamentorum eiuſmodi mentio, quæ ex pluribus componuntur, & vel ex pharmacopolio vel ex vnguentariâ petenda ſunt; animâ potiùs exhalent quàm crumenam ſoluant. (Quid mirum?) cùm mente & cogitationibus terreni ſint, terreſtrium poſſeſſionem rerum vitam & ſpiritum ducunt. Hos tales publica communiſque felicitas moleſtiâ afficit ac dolore; damna contrà ac clades, delectatione & gaudio. Exoptant graues & intolerabiles indici penſitationes & tributa, quò grandiore per eam occaſionem fenore pecuniam ſuam occupent; auentq; videre miſeros aliquos à feneratoribus oppreſſos & conſtrictos, vt eorum agros, inſtrumenta, aut pecora vel iumenta paruo per neceſſitatem ære proiecta acquirant. Frequenter autem Philoſophorum inſtar circa Meteora verſantium in cælum ſuſpiciunt, non vt ſideris alicuius ortum aut planetæ domum ſcrutentur; ſed vt aëris conſtitutionem conſiderent, & an apparentia ſigna largiores imbres aut ſiccitatem denuntient. Ac ſi pro ſpe ſuâ multis malum imminere animaduerterint, alienâ lætantur infelicitate. Omnia vndique ſummo ſtudio in horrea ſua congerunt & coaceruant, obſignantque ſingula, ac duplici communiunt ſerâ, dimetientes ſine fine & ſupputantes. Inter hæc & dum iſtâ ſpe titillatur, & quaſi per

εὐπορεία ἀδάπανος, εὐπειθῶς τῆς συμβουλῆς ὑπακούοντας· ἂν δέ τινος φαρμάκου γένηται μνήμη, τῶν οἷα τὰ ποικίλα καὶ πολυσύνθετα, καὶ ἐλθεῖν πρὸς τὸ φαρμακοπώλιον ἢ τὸ μυρεψεῖον κελευσθῶσιν, θᾶττον τὴν ψυχὴν ἀφιέντας, ἢ λύοντος τὸ βαλάντιον. γήινοι γὰρ ὄντες τὸ φρόνημα, τὴν κτῆσιν τῶν γηΐνων ὑλῶν νομίζουσι τὴν ζωήν. Τούτους λυποῦσιν ἄγαν καὶ αἱ κοιναὶ εὐπραγίαι, εὐφραίνουσι δὲ αἱ περιστάσεις. εὔχονται καὶ φόρων ἀνυποίστων φοιτᾷν ἐπιτάγματα, ἵνα τόκοις πλεονάσωσι τὸ ἀργύριον. ἐπιθυμοῦσι βλέπειν τοὺς παρὰ τῶν δανειστῶν ἀγχομένους, ἵνα κτήσωνται τὸν ἀγρὸν, ἢ τὸ σκεῦος, ἢ τὸ ζῶον ὠνίως ἐκ τῆς ἀνάγκης ῥιπτούμενον. συνεχῶς δὲ καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἀναβλέπουσι κατὰ τοὺς φιλοσόφους τοὺς τὰ μετέωρα φροντίζοντας, οὐκ ἀστέρος ἐπιτολὴν ζητοῦντες, οὐδὲ τίς οἶκος ἕνα τῶν πλανητῶν ἔχει περιεσκοπούμενοι, ἀλλὰ τὴν τοῦ ἀέρος πολυπραγμονοῦντες κατάστασιν, εἰ τὰ προφαινόμενα σημεῖα ὄμβρων ἐπιρροὴν, ἢ αὐχμὸν ἐπαγγέλλεται. κἂν ἴδωσί τι τοῖς πολλοῖς δυσχερὲς προσδοκώμενον, εὐφραίνονται τῇ τῶν ἄλλων κακώσει. πάντα συνάγουσιν ἐν τοῖς ταμιείοις ἀσφαλῶς κατασημαίνοντες, καὶ διττοῖς κλείθροις κατασφαλίζονται, διαμετροῦντες ἀλήκτως ψηφίζουσιν. ἀσχολημένου δὲ τοῦ πλεονέκτου περὶ τὴν τοιαύτην ἐλπίδα, καὶ τέως

ὄναρ

ὄναρ πλουτοῦντος ἐν τῇ σκιαγραφίᾳ τῶν ἐννοιῶν, ἐὰν ἐπιγένηται νέφος βαθὺ, φοβεῖται ὡς κινδυνεύσων. ἂν ψεκάδες τὴν γῆν ἐπιρράνωσιν, ὑποδακρύειν ἄρχεται· ἂν δὲ καὶ ὑετὸς ἐπιγένηται ἀρκῶν τὸν αὐχμὸν ἐξιάσασθαι, πένθος τέλειον τὸ πρᾶγμα περινοστεῖ· λοιπὸν πᾶσι συσκοπούμενος περὶ τοῦ σίτου, ὡς υἱοῦ κινδυνεύοντος, τίς ἴασις, τίς μηχανὴ, ἵνα πρὸς πολὺν διαρκέσῃ χρόνον, ἵνα τῶν σητῶν διαφύγῃ τὸ πάθος. κἂν αἴσθηται καύσωνος, ὡς οἱ ἰατροὶ, διαπλώσας αὐτὸν, τοὺς διαφθειρομένους καταμερίζει καὶ καταψύχει. μοχθῶν προσκαθέζεται, σκέπην κατὰ τὴν μεσημβρίαν σοφίζεται, τὰς σκιὰς νυκτὸς ἀπογυμνοῖ, ἵνα ταῖς αὔραις ταῖς νυκτεριναῖς ὑποπνέηται· ταῦτα αὐτῷ ταλαιπωροῦντι ὁ πένης παρίσταται, ζητῶν ἐκ τοῦ κινδυνεύοντος σίτου, καὶ οὐ δίδωσιν, ἢ δοὺς φειδωλῶς χαρίζεται, καὶ ἡμίθνητος, τοῦ σίτου σφόδρα περιεχόμενος. μὴ τοίνυν ἀπέραντα μόχθει καὶ χαλεπαὶ ὁ τοιοῦτος, παρακαλῶ. ἐλέου μὲν γὰρ ἄξιος καὶ ὁ τρυφῶν πλεονέκτης· ὁ τῇ γαστρὶ καὶ ταῖς ἄλλαις ἡδοναῖς περιορίζων τὸν βίον, τοῦτο τέλος νομίζων τῆς ἀνθρωπότητος. ὁ δὲ μικροπρεπὴς καὶ σμικρολόγος, οὐδὲ μέτρον ἔχει τῆς ἀθλιότητος, λαμβάνων τὰ τῶν πολλῶν, καὶ ἑαυτῷ μὴ διδοὺς, εἰς οὐδὲν δὲ καταλήγων τῆς σπουδῆς ἀποτέλεσμα. τίς γὰρ οὐκ οἶδεν

ſomnium inanibus & imaginariis opibus auarus ditatur, ſi nubes aut nebula craſſa ſuperuenit, exterretur ac ſi periculum ingens ipſi immineat. Quòd ſi minutula pluuia terram aſpergit, ſublacrimari incipit: ſi magna aquæ vis & ſiccitati tollendæ par ingruit, extremus eum luctus occupat, iamque non minùs ſollicitè, quàm ſi filius periclitaretur, remedium paſſim quærit modumque & rationem frumenta à tabe & vermibus diutiſſimè ſeruandi. Ac ſi iam æſtuare animaduertit & calore corripi, pro medicorum inſtituto refrigerare ſtudet, eoq; tum excutit & expandit, tum ſeparat ac perflari ſinit. Sed & miſer adſidet, tegumenque & tutamen à meridie excogitat, quod circa noctem rurſus amouet, vt auræ nocturnæ aſpirare liberiùs queant. In his laboribus ac moleſtiis ſi pauper eum adit, ac periclitantis aliquid frumenti rogat, nimiâ eius caritate aut nihil dabit, aut parcè & ſemianimus dabit. Ego verò te exhortor qui tali prædítus es ingenio, ne perpetuò ſic laborare & diſcruciari velis. Miſeratione enim dignus quilibet auarus: etiam ille qui delicias non abhorret, qui beatam vitam voluptate ventris aliiſque definit, eumque finem hominis præcipuum putat. Multò magis & omnium quidem miſerrimus, qui illiberalis atque ſordidus, qui cùm ſuum defraudat genium, tum vnus occupat per quæ pluribus benè pulchreque fuerit, ſine vllo tam exactæ continuæq; diligẽtiæ fructu vel fine. Quis enim ignorat,

propter

propter ſeipſum, exceptis virtutibus, nihil fieri; ſed vt aliud ex alio procedat ac ſequatur? Nemo certè quiſquam ſolius cauſſâ nauigationis mari ſe committit: nemo propter ipſam agricolationem in labore ætatem agit: ſed liquidò conſtat, quòd certo vterque ſcopo moleſtias iſtas ſubeat: alter nimirum vti fruges vberemque meſſem colligat; alter vt tranſmarinæ negotiationis diuitias referat. Tu verò dic ſodes, quidnam ſpectes, & cur ſic omnia vndiq; corradas, opéſque extruere inutiles ſtudeas? Delectat me, dices, aſpectus. Atqui rationo aliâ morbo tuo indulge: nam alienis etiam bonis ſedare deſiderium hoc potes. Si te capit & exhilarat argenti fulgor, in officinis fabrorum argentariorum aſſidenti coruſcantem argenti lucem contemplari licet; aut circa forum & loca rerum venalium, vbi diſci, lances, aquales, & omne genus expoſita vaſa, animum oblectare. Liberum hoc & gratuitum ſpectaculum. Quinetiam ſpectare eos potes, qui argētum examinant, ac pecuniam in menſis perpetuò contrectant atque dinumerant. Immò verò rectis potiùs obtemperans monitis prauum hunc appetitum exues, animumq; mutabis. Facilis enim correctio, cùm auaritia non ſit naturalis aliqua neceſſitas; ſed impetus & voluntaria quædam affectio, quam non difficile deponere iis qui conſultum ſibi volunt. Mitte cogitationem in futurum æuum, quando non eris, quando pauxilla terra

ὡς οὐδὲν τῶν γινομένων, πλὴν τῶν ἀρετῶν, αὐτὸ δι' ἑαυτὸ γίνεται· ἀλλ' ἕτερόν τι πράττομεν, ἵν' ἄλλο κατορθώσωμεν; οὐδεὶς πλέων, δι' αὐτὸ τὸ πλεῖν, θαλαττεύει· οὐδὲ γεωργῶν, δι' αὐτὸ τὸ γεωργεῖν, τοῖς πόνοις συζεῖ· ἀλλὰ πρόδηλον ὡς τοῖς λυπηροῖς ἐγκαρτεροῦσιν ἀμφότεροι. ὁ μὲν ἵνα τὴν εὐκαρπίαν τῆς γῆς, ὁ δὲ ἵνα τὸν πλοῦτον τῆς ναυτικῆς ἐμπορείας κομίσηται. σὺ δὲ τί τὸ σὸν πέρας εἰπέ, ἵνα συναγάγῃς, καὶ ποῖον τοῦτο τέλος τὸ ἄχρηστον ὕλην σωρεύσαντα βλέπειν; τέρπει με, φησί, καὶ ἡ θέα. οὐκοῦν ἄλλως τὸ σαυτοῦ νόσημα μέτελθε. ἔξεστι γάρ σοι καὶ τοῖς ἀλλοτρίοις χρήμασι προσαναπαύειν τὸν πόθον. εἰ εὐφραίνει σε τὸ στιλπνὸν τοῦ ἀργυρίου, προκαθήμενος τοῖς ἀργυροχοείοις ἀπόβλεπε πρὸς τὴν πυκνὴν καὶ στίλβουσαν αὐγήν· ἢ καὶ τὰ πρατήρια καταλαμβάνων, τέρπου τοῖς ποικίλοις σκεύεσιν, ὀψοφόροις τε καὶ προχόοις. προῖκα γάρ σοι καὶ ἀκώλυτον ἡ θέα. ὅρα καὶ τοὺς ἀργυρογνώμονας τοὺς ἐπὶ τῶν τραπεζῶν ψηλαφῶντας καὶ ἀριθμοῦντας συνεχῶς τὰ νομίσματα. μᾶλλον δὲ παραινέσει πεισθεὶς ἀγαθῇ, μετάθου τῆς γνώμης. εὔκολος γὰρ ἡ διόρθωσις, ἐπειδὴ μὴ φύσεώς ἐστιν ἀνάγκη πλεονεξία, ὁρμὴ δὲ προαιρέσεως, ἣν μεταβαλεῖν τοῖς τὸ συμφέρον ἐπιλογιζομένοις οὐ χαλεπόν. ὑπόρρυψον τῷ λογισμῷ εἰς τὸν ἑξῆς χρόνον, ὅτι οὐκ ἔσῃ, ὅτι μικρὰ γῆ καθ-

καθέξει σε διηπλωμένον τὸ σῶμα ἀναίσθητον· πλὰξ δὲ ὀλίγων σπιθαμῶν καλύψει τὸ λείψανον. ποῦ τότε ὁ πλοῦτος καὶ τὰ συναχθέντα κειμήλια; τίς ὁ τῶν καταλειφθέντων κληρονόμος; οὐ γὰρ πάντως ἐκεῖνος ἔσται διάδοχος ὃν σὺ προσδοκᾷς. ἂν παῖδας καταλείπῃς, τυχὸν κονδυλισθήσονται, καὶ ὁμότροπός σου πλεονέκτης θρηνοῦντας αὐτοὺς τῆς οἰκίας τῆς πατρικῆς ἀπελάτῃ. κἂν ἄπαις ὢν ἐπί τινα τῶν φίλων παραπέμψῃς τὸν κλῆρον, μὴ πρόσεχέ σου τῇ διαθήκῃ, ὡς ἀκινήτῳ νόμῳ, ὡς πράγματι ἀναντιρρήτῳ καὶ ἰσχυρῷ. ὀλίγη σπουδὴ ἄκυρον ποιεῖ τὴν γραφήν. ἢ οὐχ ὁρᾷς τοὺς συνεχῶς ἐν τοῖς δικαστηρίοις κατὰ τῶν διαθηκῶν ἀγωνιζομένους, ὅπως αὐτὰς ποικίλοις ἐπιχειρήμασι παρακρούονται; τοὺς τῶν νόμων τεχνίτας περιϊστάμενοι συνηγόρους, τοὺς δεινοὺς ῥήτορας ἐπαγόμενοι βοηθούς, ψευδομάρτυρας τρέφοντες, δικαστήρια διαφθείροντες; καὶ διὰ τούτων ἐξ ὧν ὁρᾷς ζῶν, περὶ τῶν μελλόντων τῶν μετά σε παιδεύου. εἰ δίκαιον ἔχεις τὸν πλοῦτον, εἰς δέον χρῆσαι, ὡς ὁ μακάριος Ἰώβ· εἰ ἄδικον, ἀνάλυσον αὐτὸν ἐπὶ τοὺς βιασθέντας κυρίους, ὡς αἰχμάλωτον ἐκ πολέμου· ἢ αὐτὸν ὃν ἔλαβες, ἢ μετὰ προσθήκης, ὡς ὁ Ζακχαῖος. εἰ μὴ ἔχῃς, μὴ κτήσῃ κακῶς· σοὶ μὲν γὰρ ἀκολουθήσει πικρὸν ἐφόδιον ἡ ἁμαρτία τὴν ἀναγκαίαν πορευομένῳ πορείαν. ἡ δὲ ἀπόλαυσις τῶν κτηθέντων, οἷς οὐ γινώσκεις, κατα-

corpus tuum exporrectum omníſque ſenſus expers habebit, & paucorum tabula palmorum reliquias tuas teget. Vbi tum opes, vbi tanto collecta ſtudio cimelia? Quis bonorum abs te relictorum heres? Nec enim is omnino, quem tu tibi deſtinas, certus erit ſucceſſor. Si liberi tibi ſuperſtites, fortè ab auaro tuiq; ſimili circumſcribentur, iniuriâ afficientur, ac flentes patriis ex ædibus expellentur. Quòd ſi liberorum expers, amicorum aliquem heredem inſtituis, nō eſt cur teſtamenti tabulis magnopere cōfidas, tamquam certæ & definitæ legi, tamquam rei minimè controuerſæ, cuique contradici nullo modo poſſit. Parua res ſcriptum irritum facit. Nónne vides vt apud tribunalia ſuper teſtamentis aſſiduè litigetur? quot ea modis & quibus artibus pet iuriſperitos, aduocatos, oratores, ac falſos qui ad hoc aluntur, teſtes, perque iudiciorum nundinationes oppugnentur? Ex his certè quæ viuo te & vidente fiunt, coniecturam facere debes de his quæ poſt te futura. Si tibi diuitiæ benè & innocenter partæ, exemplo beati Iobi, benè eis vtere; ſi malè & per nefas quæſitæ, ſolue quaſi captiuas, ſuíſque dominis, quibus per iniuriam ablatæ, vel quales ad te peruenere, vel etiam cum auctario, velut Zacchæus, repone. Si nullas habes, noli per malas artes acquirete. Alioquin enim abeuntem, ac neceſſarium ingredientem iter, triſte peccati viaticum perſequetur: boniſque abs te relictis alieni igno-

tique fruentur. Tum Dauidem
Pſal.38. v.7. mirabere dicentem: *Theſaurizat, & ignorat cui cõgregabit ea.* Tum & diuitem illum Lazaro oppoſitum agnôris: illum quidem in Euangeliis nobis lectum; neque fabulam ad terrorem compoſitam, ſed certum abſolutumq́; futuri typum æui. Byſſus computruit, regnum ad alium traductum eſt, deliciæ & voluptates euanuerunt; peccatum autem ab illis profectum manet, abeuntemque porrò comitatur, non aliter quàm vmbra corpus: eoque poſt epularum magnificentiam, poſt lautas opiparaſq́; menſas, aquę guttam leproſi digito deſtillantem requirit, ac mendicum ad opem ferendam implorat, cui ne manus quidem fuiſſe videntur ad canes abigendos qui vulnera circa atrium iacentis allamberent. Sed & deſiderat coniungi Lazaro, quem ex aduerſo videt foſsâ mediâ vel hiatu diuulſus. Quo quidem deſignatur non vallum, non agger manu factus, vt in caſtris ad hoſtem arcendum; ſed peccatorum obex & ſepimentum, quod condemnato, velut muri obiectu, aditum tranſitúmque ad iuſtum intercluſit. Et huic explicationi ſubſcribit Iſaias, cùm inſipientem populum grauiter increpans ſic affatur:
Iſaiæ 59. v.1. *An non valida ſatis manus Domini ad ſeruandum, aut aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat? Immò verò peccata veſtra diuiſerunt*

λειφθήσεται. καὶ τότε τὸν Δαβὶδ θαυμάσεις λέγοντα· θησαυρίζει, καὶ οὐ γινώσκει τίνι συνάξει αὐτά. γνωρίσῃς δὲ καὶ τὸν πλούσιον τὸν ἀντίθετον τοῦ Λαζάρου· τὸν ἀρτίως ἡμῖν ἐκ τῶν εὐαγγελίων ἀναγνωσθέντα· οὐ μῦθον συγκείμενον εἰς κατάπληξιν, ἀλλὰ τύπον ἀκριβῆ παραδοθέντα τοῦ μέλλοντος. ἡ βύσσος ἐσάπη, ἡ βασιλεία μετῆλθεν εἰς ἕτερον, αἱ τρυφαὶ κατηργήθησαν, ἡ ἀπ' ἐκείνων ἁμαρτία συνεξεδήμησεν ὡς σκιὰ παραμένουσα βαδίζοντι σώματι· καὶ διὰ τοῦτο μετὰ τὴν πολυτέλειαν τῶν συμποσίων καὶ τὴν ἀβροδίαιτον τράπεζαν, ὕδατος ῥανίδα ζητεῖ δακτύλου λεπροῦ ἀποστάζουσαν, καὶ καλεῖ τὸν πτωχὸν τῆς τιμωρίας θεραπευτήν, τὸν οὐδὲ χεῖρας ἔχοντα τάχα ἡνίκα τῷ πυλῶνι προσερρίπτετο. ἦ γὰρ ἂν τὰς κύνας ἀποσώβησε τὰς ἐπιλειχομένους τὰ τραύματα. ἐπιθυμεῖ δὲ συμμίξαι τῷ Λαζάρῳ ἐκ τοῦ κατέναντι βλεπομένῳ, καὶ μέσῳ διειργίζεται τῷ ὀρύγματι, ἢ τῷ χάσματι· οὐ βόθρου τινὸς ὄντως ὀρυγμένου, οὐδὲ τάφρου πεποιημένης, ὡς ἐπὶ τῶν στρατοπέδων ἔστιν ἰδεῖν τὸ τοῦ πολέμου μεταίχμιον, ἀλλὰ τὸ κώλυμα οἶμαι τῶν ἁμαρτημάτων ὁ λόγος ἐνδείκνυται, ὃ τῷ κατεγνωσμένῳ τῆς πρὸς τὸν δίκαιον παρόδου ἀπετείχισεν. καί μου τὴν ἑρμηνείαν Ἡσαΐας ὁ προφήτης ἐπισφραγίζεται, πρὸς λαὸν ἄφρονα βαρέως ἀποτεινόμενος καὶ λέγων· μὴ οὐκ ἰσχύει χεὶρ Κυρίου διασῶσαι; ἢ ἐβάρυνεν τὸ οὖς αὐτοῦ τοῦ μὴ ἀκοῦσαι; ἀλλ' αἱ ἁμαρτίαι ὑμῶν διΐστῶσιν ἀναμε-

„ ἀνάμεσον ὑμῶν καὶ ἀνάμεσον τοῦ Θεοῦ. εἰ δὲ ἁμαρτήματα ἀνθρώπους χωρίζειν δύναται Θεοῦ, οὐδὲν ἂν πλεονεξίας ἁμαρτωλότερον γένοιτο, ἣ καὶ παρὰ τῆς ἀψευδοῦς φωνῆς Παύλου τοῦ τῆς ἀληθείας κήρυκος, εἰδωλολατρεία προσαγορεύεται, καὶ πάντων τῶν κακῶν ῥίζα καὶ μήτηρ. πόθεν γὰρ οἱ τῆς μερίδος ὄντες ποτὲ τῶν Χριστιανῶν, καὶ κοινωνοὶ τῶν μυστηρίων, πρὸς τὴν τῶν δαιμόνων λατρείαν εἱλκύσθησαν; οὐκ ἔρωτι τὰ πολλὰ κτήσασθαι καὶ κύριοι γενέσθαι τῶν ἀλλοτρίων; λαβόντες δὲ ὑποσχέσεις παρὰ τῶν ἀθέων καὶ ἀσεβῶν, ἢ ζωῆς ἀρχοντικῆς ἢ περιουσίας τῆς ἐκ βασιλικῶν ταμιείων, ὥσπερ ἱμάτιον ταχέως τὴν θρησκείαν μετημφιέσαντο. καὶ τὰ μὲν τῶν ἀνωτέρω χρόνῳ τῆς ἡμετέρας ζωῆς μνήμη καὶ ἀκοὴ διεσώσατο καὶ ἐδίδαξεν· ἔστι δὲ ἃ καὶ ὁ καθ' ἡμᾶς βίος τῇ πείρᾳ παρέδωκεν. ὅτε γὰρ ὁ βασιλεὺς ἐκεῖνος, ὁ τὸ προσωπεῖον τοῦ Χριστιανοῦ ἀθρόον ἀποθέμενος, γυμνώσας δὲ τὸ δρᾶμα τὸ κωμικὸν, ὃ ἐν πολλῷ τῷ χρόνῳ καθυπεκρίνατο, αὐτός τε ἀναιδῶς ἔθυεν δαίμοσιν, καὶ τοῖς τοῦτο βουλομένοις ποιεῖν πολλὰ προετίθη τὰ γέρα, πόσοι τὴν ἐκκλησίαν ἀφέντες ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἔδραμον; πόσοι δὲ τὸ τῶν ἀξιωμάτων δέλεαρ εἰσδεξάμενοι, μετ' ἐκείνου κατέπιον τὸ τῆς παραβάσεως ἄγκιστρον; στιγματίαι δὲ περινοστοῦσι κατὰ τὰς πόλεις, μισούμενοι, δακτυλοδεικτούμενοι προδόται καὶ οὗτοι τοῦ Χριστοῦ δι' ὀλίγον ἀργύριον, ἐξόριστοι τοῦ καταλόγου τῶν Χριστιανῶν, ὡς Ἰούδας τῶν ἀποστόλων, ἀπὸ τῆς

*inter vos & Deum veſtrum.* Quòd ſi peccata mortales à Deo ſeparãt, de auaritiâ non eſt dubitandum, peccato longè grauiſſimo, quam verâ voce veritatis ille præco Paulus idololatriam appellat, omniumque ſtirpem & genitricem malorum. (Ephes. 5. v. 5.) Quid enim eos qui Chriſto nomen dederant, ac myſteriorum participes erant, ad cultum dæmonum pertraxit? Nónne plura poſſidendi cupiditas, & alienas fortunas occupandi? Nónne promiſſorum ſpe magiſtratuum ac præfecturarum, regiæque munificentiæ & largitionis ab impiis factâ, Dei cultum religionemq; quaſi veſtem repentinò murarunt? Et hæc quidem anteriorum exempla temporum memoria ſeruauit: ſunt etiamnum recentia ac noſtræ ætatis. Cùm enim Imperator ille, qui Chriſtiani perſonam per ſimulationem diu geſtauerat, repẽtè eam deponens, totamque reducto ſipario ſcenam denudans, & ipſe dæmoniis impudenter ſacrificauit, & alios variis eò præmiis inuitauit; quantus ab Eccleſiâ ad altaria factus eſt concurſus? quàm multi per honorum eſcam & illecebras vnà cum ipſo tranſgreſſionis hamum deuorarunt? Qui nũc quidem ſtigmatię ciuitates oberrant, omnibus odio ludibrioq; tamquam Chriſti Domini propter pauxillum argẽti proditores, expuncti Chriſtianorum albo, ſicut Iudas Apoſtolorum, à

tranſgreſſoris appellatione noti, ſicut à ſignis equi, qui in peccatum omnium grauiſſimum pertrahi facilè paſſi ſunt, ſequutique ſtatim impuræ & execrabilis impietatis myſtagogum. Ita nimirum
Ephes. 5. v. 5. auaritia iuxta Apoſtolum idololatria eſt, omniumque radix malorum, innumera ex ſeſe vitia progignens. Sicut enim ij qui aurum in ſinu viſceribuſq; terræ ſcrutantur, auream glebam circa principem & proprium generationis locũ cumulatim repoſitam inueniri narrant, & aliquas inde velut venas in longum hinc inde produci, ſicut arborum à ſtipite latè ſeſe explicant ac diffundũt radices: ad eumdem modum, imagine non minùs impropriâ auri & auaritiæ, mulra video germina multosq; ſurculos vnâ eadémque ſtirpe auaritiâ coniunctos. Hinc video filium capiri genitoris imminentem, & abſque vllâ vel venerandæ canitiei vel auctoritatis parriæ reuerentiâ longiorem ſenis vitam indignãtem. Cùm enim copiam omnem domi largiter ſuppetere videt, cuius dominium penes ipſum non ſit, eoq; potiri ipſe cupit, & ſui quoque iuris fieri, grauis illi patria auctoritas ac poteſtas. Et initio quidem intra ſilẽtium ſeſe continet, alteq; reconditum morbum habet; auctâ dein paullatim cupiditate, & animo iam tumente, repentè malum prorum-

προσηγορίας τοῦ παραβάτου γνωριζόμενοι, ὡς ἀπὸ τῶν σημαιῶν οἱ ἵπποι ἑλκυσθέντες μόνον εἰς τὴν χαλεπωτάτην παταγὴν πασῶν ἁμαρτιῶν, καὶ εὐθὺς ἀκολουθήσαντες τῷ τῆς βεβήλου καὶ μιαρᾶς δυσσεβείας μυσταγωγῷ. οὕτω τοίνυν κατὰ τὸν ἀπόστολον ἡ πλεονεξία καὶ εἰδωλολατρεία γίνεται, καὶ ῥίζα πάντων τῶν κακῶν ἐστιν, ἀφ' ἑαυτῆς ἀμυθήτους γεννῶσα κακίας. ὡς γὰρ οἱ τὸν χρυσὸν ἐπὶ τὸν κόλπον τῆς γῆς ἀναχλεύοντες, φασὶν τὸν χρύσουν τὴν γῆν ἐπ' αὐτῆς μὲν τῆς ἀρχῆς καὶ τῆς κυριωτάτης γενέσεως σωρηδὸν ἀποκεῖσθαι, ἐκεῖθεν δὲ ὥσπερ φλέβας τινὰς ἀπό τινος ἔνθεν καὶ ἔνθεν εἰς μακρὸν διηκεῖν καὶ πολυσχιδεῖς ἀποτείνεσθαι κατ' αὐτὰς τὰς ῥίζας τῶν δένδρων τὰς ἐκ τοῦ πρέμνου διαπλουμένας· οὕτως κἀνταῦθα πολλὰς βλέπων τὰς ἀποφύσεις, μιᾷ ῥίζῃ τῇ πλεονεξίᾳ τὰς πάσας συνδεδεμένας εὑρίσκω. καὶ μέντοι καὶ οὐκ ἂν οἰκεῖον εὗρεν ὁ λόγος πρὸς πλεονεξίαν ἐκ τοῦ χρυσοῦ τὸ ὑπόδειγμα. ἐντεῦθεν ὁρῶ τὸν πατραλοίαν τῆς κεφαλῆς τῆς γεννησάσης κατατολμῶντα, οὐκ αἰδούμενον δὲ οὔτε τὴν πολιὰν, οὔτε τὸ πατρικὸν ἀξίωμα, ἀλλὰ τῇ ἐπιπλέον ζωῇ τοῦ γέροντος βαρούμενον. πάντα γὰρ ὁρᾶν ἐπὶ τῆς οἰκίας ἄφθονα, καὶ τὴν ἐξουσίαν τῶν βλεπομένων οὐκ ἔχων, ἐπιθυμῶν δὲ κύριος εἶναι ἑαυτοῦ τε καὶ τῆς περιουσίας, στενοῦται τῇ πατρικῇ αὐθεντίᾳ. καὶ τὰ μὲν πρῶτα σιωπᾷ, καὶ ἐν τῷ βάθει κατέχει τὴν νόσον· τῷ χρόνῳ δὲ τὴν ἐπιθυμίαν πλεονάσας, καὶ πληρωθεὶς τὴν ψυχὴν, ἀθρόον ἐκρήγνυσι τὴν κακίαν,

ὡς

ὡς ἐπὶ τῶν σωλήνων τὰ ὕδατα. καὶ λοιπὸν ἔξω ἀφόρητός ἐστι τῷ πρεσβύτῃ, μονονουχὶ συνελαύνων αὐτὸν πρὸς τοὺς τάφους ὑγιαίνοντα καὶ βαδίζοντα. ἂν κούφως ἀναβῇ τὸν ἵππον, ὑπερθαυμάζει. ἂν τροφῆς ἐρρωμενέστερον μεταλάβῃ, γογγύζει. ἂν τοὺς οἰκέτας ἑωθινὸς διεγείρει πρὸς τὰς ὑπηρεσίας, τῇ ἐγρηγόρσει καὶ τῇ δυνάμει τοῦ γέροντος ἄχθεται. ἂν δὲ καὶ δωρήσηταί τι τῶν κειμηλίων, ἢ οἰκέτην ἀφῇ τῆς δουλείας, τότε δὴ τότε καὶ λῆρος καὶ παραπαίων, καὶ τοὺς τῆς ζωῆς ὑπερβὰς ὅρους, καὶ τῶν ἀλλοτρίων σπαθητὴς, καὶ πᾶν βλάσφημον ἀκούων ἐνπαροινεῖται· διατὶ μὴ ταχέως ἀπέθανεν ἐγκαλούμενος; σὸς οὗτος, ὦ μιαρὰ πλεονεξία, καρπός. παρά σου τὰ κέντρα λαμβάνων ὁ παῖς, πολέμιος γίνεται τοῦ γεννήσαντος. σὺ πληροῖς τὴν γῆν λῃστῶν καὶ φονευτῶν, καταποντιστῶν δὲ τὴν θάλασσαν, τὰς πόλεις θορύβων, τὰ δικαστήρια ψευδομαρτύρων, συκοφαντῶν, προδοτῶν, συνηγόρων, δικαστῶν ἐκεῖ ῥεπόντων ὅπου δ᾽ ἂν σὺ καθελκύσῃς. πλεονεξία μήτηρ τῆς ἀνισότητος, ἀνελεὴς, μισάνθρωπος, ὠμοτάτη. διὰ ταύτην ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος ἀνωμαλίας γέμει. καὶ οἱ μὲν ἐκ τοῦ κόρου ναυτιῶσι τὴν περιουσίαν τῶν κτημάτων, οἷον τροφὴν ἄπληστον ἀποβλύζοντες· ἄλλοι δὲ λιμῷ καὶ ἐνδείᾳ πιεζόμενοι κινδυνεύουσιν. οἱ μὲν ὑπ᾽ ὀρόφοις χρυσοπάστοις κατάκεινται, καὶ ὡς μικρὰς πόλεις οἰκοῦσι τὰς οἰκίας,

pit, non alitet quàm è fiſtulis & canalibus aquæ vis. Tum ille miſeto ſeni prorſus intolerabilis, viuúmq; tantumnon effert ac valentem. Si equum agilitet conſcendit, miratut & adſtupet: ſi largiùs & vt benè ſanus, cibum ſumit, fert ægrè, ſecúmque murmurat: ſi famulos ad opera ac miniſteria manè excitat, vigilantiam bonámque valetudinem ſenis gemit ac dolet. Quòd ſi aliquod cimelium alicui donauerit, aut ſeruum manumiſerit, tum nullius homo pretij ac delirus audit; tum quaſi viuendi regulam ac præſcriptum tranſgreſſus, alieníque prodigus ac profuſus, conuitiis atque probris omnibus proſcinditur; longioris, heu, vitæ & ſpiritus non ſtatim emiſſi reus. Tui iſti, ſcelerata auatitia, fructus: tuo impulſu & incentiuo filius parenti inimicitias denuntiat: tu comples terram latronibus & homicidis, mate piratis, vrbes turbis atque tumultibus, forum ac tribunalia falſis teſtibus, ſycophantis, proditoribus, aduocatis ac iudicibus eò propendentibus quò tu pertraxeris. Auatitia mater inæqualitatis, immiſeticors, inhumana, crudelis. Per hanc vita mortalium diſpar ac diſcots: aliíque ſatietate nauſeant, & opes ſuperfluentes velut cibum nimium euomunt; alij fame & penuriâ preſſi, in extremo pænè diſcrimine verſantur: hi ſub tectis recumbunt auro diſtinctis ac variegatis, domoſque incolunt paruarum inſtar vrbium,

in quibus balneæ, porticus in longum porrectæ, & plures quaſi domus, omniſque magnificentia ac ſplendor; illi contrà ne duo quidem tigna, quibus tegantur, habent: cúmque perdurare ſub dio non poſſunt, vel ad caminos balnearum confugiunt, vel ſi in balneatores hoſpitibus inimicos inciderint, pariter ac ſues fimum fodientes, neceſſarium ſibi calorem procurant. O diſparem vitæ conditionem inter homines à naturâ dignatione pares! quæ quidem perturbatio rerum atq; diuerſitas non aliunde quàm ab auaritiâ profluit. Ab hac eſt quòd alius contra decorum pænè nudus, alius præter innumeras ad vſum corporis veſtes parietes ipſos purpura velat. Pauper nec in ligneâ quidem menſâ conſtingere panem poteſt, cùm mollis ille & delicatus fulgore latiſſimæ ex argento menſæ, quam opere ductili fieri curauit, mentem & oculos paſcat. At quantò fuerat æquius, illo lautè quidem & opiparè epulante, ceteráſque delicijs ad ſatietatem vſurpante, menſæ pretium in alimenta pauperum conuerti? Alius ætate feſſus & ingredi inualidus, aut vitio aliquo claudus, aſinum neceſſarium vectorem non habet; alius ipſos equorum greges ob multitudinem ignorat: huic oleum ad lychnum deeſt; ille ſolis luminibus & candelabris cenſeri diues poteſt: hic quidem in ſolo nudo procumbit; ille verò diuitiis laborans in lecto ſe reſupinat circum-

λουτροῖς καὶ οἴκοις ποικίλοις καὶ στοαῖς ἐπὶ μακρότατον διηκούσαις, καὶ παντοίᾳ πολυτελείᾳ κεκοσμημέναις. ἕτεροι δὲ δύο δοκῶν σκέπην οὐκ ἔχουσι, ἀλλ' ὅταν ἐν ὑπαίθρῳ διαζῆν μὴ δύνωνται, ἢ πρὸς τὰς καμίνους καταφεύγουσι τῶν λουτρῶν, ἢ καὶ τοῖς βαλανεῦσι κακοξένοις περιτυχόντες, παραπλησίως τοῖς χοίροις τὴν κόπρον ὀρύττοντες, τὴν ἀναγκαίαν θερμὴν ἑαυτοῖς μηχανῶνται. καὶ τὸ ὁμότιμον ζῶον ὁ ἄνθρωπος τοσαύτην ἔχει τὴν διαφορὰν τῆς διαίτης πρὸς τὸ ὁμόφυλον· οὐκ ἄλλου τινὸς τὴν ἀταξίαν ταύτην καὶ τὴν ἀνωμαλίαν, ἢ τῆς πλεονεξίας ἐπεισαγούσης. ὁ μὲν γυμνοῖς ἀσχημονεῖ τοῖς μέλεσι· καὶ ὁ ἄλλος πρὸς τὸ τὴν ἐσθῆτα δυσαρίθμητον ἔχειν, πορφυραῖς πλαξὶν τοὺς τοίχους ἐνδύει. ὁ πένης ἐπὶ ξυλίνης τραπέζης ἄρτον ἀπορεῖ διαθρύψαι· καὶ ὁ τρυφῶν ἀργυρᾶν τράπεζαν ἐλάσας εἰς πλάτος τῷ στίλβοντι ψυχαγωγεῖται τῆς ὕλης. καὶ πόσῳ δικαιότερον ἦν, τὸν μὲν ἐσθίειν ἀρκούμενον τῇ ἄλλῃ τρυφῇ, τῆς τραπέζης δὲ τὴν τιμὴν τῶν ἀπόρων εἶναι τροφήν; ἄλλος γηραιὸς καὶ βαδίζειν ἀδυνατῶν, ἢ διά τινα λώβην χωλεύων, ὄνον οὐ κέκτηται ἀναγκαῖον τῆς χρείας ὄχημα· καὶ ἕτερος διὰ πλῆθος τὰς ἀγέλας οὐ γνωρίζει τῶν ἵππων. τῷ μὲν ἔλαιον ἐνδεῖ πρὸς τὸ λύχνον ἀνάψαι· καὶ ἄλλος μόναις ταῖς λυχνίαις πλουτεῖ. ὁ μὲν ἐπὶ τοῦ ἐδάφους ἔρριπται· καὶ ὁ μάτην πλουτῶν τῷ κόσμῳ τῆς κλίνης περιαστράπτεται,

ζωι, ἀργυρέας σφαίρας ἐχούσης καὶ ἁλύσεις ἀντὶ τῶν σχοίνων. ταῦτα τὰ τῆς ἀκορέστου πλεονεξίας ἀποτελέσματα. εἰ γὰρ μὴ εἰσήγαγεν εἰς τὸν βίον τὴν ἀνισότητα, οὐκ ἂν αὗται ἦσαν τῆς ἀνωμαλίας αἱ ἐξοχαὶ καὶ κοιλότητες, οὐδ᾽ ἂν αἱ ποικίλαι συμφοραὶ ἀηδῆ καὶ πολυδάκρυτον ζωὴν ἡμῶν ἀπειργάζοντο. ἐντεῦθεν τὴν φυσικὴν πρὸς ἀλλήλους φιλίαν ἀπώλεσαν ἄνθρωποι, καὶ σίδηρον ἀκονῶσι, καὶ συγκροτοῦσι παρατάξεις, καὶ ὥσπερ τινὰ θηρία μετὰ πολλῆς τῆς ἀγριότητος ἀλλήλοις συνάπτουσι. τὰ δὲ ἀκόλουθα τούτοις πῶς ἄν τις καὶ ἐξηγήσαιτο; τείχη καρτερὰ τοῖς μηχανήμασι κατασείεται, καὶ πόλεις ἁλίσκονται, καὶ γυναῖκες ἄγονται, καὶ παῖδες ἀνδραποδίζονται, τέμνεται γῆ καὶ κείρεται, καὶ τὰ δένδρα πολεμοῦνται ὡς ἀδικήσαντες ἄνθρωποι, φόνος δὲ τῶν ἐν ἀκμῇ πολύς, καὶ οἱ τοῦ αἵματος ῥύακες ἀπορρέουσι τῶν ἀθλίων σωμάτων· ὁ δὲ πλοῦτος τῶν ἡττηθέντων ἆθλον τῶν κρατησάντων. ἐπὶ τούτοις ὀδυρμοὶ χηρείας, ὀρφανῶν δάκρυα, καὶ πατέρας ὁμοῦ καὶ τὴν ἐλευθερίαν θρηνούντων. ὁ δὲ πρώην κύριος πλούτου πολλοῦ, ἄρτου μεταιτεῖ τέμαχος, προτείνων τὴν δεξιάν. καὶ ὁ πολλοὺς ἔχων δούλους ὑφάντας, καὶ οἰκίας γεμούσας ἐσθήτων, ῥάκια περιβεβλημένος δουλεύει, ὕδωρ πρὸς ἀνάγκην κομίζων, καὶ τοῦ ἱππῶνος ἀποξύων τὴν κόπρον, καὶ ταῖς αἰσχραῖς ὑπηρεσίαις διακονούμενος. ἀλλὰ μυρία

quaque fulgente,& argenteis ſphęris atque catenis vice funium exornato. Tales nimirum inexplebilis auaritiæ effectus. Abſque eâ foret neque eſſet hæc in vitâ mortalium inæqualitas, hoc diſſidium, neque tam variis cladibus atque calamitatibus inſuauis ea nobis ac lacrymabilis redderetur. Hinc homines naturalem erga homines caritatem exuunt; hinc ferrum acuunt, acieſq; inſtructas inter ſe arietant, ſuminaque cum immanitate tamquam belluæ depugnant. Cetera deinceps quis enarrauerit? Muri validi & excelſi machinis conquaſſantur, vrbes expugnātur, coniuges abducuntur, liberi in ſeruitutem rediguntur, agri vaſtantur & vruntur: arboribus ipſis, tamquam iniuriam intulerint, haud temperatur: cædes fit magna iuuenum ac virorum, riuique ſanguinis à ſtrage cadauerum profluunt ac voluuntur: facultates denique & fortunæ eorum qui vincuntur, prę̨mij loco victoribus cedunt vniuerſæ. Quid deinde? viduarum lamenta, pupillorum fletus, & parentes ſuos & libertatem amiſſam elugētium. Qui nudiuſtertius multarum magnarumque diuitiarum poſſeſſor, tum fruſtum panis protensâ dexterâ mendicat: qui ſeruos complures habuerat textores, ædeſque veſtibus refertas, lacero detritoque malè tectus panniculo ſeruitutem ipſe ſeruit, & aggerere aquam, equili ſtercus abradere, & huiuſmodi fœda ſubire miniſteria cogitur. Alia ſexcenta mala

mala ſunt, quæ ſummatim oratione complecti, impoſſibile. Omnium autem eorum cauſſa ac radix plus habendi cupiditas, & iniquus alienorum bonorum amor. Hanc affectionem ſi quis hominum pectoribus exegerit, nihil erit quod vetet, quin & in altâ pace tranquillè degamus, & omnis prorſus exſulet è vitâ noſtrâ contentio, terror atque perturbatio: quin protinus naturalem ad caritatem & amicitiam redeant omnes. Et eâ re Dominus noſter bonis monitis diligenter hunc morbum curat, dum aliàs quidem affirmat, non poſſe
Matth. 6. v. 24. nos Deo ſimul & Mamonæ ſerui-
Lucæ 16. v. 13. re; aliàs verò diuitem illum miſerum proponit, qui magnis cogitationibus plenus, ac diuturnam ſibi ſpondens voluptatum fruitionem, nõ vltra craſtinum vitam erat pro-
Lucæ 12. v. 18. ducturus. Sed & alibi, dum eximium & numeris omnibus abſolutum illum prædicat, qui facultates ſuas pauperibus dilargitus ad inopem philoſophiam ſpontè properabit, illam virtutis matrem atq; contubernalem. Verùm hic audire mihi videor, etiã in ſilentio, publici ſaporis quorumdam voces quibus doctoribus obſtrepi ſolet: Et quomodo vitam, inquiunt, ſuſtentabimus, ſi rei familiaris nulla cura? quomodo neceſſaria comparare valebimus, quomodo vel æs alienum diſſoluetur, vel mutuum petenti dabitur, ſi de tuo conſilio paupertatem omnes amplexi fuerimus? Increduli iſte ſermo & diffidentis: inſipientis

κακά, ἃ περιλαβεῖν ἀθρόως ἀδύνατον. τούτων δὲ πάντων ἀρχὴ καὶ αἰτία καὶ ῥίζα ἡ τοῦ πλείονος ἐπιθυμία, ἔρως ἄδικος τῶν ἀλλοτρίων κτημάτων. εἰ δέ τις τοῦτο τὸ πάθος τῶν ἀνθρώπων ἐξήκοψεν, οὐδὲν ἐκώλυσεν εἰρήνην μὲν τῷ βίῳ βαθεῖαν ἐμπολιτεύεσθαι, πολέμους δὲ καὶ ταραχὰς ἐξ ἀνθρώπων φυγαδευθῆναι· ἐπανελθεῖν δὲ πάντας ἐπὶ τὴν κατὰ φύσιν στοργὴν καὶ φιλίαν. διὰ τοῦτο καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν ἐπιμελῶς τοῖς παραγγέλμασι ταύτην ἐξιᾶται τὴν νόσον, ποτὲ μὲν ἀποφαινόμενος, οὐ δύνασθαι Θεῷ δουλεύειν, καὶ τῷ Μαμωνᾷ· ποτὲ δὲ τὸν πλούσιον ἐκεῖνον ἄθλιον ἀποφαίνων τὸν τῇ ἑξῆς τελευτᾶν μέλλοντα καὶ τὴν μακροχρόνιον ἀπόλαυσιν τῆς τρυφῆς ἑαυτῷ προστυποῦντα. καὶ ἀλλαχοῦ τὸν τέλειον ἐκεῖνον εἶναι διδάσκων, ὃς ἂν πάντων, ὧν ἔχει, τοῖς δεομένοις διαχωρήσας, πρὸς τὴν ἀκτήμονα φιλοσοφίαν αὐτομολήσει, τὴν μητέρα τῆς ἀρετῆς καὶ ὁμόσκηνον. ἀλλά μοι δοκῶ καὶ σιωπώντων ἀκούειν τῶν ἐκ συνηθείας τὰ τοιαῦτα φθεγγομένων πρὸς τοὺς διδάσκοντας· καὶ πῶς πρὸς τὸν βίον διατελέσομεν, εἰ ἡ κτῆσις τῶν χρημάτων ἀμεληθείη; πῶς δὲ ταῖς χρείαις ἐπαρκέσομεν, πῶς λυθήσεται δάνεισμα; πῶς δὲ καὶ δοθήσεται δάνειος τῷ ζητοῦντι, ἂν πάντες ὁμοῦ διὰ τὴν σὴν παραίνεσιν ἀπορῶσι; ἀπίστου τὸ ῥῆμα· ἀσυνέτου

ἡ φω-

ἡ φωνὴ, οὐκ εἰδότος, ὅτι δεσπότην ἔχομεν τὸν Θεὸν, οἰκονόμον τοῦ βίου, τῷ γενομένῳ ζώῳ παρ' ἑαυτοῦ χορηγοῦντα τὰ χρήσιμα, καὶ τοὺς ἀναγκαίους πορισμοὺς τῆς τροφῆς, καὶ τῶν σκεπασμάτων τὴν χρείαν. ἡ γὰρ πρόνοια τοῦ Θεοῦ τῶν οἰκείων ποιημάτων ἐστὶ περιεκτική· καὶ τὸν ἐν πίστει πλουτοῦντα, πενίας οὐδεπώποτε κατέσχεν συμφορά. ἓν δὲ τῶν θείων προκομίσας λογίων εἰς ἀπόδειξιν τοῦ προκειμένου ἱκανὸν, ὡς οἶμαι, μαρτυρίαν παρέξω. ἐν τῇ τῶν βασιλείων ἱστορίᾳ γυνή τις ἀναγέγραπται χήρα, βαρυνομένη λίαν τῇ συμφορᾷ τῆς μονώσεως, ἐπολιόρκει δὲ αὐτὴν δανειστὴς φιλάργυρος καὶ μισάνθρωπος, ἐνέχυρον τοὺς υἱοὺς ἀφαιρούμενος, οὓς μόνους εἶχεν ἀντὶ πάντων ἡ μήτηρ. ἐπεὶ δὲ εἰς ἀμηχανίαν αὐτῇ περιεστήκει τὸ πρᾶγμα, καὶ οὐδεὶς ἠλέει τῶν ἐχόντων χρυσίον, ἦλθεν πρὸς τὸν ἔχοντα φιλανθρωπίαν καὶ πίστιν· Ἐλισσαῖος δὲ οὗτος ἦν ὁ προφήτης, ἀνὴρ ἀκτήμων τῶν γηΐνων ὑλῶν, καὶ περιουσιαζόμενος τῆς ἀσωμάτου περιουσίας, φιλόσοφος ἐξ ἀροτήρων, ἄοικος, ἀνέστιος, μονοείμων, νεωστὶ μὲν κληρονομήσας, τὴν δὲ κληρονομίαν λαβὼν μηλωτὴν εὔωνον, καὶ εὐλογίαν ἀόρατον τοῦ πυρίνου ἅρματος ἐκπεσοῦσαν. οὐ μὴν ἄπρακτον τὴν ἱκέτιν ἀπέπεμψεν, οὐδὲ ἀπέγνω τῆς βοηθείας, ἐπειδὴ μὴ παρῆν τὸ ζητούμενον· οὐδὲ εἶπεν ἀγεννῆ τινα καὶ ἄπιστα ῥήματα, ὥς εἷς τῶν πολλῶν, καὶ πόθεν ἐμοὶ ἀργύριον, ὥστε διαλῦσαι τὸ ὄφλημα;

hæ voces, & ignorantis quòd Dominum habemus Deum huius vitæ gubernatorem diſpenſatorémque, qui natis animantibus neceſſaria tum alimenta tum veſtimenta ſponte ſuâ ſuppeditat. Diuina prouidentia fouet ac tuetur opera ſua, nec vmquam in fide diuitem egeſtas ærumnoſa oppreſſit. Teſtabitur id, vt opinor, abundè vel vnum quod è Sacris litteris à me proferetur exemplum. In hiſtoriâ Regum mulier deſcribitur, quam ſupra viduitatis ac ſolitudinis malum fœnerator auarus & inhumanus vrgebat obſidebatque, liberos etiam ipſos, quos præter miſeræ nihil reliquum, loco pignoris abducturus. Itaque cùm in extremas eſſet redacta anguſtias, ac nemo quiſquam ditiorum miſeratione tangeretur, adiit ad hominem hu-
manum ac fidelem: Eliſæus hic 4.Reg.4.
erat Propheta, terrenis quidem expers bonis, incorporeis autem atq; cæleſtibus ornatus & copioſus: philoſophus ab aratro, ſine domo certiſque ſedibus, veſte vnâ ac ſimplici vtens, hereditate nuper quidem auctus; ſed hereditate ouinæ
parui pretij pellis, & benedictionis 4.Reg.2.
inuiſibilis igneo curru delapſæ. Hic igitur ſupplicem infectâ re non dimiſit, nec de auxilio continuò deſperauit, etiamſi non adeſſet quod quærebatur: neque verba aliqua degeneris aut diffidentis animi protulit, ſicut aliquis è vulgo, & vnde argentum mihi debito diſſoluendo?

verùm vt peritiſſimus medicus, etſi medicamenta ad manum non erant, inopinatum morbi remedium excogitauit. Et, Quid habes, inquit, mulier in domo tuâ? Dic ſodes ſi quid inibi tibi reliquum. Nec enim quiſquam adeò pauper, nihil vt omnino poſſideat. Vbi verò reſpondit, vas eſſe fictile cum olei pauxillo: Fac, ait, multa mihi vaſa pares. Et ipſa quidem parauit; ille autem impleri iuſſit: vnde perſoluto fœneratori debito, mulier anguſtias & inopiam euaſit. Nam pauxillum illud olei, quod apud ſe eſſe Prophetæ dixerat, in modum fontis inopinatò ſcaturiuit, omneſque, quotquot conquiſitæ fuerant, amphoras repleuit: ac tum demum fluere deſiit, cùm vaſa ad recipiendum deeſſent; æquatumq; eſt indigētiæ beneficium diuinum. Nam à diuinâ profectò miſericordiâ, non ab oleâ plantáve manauit hoc oleum. Hanc, ſi poteſtis, ſcientiam vobis comparate, quicumque quàm latè patet Oriens & Occidens vſpiam eſtis, Reges, dynaſtæ, diuites, voſque mundanæ ſapientię conſulti, donum hoc agreſtis & ab aratro profecti Vatis acquirite, quod auferri non poterat, & iugiter apud eum permanebat: cùm illa veſtra, quibus quærendis ſtudetis, bona ſexcentis expoſita ſint periculis, latronibus parietum perfoſſoribus, tyrannis raptoribus, ſycophantis inſidiatoribus, mari fluctibus haurienti, telluri ipſi hiatibus dehiſcēti.

ὥσπερ δὲ ἄριστος ἰατρὸς, καὶ φαρμάκων μὴ παρόντων, ἐξ ἐπινοιῶν παραδόξων εὗρε τῇ νόσῳ τὴν ἴασιν. καὶ τί σοι φησὶν ἐπὶ τῆς οἰκίας, ὦ γύναι, μνημόνευσον, εἴ τι καὶ ὀλίγον ἔνδον τυγχάνει· οὐδεὶς γὰρ οὕτως πένης, ὡς καθάπαξ μηδενὸς κύριος εἶναι. ὡς δὲ εἶπεν, ὅτι κεράμιόν ἐστι, καὶ λείψανον ἐν αὐτῷ βραχὺ ἐλαίου· παρασκεύασόν μοι εἶπεν, πλῆθος ἀγγείων, καὶ ἡ μὲν ηὐτρέπισεν, ὁ δὲ δι' αὐτῆς ἐπλήρωσεν· καὶ τῷ δανειστῇ διελύθη τὸ ὄφλημα, ἡ δὲ γυνὴ ἀπῆλθεν ἐξ ἀπόρων εὑροῦσα τὸν πόρον. τὸ γὰρ ὀλίγιστον ἔλαιον ὃ εἶναι παρ' αὐτῇ εἶπεν πρὸς τὸν προφήτην, ἐπήγασεν ἐκ τοῦ παραδόξου, καὶ πάντας τοὺς εὐτρεπισθέντας ἀμφορεΐσκους ἐπλήρωσεν. ἔστη δὲ τότε τῆς ῥύσεως, ὅτε ἀγγεῖον οὐκ ἔτι ἦν τὸ δεχόμενον· καὶ τῇ χρείᾳ συνεμετρήθη ἡ χάρις. ἀληθῶς ἔλαιον ἐκεῖνο ὁ φυτὸν οὐκ ἐκαρποφόρησεν, ἀλλ' οἱ τοῦ Θεοῦ οἰκτιρμοὶ ἐγεώργησαν. ταύτην ὠνήσασθε τὴν ἐπιστήμην, εἰ δύνασθε, οἱ ἀπὸ ἡλίου ἀνίσχοντος μέχρι καὶ δυομένου, βασιλεῖς, δυνάσται, πλούσιοι· οἱ σοφοὶ τῆς ἐγκοσμίου σοφίας, κτήσασθε τοῦ ἀπὸ ἀρότρου προφήτου τὸ χάρισμα, ὃ ἀναφαίρετον τῷ λαβόντι συνῆν. τὰ γὰρ τῆς ὑμετέρας σπουδῆς κτήματα μυρίους ἔχει παρακειμένους τῆς ἀπωλείας κινδύνους· λῃστὰς τοιχωρυχοῦντας, τυράννους ἁρπάζοντας, καὶ συκοφάντας ἐπιβουλεύοντας, θάλασσαν καταποντίζουσαν, καὶ γῆν ὑπορρηγνυμένην τοῖς χάσμασι.

ἔστω

ἔστω τοίνυν ἐλπὶς καὶ ταμιεῖον ἀνθρώποις ἡ τοῦ Θεοῦ δεξιά· ἡ τὸν λαὸν Αἰγύπτου ἐξαγαγοῦσα, καὶ ἐν ἐρήμῳ χώρᾳ τὴν εὐθηνίαν τῶν ἀγαθῶν χορηγήσασα· ἡ τῷ Δανιὴλ ἀγαγοῦσα τὸν Ἀμβακούμ, καὶ τὸν Ἰσμαὴλ σώσασα, τὸν μητρικῆς ἀγκάλης ἀπορριφέντα· καὶ τοῖς καθ' ἑκάστην γενεὰν ἐπαρκέσασα, ἡ τὸ παλαιὸν πέντε κριθίνους ἄρτους, ὡς ἄπειρον γεωργίαν πληθύνασα, ἵνα ὁ εἷς ἄρτος χιλίων ἀνδρῶν πεινώντων πληρώσῃ γαστέρα καὶ πρός γε κόφινον τῶν λειψάνων. τῷ δὲ Θεῷ ἡμῶν ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

Spes igitur noſtra, ac cellæ penuariæ vicem ſit Dei dextera: quæ populum Iudaicum è terrâ Ægypti eduxit, bonorumque affatim vel in ſolitudine Charan ei ſuppeditauit: quæ Danieli auxiliatorem Habacuc miro modo ſtitit, & Iſmaëlem abiectum & maternis abdicatum vlnis ſeruauit: quæ Iudæis per ſingulas ætates opitulata fuit, ac denique panes quinq; hordeaceos ita in infinitum multiplicauit, vt ſinguli millenorum hominum famem ſatiarint, ſinguloſque prætereà cophinos reliquiis adimplerint. **Deo noſtro ſit laus & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.**

Exod. 14.

Ioan. 6. v. 9. & 13.

## ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΑΣΤΕΡΙΟΥ

### λόγος κατηγορικὸς τῆς ἑορτῆς τῶν Καλάνδων.

ΔΥΟ καθ' αὑτὸν ἑορταὶ συνέδραμον ἐπὶ τῆς χθιζῆς τε καὶ τῆς ἐνεστώσης ἡμέρας, οὐ σύμφωνοί τε καὶ ἀδελφαί, πᾶν δὲ τοὐναντίον ἐχθραί τε καὶ ἐναντίως ἔχουσαι πρὸς ἀλλήλας. ἡ μὲν γάρ ἐστιν τοῦ ἔξωθεν συρφετοῦ πολὺ συνάγουσα τῷ Μαμωνᾷ τὸ ἀργύριον, καὶ τὴν ἄλλην καπηλείαν ἐφελκομένη τὴν ἀγοραῖόν τε καὶ ἀνελεύθερον· ἡ δὲ τῆς ἁγίας καὶ ἀληθοῦς θρησκείας οἰκείωσιν τὴν πρὸς Θεὸν καὶ τοῦ κεκαθαρμένου βίου τὴν ἀρετὴν ἐκπαιδεύουσα. ἐπειδὴ δὲ πολλοὶ προτιμῶντες τὴν ἐκ τῆς ματαιότητος τρυφὴν καὶ ἀσχολίαν, ἀπελείφθησαν τοῦ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν συλλόγου,

## EIVSDEM ASTERII

### Homilia in feſtum Kalendarum.

DVo dies heſternus hodiernuſque feſta coniungit inter ſeſe minimè cognata aut congruentia, ſed diuerſa planè & cõtraria. Alterum enim proprium eſt multitudinis in exteriora intentæ, perq; nundinationem vilem & illiberalem multum Mamonæ argẽtum corradit; alterum autem verum Dei cultum puramq; & criminis expertem vitã docet atq; commendat. Quia verò complures, voluptatibus & occupationibus vanis antepoſitis, conuentui in eccleſiâ concioniq; ſacræ non interfuerunt,

agè nunc fatuam illam ac noxiam oblectationem, quaſi phrenitim inter riſum atq; iocum necantem, eiicere ex animis conemur. In quo Prouerb. 5. 6. & 7. cap. Salomonis quidem dicendi modum & inſtitutum opportunè mihi videor imitari poſſe: qui dum iuuenturem monet, ab intemperantiæ laqueis vt diligenter ſibi caueat, quò plus roboris & neruorum orationi inſit, perſonam Intemperátiæ tribuit mulieri perditæ damnatæque vitæ, & omnem eius improbitatem velut marmori inſculptam his, qui illecebris eius ineſcátur, ob oculos ponit. Quare & ego feſti huius ab hominibus inſtituti vanitatem patefacere, eiuſque ſtudioſos & amatores ab erroneo hoc ſtudio deterrere atq; auocare conſtitui. Hæc itaque publici feſti lex eſt, primùm vt certus ſit ac manifeſtus eius ſcopus, tum vt communis omnium lætitia; non vt aliqui in gaudio ſint, ceteri in mærore & luctu. Id enim bello magis quàm feſto congruit, in quo neceſſe eſt victores exſultare, lætitiaque propter victoriam ſeſe efferre; victos cladem ſuam atque calamitatem deplorare. Verùm enimuerò, primum quem habeat finem [& originem] horum dierum celebritas, obſcurum & incertum. Nam fabulæ quæ multæ narrantur, ſeſe inuicem facilè ſubuertunt, ac veri planè nihil. Deinde cùm paucos admodum gaudij compotes, tum plures longè triſtes animique ægros video, quamquam lætâ ſerenaque fronte

φέρε τὴν μωρὰν καὶ βλάπτουσαν τέρψιν λόγῳ τῶν ψυχῶν ἀπελάσωμεν, ὥσπερ τινὰ φρενῖτιν ἐν τῷ γελᾶν καὶ παίζειν τὸν θάνατον ἄγουσαν. ἐν καιρῷ δ' ἂν τὸν Σολομῶντα ζηλώσαιμι τῆς τοῦ λόγου μεταχειρίσεως· καὶ γὰρ ἐκεῖνος συμβουλεύων τοῖς νέοις ἀσφαλῶς ἑαυτοὺς ἀπὸ τῶν παγίδων τῆς ἀκολασίας τηρεῖν, ἵνα δραστήριον καὶ ἐνεργῆ ἑαυτοῦ νουθεσίαν ἐργάσηται, προσωποποιεῖ τὴν ἀκολασίαν εἰς γυναῖκα κατεγνωσμένην, πᾶσαν δὲ τὴν κακίαν αὐτῆς στηλιτεύσας, οὕτως μίσους ἀξίαν ἀποφαίνει τοῖς δελεαζομένοις. διὸ κἀγὼ τὴν ματαιότητα τῆς ἀνθρωπικῆς ἑορτῆς ὑποδείξας τῷ λόγῳ, πειράσομαι τοὺς ἐραστὰς ἐκείνης ἀποστῆσαι τῆς πεπλανημένης σπουδῆς. ἑορτῆς τοίνυν πανδήμου οὗτος ὁ θεσμὸς καὶ ὁ νόμος· πρῶτον μὲν φανερὸν σκοπὸν εἶναι τῆς πανηγύρεως, ἔπειτα κοινὴν εἶναι πάντων εὐφροσύνην, καὶ μὴ μέρος μὲν ἥδεσθαι, τὸ δὲ λειπόμενον ἐν λύπῃ καὶ κατηφείᾳ διάγειν. τοῦτο γὰρ πολέμου μᾶλλον ἢ ἑορτῆς ἐξαίρετον. ἐπειδήπερ ἐπάναγκες τοὺς μὲν κρατήσαντας ἐμπομπεύειν τῇ νίκῃ, τοὺς δ' ἡττηθέντας δακρύειν τὴν συμφοράν. ἐπειδή γε τούτων τῶν ἡμερῶν πρῶτον μὲν τὸ ἐπί τινι τελεῖται ἡ πανήγυρις, ἄδηλον· μῦθοι γὰρ λέγονται πολλοὶ ἀλλήλων ἀνατρεπτικοί· ἀληθὲς δὲ οὐδέν. εἶτα ὀλίγους μὲν εὐφραινομένους βλέπω, ἀνιωμένους δὲ τοὺς πολλούς, κἂν εὐπρεπεῖ ἑτερότητι τὴν λύπην

λύπην ἐπισκιάζωσιν. πάντα δὲ θορύβου γέμοντα καὶ ταραχῆς, καὶ τὸ πλῆθος πρὸς ἑαυτὸ εἰκῆ ὠθιζόμενον. ἀνάμνησις ἐστὶ καὶ εὐφροσύνη ἐνιαυτοῦ. ποία εὐφροσύνη, ἄνθρωπε; πρῶτον ὅταν ἐννοήσω τὸ συντυχίας τὸ σχῆμα οἷόν ἐστιν, καὶ ὅπως ὕποπτον καὶ οὐ φιλικόν. ἀνδρικῇ τῇ φωνῇ καὶ λεπτῇ ἡ προσηγορία προφέρεται τῶν χειλέων, εἶτα ἀκολουθεῖ φίλημα τοῦ λήμματος προοίμιον· καὶ φιλεῖται μὲν τὸ στόμα, ἀγαπᾶται δὲ τὸ νόμισμα· τὸ σχῆμα διαθέσεως, καὶ τὸ ἔργον πλεονεξίας. ἔνθα δὲ καθαρὰ φιλία καὶ ἄδολος, ἄμισθοι καὶ ἀκερδεῖς εἰσιν αἱ φιλοφρονήσεις. περιφέρεται γοῦν πολὺ πανταχοῦ, καὶ δίδοται τὸ χρυσίον· πρόφασις δὲ δικαία καὶ εὐπρεπὴς τοῦ λήμματος οὔτε ἐστὶν, οὔτε λέγεται. γάμος οὐκ ἔστιν, ἵνα νυμφίου τις γαῦρον καλέσῃ φιλοτιμίαν. ἐλεημοσύνην οὐκ ἔχω καλεῖν τὴν δαπάνην· οὐδεὶς γὰρ πένης ἀρίστα συμφορᾶς. συνάλλαγμα οὐκ ἄν τις καλέσειεν τὸ γινόμενον· οὐδὲν γὰρ διαμείβουσι πρὸς ἀλλήλους τὸ πλῆθος. δωρεὰν δὲ εἰπεῖν, οὐδὲ μέχρις ὅπου δίκαιον, ἔνθα συνέζευκται ἀνάγκη τῇ δώσει. τί τοίνυν ἢ τὴν ἑορτὴν καλέσομεν, ἢ τὰ ἐν ταύτῃ δαπανώμενα; ἐγὼ μὲν οὐχ εὑρίσκω. εἴπατε δὲ οἱ περὶ αὐτὴν ἐσπουδακότες, δότε λόγον, ὡς ἡμεῖς τῶν ἀληθινῶν καὶ κατὰ Θεὸν πανηγύρεων. γενέθλιον ἑορτάζομεν, ἐπειδὴ τὰ ἐν σαρκὶ θεοφάνια κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον ἔδειξεν ἡμῖν ὁ Θεός. φῶτα πανηγυρίζομεν, ἐπειδὴ τῇ τῶν ἁμαρτημάτων

dolorem tegunt & obumbrant: omnia denique ſtrepitu plena ac tumultu, turbamque mutuò ſeſe impellentem. At eſt anni ineuntis læta quædam recordatio. Quàm læta quæſo, bone vir? Ante omnia quidem congreſſus imaginem intuebor qualis ſit, vt plena ſuſpicionis ac minimè amica. Salutatio tenui inclinataque voce profertur, ſuccedítque oſculum muneris initium, & ſuauium quidem pangitur, numiſma autem expetitur, obtentuq; caritatis auaritiæ litatur. Nam pura ac ſincera amicitia humanitatis officia non vendit; gratis præſtat & citra mercedem. Circumfertur itaq; paſſim ac donatur auri magna copia, ſine iuſto aliquo vel ſpecioſo donationis titulo ac prætextu. Nuptiæ non ſunt, nec ſuperbientis ambitionem ſponſi vocare potes. Nec eſt item quòd eleēmoſynam ſumptum eum appellemus, vnde nullum pauperibus commodum aut leuamentum: non etiam contractum, vbi mutuum non fit aut vlla permutatio: donationem multo minùs, cui neceſſitas adhæret. Quemadmodum igitur & feſtum hoc & ſumptus hos indigetabimus? equidem non reperio. Vos agedum indicate qui colitis & celebratis: reddite rationem, ſicut nos diuinarum feriarum; quæ verè feriæ & ſunt & dici debent. Natalem enim celebramus, quòd eo tempore ſeſe Deus in carne mortalibus oſtendere cœpit. Luminum feſtum agitamus, quia per peccatorum remiſſio-

remiſſionem tamquam ex obſcuro prioris vitæ carcere lucidam ad vitam atque liberam eximus. Iam verò die Reſurrectionis ornatiorem cultū aſſumimus, magnamq; lætitiam præferimus, quòd ea dies immortalitatē nobis & meliorem felicioremque ſtatum manifeſtum reddit. Atque ita deinceps de ceteris. Ad ſummam, nulla res eſt humana, cuius non aliqua ratio reddi poſſit: & ſi quid fortè eiuſmodi, quod rationem aut ſcopum non habet, meræ nugæ ſunt. O rem ineptam & abſurdam! Omnes alienam ſperantes inhianteſque diſcurrunt & vagantur: qui munus dederunt, dolent; qui acceperunt, ſibi non retinēt aut ſeruant. Tranſmittitur enim ad alios, & quod quis à cliente donum accepit, eo ſuum ipſe patronum aliquem muneratur. Fluxum & inconſtans huius lucis aurum eſt, & quaſi ſphęra luſoria ab alio ſtatim ad alium tranſit. Nouus hic munerandi modus, nouum cultus obſequijque genus cum indeprecabili penſitationis ſiue tributi neceſſitate coniunctum. Nam maior & dignitate præſtans ipſâ vultus ſui reuerentiâ mouet; minor petit, atque omnes tamquam gradibus in ſinus potentiorum exhauriuntur. Quod in aquarum denique confluentibus accidit, hoc tempore videre eſt. Illic enim tenuis minutuſque riuulus in alium maiorem influit, & hic alio rurſus grandiore & magis exundante abſconditur: atque adeò minores multi riui coniuncti, vicini fluminis

ἀφέσει, δίον ἐκ σκοτεινῦ τινὸς δεσμωτηρίου τοῦ προτέρου βίου πρὸς τὸν φωτεινὸν καὶ ἀνεύθυνον ἀναγόμεθα. καλλωπιζόμεθα πάλιν, καὶ χαίροντες ἐμπομπεύομεν τῇ ἡμέρᾳ τῆς ἀναστάσεως· τὴν γὰρ ἀφθαρσίαν ἡμῖν, καὶ τὴν πρὸς τὸ κρεῖττον δηλοῖ μετακόσμησιν. οὕτως ταύτας ἑορτάζομεν, οὕτως τὰς ἐφεξῆς. καὶ παντὸς ἀνθρωπικοῦ πράγματος λόγος ἡγεῖται· ὧ δὲ αἰτία καὶ σκοπὸς ἄπεστι, λῆρος τοῦτο καὶ φλήναφος. ὢ τῆς ἀτοπίας! πάντες κεχηνότες περινοστοῦσι τὰ παρ᾽ ἀλλήλων ἐλπίζοντες· οἱ δόντες λυποῦνται, οἱ λαβόντες οὐ κατέχουσι. μεταβαίνει γὰρ εἰς ἀλλήλους τὸ λῆμμα· καὶ ὁ παρὰ τοῦ ὑπευθύνου δεξάμενος, δίδωσι τῷ μείζονι. ἄστατον δέ ἐστι τὸ τῆς ἡμέρας ταύτης χρυσίον, ὥσπερ ἡ τῶν παιζόντων σφαῖρα, ὀξέως παρ᾽ ἑκάστου πεμπόμενον πρὸς τὸν ἕτερον. καὶ καινὸς δωροφορίας καὶ λειτουργίας τρόπος, ἀπαραίτητον ἔχων τῆς ἀνάγκης τὴν εἰσφοράν. ὁ γὰρ μείζων καὶ ἔνδοξος δυσωπεῖ, ὁ ἐλάττων αἰτεῖ· καὶ πάντες βαθμοῖς ἐπὶ τοὺς κόλπους τῶν ὑπερεχόντων κενοῦνται. καὶ ὅπερ ἐπὶ τῆς συῤῥοίας τῶν ὑδάτων γίνεται, τοῦτο νῦν ἔστιν ἰδεῖν· καὶ γὰρ ἐκεῖ λεπτὸς ῥύαξ ἀποῤῥεύσας τοὺς ῥοῦς, τῷ μετ᾽ αὐτὸν καὶ μείζονι μίγνυται, κἀκεῖνος καλύπτεται πάλιν παρὰ τοῦ μᾶλλον πλημμυροῦντος, καὶ πολλὰ λεπτότερα ῥεύματα ἀθροισθέντα ποταμοῦ γείτονος προσθη-

προσθήκη γίνονται. οὗτος πάλιν ἑτέρου τοῦ μείζονος, καὶ ἄλλος ἄλλου, μέχρις ἂν ὁ πλατύταιος τῷ βάθει καὶ τῷ πλάτει τῆς θαλάσσης ἐγκαθορμίσοι τὸ ὕδωρ. ἑορτὴ αὕτη ψευδώνυμος ἐπαχθείας γέμουσα· καὶ γὰρ ἡ πρόοδος ἐπαχθὴς, καὶ ἡ ἔνδον μονὴ οὐκ ἀνενόχλητος. δημόται γὰρ ἀγύρται καὶ οἱ τῆς ὀρχήσεως θαυματοποιοὶ εἰς τάξεις καὶ συστήματα ἑαυτοὺς καταμερίσαντες ἑκάστην οἰκίαν διοχλοῦσιν, καὶ δῆθεν μὲν εὐφημοῦσι καὶ ἐπιχειροῦσιν. μένουσι δὲ πρὸς ταῖς πύλαις τῶν πρακτήρων εὐτονώτερον, μέχρις ἂν ἀποκναισθεὶς ὁ ἔνδον πολιορκούμενος, προῆται τὸ ἀργύριον ὅπερ ἔχει καὶ ὃ οὐ κέκτηται. ἀμοιβαδὸν δὲ προσιόντες ταῖς θύραις, ἀλλήλους διαδέχονται, καὶ μέχρις δείλης ὀψίας ἄνεσις οὐκ ἔστιν τοῦ κακοῦ· ἀλλὰ φατρία φατρίαν καταλαμβάνει, καὶ βοὴ βοὴν, καὶ ζημία ζημίαν. αὕτη ἡ βελτίστη ἑορτὴ, καὶ δανεισμάτων αἰτία γίνεται τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τούτων ἐντόκων· ἀφορμὴ πενίας, δυστυχημάτων ἀρχή. ἂν δέ τις διά τι τῆς οὐσίας ἀναξιόπιστον μηδὲ τοῦ δανείζοντος εὐπορήσῃ, ἕλκεται ὡς ὁ τοὺς φόρους τοὺς βασιλικοὺς ἐλλιπών· δακρύει ὡς ὁ δημιούμενος, ὀλοφύρεται ὡς ὁ λῃσταῖς περιπεσὼν, φρουρεῖται, μαστίζεται. ἂν δέ τι μικρὸν ὑπάρχει κατὰ τὴν οἰκίαν, εἰς διατροφὴν γαμετῆς καὶ παίδων ἀθλίων, τοῦτο προΐεται· κάθηται δὲ λιμώττων πανενδεὴς ἐπὶ τῆς φαιδρᾶς ἑορτῆς.

acceſſio fiunt. quod & ipſum dein alterius mage maioris, atq; ita deinceps, dum extremum lato profundoque mari miſceatur. Feſtum hoc non feſtum, & mendaci prorſus nomine plenum acerbitatis ac moleſtiæ: graue prodeuntibus in publicum, graue domi remanentibus. Viles enim de plebe homines, agyrtæ & ſcenici præſtigiatores in turmas diſcreti, nulli non domui clamoribus ac plauſibus, velut fauſta precantes, moleſtiam exhibent. Et circa ianuas quidem eorum qui tributa cogunt & exigunt pertinaciùs hærent, donec tandem qui intus obſidetur tædio moleſtiaq; expugnatus, pecuniam proiiciat quam habet & quam non habet. Quin alterius ad fores accedunt, nec ante veſperam vlla mali remiſſio. Cœtus cœtum excipit, clamor clamorem, iactura iacturam. Egregium hoc feſtum, æris alieni cauſſa ac fœnoris, paupertatis occaſio, miſeriarum initium. Si quis ob fortunarum tenuitatem fidem non habeat, quiq; mutuum det inueniat neminem, trahitur ac vexatur, vt ille qui foro cedens fiſcum ac vectigalia regia deſeruit: plorat perinde quaſi bonorũ proſcriptione multetur: lamentatur, vt qui latronum in manus incident, cuſtoditur, verberatur Si pauxillum aliquid domi cõditum in alimenta coniugis atque miſerorum liberûm, promitur id & proiicitur, ac ſedet ille cum ſuis per feſtum hoc præclarum eſuriens & omnium indigus.

Noua

Noua prauę cõſuetudinis lex, moleſtias & affanias celebrare, pauperiem & indigentiam feſtum appellare. Hæc prætereà dies ſimplicibus teneriſque pueris argenti cupiditatem & amorem inſtillat: hæc ab vnâ ad aliam tranſire domum docet cum munuſculis ac fructibus autumnalibus argento compactis. Pro quibus duplum ipſum redditur; teneraq; mentes ad nundinationes & quæſtum illiberalem informari hinc incipiunt. Quid porrò ſacroſanctis optimiſq; agricolis hac fieri die ſolet? Abſtinere publico, vicoſque & plateas vrbis fugere coguntur magis quàm retia lepores. Nam ſi qui deprehenduntur, verberantur, iniuriâ à temulentis adficiuntur, amittunt quæ in manibus, in pace pro hoſtibus habentur, ſubſannantur ac ludificantur, tam verbis quàm factis, implenturque contumeliæ optimi noſtri prophetæ, malitiæ omnis expertes, ſimplices & candidæ Dei imagines, fidique in libertate vitæ noſtræ ſerui ac miniſtri. Sic igitur homines dignitate præſtantes, ſic inopes, ſic pueri, ſic agreſtes: alij vexantur, alij murmurant & fremunt, alij diſcunt quæ neſcire pulchrum bonumque foret. Videamus iam quid armatis militibus hoc feſtum proſit. Bonorum iacturam faciunt, luxationiſque & vulnerum mercedem annonam ac cibaria promunt, & prodigunt cum graui morum diſciplinæque damno. Condiſcunt enim illiberales

καινὸς κακῆς συνηθείας νόμος, ἀηδίας ἑορτάζεσθαι, καὶ ἀπορίαν ἀνθρώπων πανήγυριν λέγεσθαι. αὕτη ἡ ἡμέρα καὶ τοὺς μικροὺς παῖδας καὶ ἀφελεῖς καὶ ἁπλοϊκοὺς, φιλαργύρους εἶναι διδάσκει, καὶ παρασκευάζει οἰκίαν ἀμείβειν ἐξ οἰκίας, καὶ δῶρα προσφέρειν καινὰ, ὀπώρας ἀργυρίῳ καθηλωμένας. ἔστι δὲ ἡ δόσις τῆς διπλοῦ ἀντίδοσις, καὶ τὸ καπηλικὸν καὶ ἀνελεύθερον ἐντεῦθεν ἄρχεται ἁπαλοῖς τοῖς φρονήμασιν ἐντυποῦσθαι τῶν νέων. τοὺς δὲ ἱεροὺς καὶ βελτίους γεωργοὺς οἷα διατίθησιν αὕτη ἡ ἡμέρα; φεύγειν αὐτοῖς καὶ ἄβατον τὴν πόλιν ἐργάζεται· καὶ μᾶλλον αὐτὴν ἀποδιδράσκουσιν, ἢ οἱ λαγῳοὶ τὰ δίκτυα. οἱ γὰρ εὑρισκόμενοι μαστίζονται, παροινοῦνται, ἀπολλύουσιν τὰ ἐν χερσὶν, ἐν εἰρήνῃ πολεμοῦνται, ἐπιχλευάζονται, κωμῳδοῦνται λόγοις καὶ ἔργοις, πληροῦνται τῆς ὕβρεως οἱ βέλτιστοι ἡμῶν προφῆται, τὰ ἀπόνηρα ζῶα, αἱ ἁπλοϊκαὶ τοῦ Θεοῦ εἰκόνες, οἱ ἐν ἐλευθερίᾳ πιστοὶ δοῦλοι τῆς ἡμετέρας ζωῆς. οὕτως μὲν οὖν οἱ ἐν τέλει, οὕτως πένητες, οὕτως παιδία, οὕτως ἄγροικοι· οἱ μὲν γὰρ μοχθοῦσιν, οἱ δὲ γογγύζουσιν, οἱ δὲ μανθάνουσιν ἃ μὴ εἰδέναι καλόν. σκεψώμεθα δὲ ὅπως καὶ οἱ ἔνοπλοι στρατιῶται παρὰ ταύτης ὠφελοῦνται τῆς ἑορτῆς. εἰς χρήματα ζημιοῦνται, καὶ ἑνὸς ἐκπτώματος μισθὸν προσφέρουσιν τὸν ἐπισιτισμὸν τοῦ πολέμου, εἰς τρόπους καὶ ἤθη βλάπτονται. μανθάνουσι γὰρ ἀνελευθερίαν,

ρίαν, ἐπιτηδεύματα σκηνικῶν, ἔκλυσιν καὶ μαλακίαν ἠθῶν· παιδιὰν κατὰ τῶν νόμων, καὶ τῆς ἀρχῆς, ἧς ἐτάχθησαν φύλακες. τὴν γὰρ μεγίστην ἀρχὴν κωμῳδοῦσι καὶ διασύρουσιν, ἅρμα ὡς ἐπὶ σκηνῆς ἀναβαίνοντες, καὶ δορυφόρους πεπλασμένους χειροτονοῦντες, καὶ δημοσίᾳ ποιοῦντες τὰ τῶν ἐξυρημένων πρὸς κόνδυλον. καὶ ταῦτ᾽ ἐστιν τῆς πομπείας τὰ σεμνότερα· τὰ δὲ ἄλλα πῶς ἄν τις εἴποι; μὴ καὶ ἐγκαλυψάμενος γυναικίζεται ὁ ἀριστεὺς, ὁ τὸν θυμὸν λεοντώδης, ὁ μετὰ τῶν ὅπλων θαυμαστὸς ὀφθῆναι τοῖς οἰκείοις, καὶ φοβερὸς τοῖς ἐναντίοις; καὶ τὸν χιτῶνα μέχρι τῶν σφυρῶν ἀφίησι, καὶ τοῖς στέρνοις περιελίττει τὴν ζώνην, καὶ ὑποδήματι κέχρηται γυναικείῳ, καὶ τὸν κρώβυλον ἐπιτίθεται τῇ κεφαλῇ· ᾗ γυναιξὶ νόμος· καὶ φέρει τὴν ἠλακάτην ἐρίου γεμοῦσαν, καὶ τῇ δεξιᾷ νῆμα κατάγει, τῇ ποτὲ φερούσῃ τὸ τρόπαιον, καὶ τὸν τόνον τῆς ψυχῆς ἐναλάττων, τὸ ὀξύτερον καὶ γυναικῶδες φθέγγεται. ταῦτα τῆς πανηγύρεως τὰ χρηστά· ταῦτα τῆς πανδήμου ἑορτῆς τὰ συμφέροντα σήμερον. καὶ οἱ τῆς κορυφῆς τῶν ἀξιωμάτων ἀνθρωπικῶν ἐπιβάντες, οἱ πολυθρύλλητοι ὕπατοι, τῇ ματαιότητι δαπανῶσι τὸν πλοῦτον σποραῖς χρημάτων σκορπίζοντες, εἰς ἀκαρπίαν δικαιοσύνης, καὶ καρπὸν ἁμαρτίας· ὢ τοσοῦτον περιφανὴς ἡ ἀφροσύνη, ὅσον ὑψηλὸς ὁ θρόνος. πολλοῖς γὰρ ἀνθρωπικοῖς ἐμβατεύσαντες θρόνοις, καὶ τὰς μεγίστας τῆς βασιλείας ἀρχὰς διοικήσαντες, λαμβάνουσιν ἀφειδῶς ἀπὸ πάσης τὰ πλεῖστα.

& inhoneſtas ſcenicorum artes ac ſtudia, vnde mollities ac diſſolutio morum; ludoſque eiuſmodi & iocos, qui legibus & principatui, quorum cuſtodes conſtituti ſunt, minùs aduerſantur. Summam poteſtatem riſum iocumque faciunt, currum, vt in ſcenâ, conſcendunt, ſatellitia ficta creant, publiceque & palàm agitant quæ propria ſunt mimorum & hiſtrionum. Sed illa tamen pompæ auguſtiora: cetera quis enarret? Nónne velato ore in feminam degenerat ille fortis, ille animo præſtans, ille in armis ſuis admirabilis, hoſtibus formidabilis? Tunicam ad talos demittit, zonam pectori circumuoluit, calceamenta muliebria ſumit, &, more feminarum, capiti crobylum imponit: quin etiam cum lanâ colum circumfert, dextraque filum ducit, quâ tropæum antè tulit, ſpiritumq; & vocem in acutiorem & muliebrem ſonum extenuat. Hę celebritatis huius vtilitates: hæc hodierni feſti publici commoda ac fructus. Conſules etiam ipſi famâ inclyti & ad faſtigium humanarum dignitatum euecti, per vanitatem opes exhauriunt, non modò ſine fructu, ſed & cum peccato; diciq; verè poteſt, quàm ſublimis eorũ thronus, tam inſigné eſſe dementiam. Cùm enim permultos capeſſere ſoleant honores, & ampliſſimas Regiæ præfecturas obtinere, quamplurimum è qualibet exſtruere opum ſtudẽt.

Et hi quidem ſtipendium militare ſuum in commodum vertunt, illi iuſtitiam & veritatem pretio ſæpiùs addicunt, alij theſauros gazamque regiam depeculantur, & omnia vndique nullo vel infami vel iniquo prætermiſſo lucro cum offenſâ Numinis coaceruant; nunc autem præſident, aurumque congeſtum, intra breue tempus in aurigas, tibicines, mimos, ſaltatores, ſpadones diſtribuunt. Addo propudia muliercularum, quæ corpus ſuum vel carnifici venale præbeãt, beſtiarios impuros & ab omni ſpe derelictos, ipſaſque belluas, quibus alendis auro opus ſumptuq; in carnes aut mazam. Iſta autem omnia non aliâ cauſſâ, quàm vt ipſorum nomina contractibus ac diplomatis præſcribantur. O ſtultitiam! ô cęcitatem! Deus pollicetur, eorum qui pauperes alent nomina libris viuentibus, immortalibus, incorruptibilibus inſcriptum iri, quos neque tineæ neque tempus abſument. Et hos tu libros non affectas, non rationem tantorum promiſſorum habes, non memorię diuinæ (qui liber ille viuus) inſcribi inſigiq; ſtudes; ſed contrà magni facis à tabulariis exarari, à mangonibus prædicari, à vilibus adulatoribus excipi plauſu, malus vtilitatis arbiter, ineptus & imperitus rerum æſtimator. Quin potiùs pauperem iniuriâ affectum munerare; non

οἱ μὲν πενήτων στρατιωτῶν τὸ σιτηρέσιον σφετερισάμενοι, ἄλλοι τὸ δίκαιον καὶ τὴν ἀλήθειαν πολλάκις πωλήσαντες, καὶ τῶν βασιλικῶν ταμείων ἕτεροι ἄφατον ἐξαντλήσαντες πλοῦτον, καὶ τὰ πανταχόθεν σπουδαίως ἀθροίσαντες· φεισάμενοι δὲ οὐδενὸς λήμματος, οὐκ ἀπρεποῦς, οὐκ ἀδίκου, καὶ Θεὸν παροξύναντες προκάθηνται νῦν καὶ μετ' ὀλίγον ἡνιόχοις μερίζοντες τὸν χρυσὸν, καὶ αὐληταῖς κακοδαίμοσι, καὶ μίμοις, καὶ ὀρχησταῖς, καὶ ἀνδρογύνοις, καὶ γυναιξὶ πόρναις ὤνιον παρεχούσαις τῷ δημίῳ τὸ σῶμα· καὶ αὖθις θηριομάχοις μιαροῖς καὶ ἀνελπίστοις, καὶ αὐτοῖς τοῖς θηρίοις· πρόδηλον γὰρ ὡς καὶ τὰ θηρία τρέφει χρυσός· τοῖς μὲν τὰ κρέα, τοῖς δὲ τὴν μάζαν ὠνούμενος. ταῦτα δὲ πάντα πράττονται ὑπὲρ μιᾶς σπουδῆς, ἵνα τὰ ὀνόματα αὐτῶν τῶν συναλλαγμάτων προγράφηται. ὢ τῆς ἀνοίας! ὢ τῆς τυφλώτητος! Θεὸς ἐπαγγέλλεται τῶν πτωχοτρόφων τὰ ὀνόματα βίβλοις ζώσαις ἐγγράφειν, ταῖς ἀθανάτοις, ταῖς ἀδιαφθόροις, ἃς σὴς οὐκ ἀφανίζει, καὶ χρόνος οὐκ ἐξαλείφει. κἀκείνων τῶν γραμμάτων οὐκ ἐρᾷς, οὐδὲ λόγον τινὰ ποιῇ τῆς μακαρίας ἐπαγγελίας, οὐδὲ τῇ μνήμῃ τοῦ Θεοῦ ἐγγραφῆναι ζητεῖς· τοῦτο γάρ ἐστιν ἡ βίβλος ἡ ζῶσα· περὶ πολλοῦ δὲ ποιεῖς παρὰ τῶν συμβολαιογράφων γράφεσθαι, καὶ παρὰ τῶν ὠνουμένων τὰ ἀνδράποδα λαλεῖσθαι, καὶ κροτεῖσθαι παρὰ δημοτῶν κολάκων, κακὸς τῆς χρείας τῶν πραγμάτων κριτὴς, ἀνόητος δοκιμαστὴς τοῦ συμφέροντος. δὸς τῷ λελωβημένῳ πτωχῷ, καὶ μὴ

τῷ

τῷ λελυμένῳ μουσικῷ. χάρισαι περὶ τῆς πόρνης τῇ χήρᾳ, περὶ τῆς δημοσίας τῇ σεμνῶς κατακεκλημένῃ. περιεργάσαι περὶ παρθένος ἁγία Θεῷ ψάλλουσα, καὶ μίσησον ψαλτρίαν ἀναιδῆ, περὶ τῆς ὄψεως τῷ μέλει τοὺς ἀκολάστους θηρεύουσαν. ἐπάρκεσον ὀρφανῷ, λῦσον δάνεισμα πένητος, καὶ ὄψει δόξαν διαιωνίζουσαν. κενοῖς πλῆθος βαλαντίων ὑπὲρ παιδιᾶς ἀσχήμονος καὶ ἀτάκτου γέλωτος, οὐκ εἰδὼς ὅσα πενήτων χαρίζῃ δάκρυα, ἐξ ὧν συνήχθη ἡ εὐπορία· πόσοι ἐδεήθησαν, πόσοι ἐμαστιγώθησαν, πόσοι ἐγγὺς ἦλθον ἀγχόνης καὶ βρόχου, ἵνα σήμερον ὀρχούμενοι λάβωσιν. καὶ τί τὸ τέλος; ματαιότης. μετὰ πάντα τάφος μικρὸς, ἐσθῆς ὀλίγων ὀβολῶν τὸ σωμάτιον περιστέλλουσα, λήθη μετ' ὀλίγον, τὸ ἀναγκαῖον πάθος τοῦ χρόνου, πάντα τὰ σπουδασθέντα καλύπτουσα· κρίσις ἐπὶ τούτοις Θεοῦ, καὶ τῆς κακῆς προαιρέσεως κόλασις ἀπαραίτητος. ποῦ οἱ ὕπατοι; τοὺς χθὲς καὶ πρώην ἀρίθμησον. οὐχ ὁ μὲν, ὡς οἱ κακοῦργοι, τῆς κεφαλῆς ἀπετμήθη, πλήθους ὁπλιτεύοντος ἀθρόᾳ κινήσει περιπεσών· ἐπομπεύθη δὲ μετὰ θάνατον μᾶλλον, ἢ ὅτε φερόμενος ἐπὶ τοῦ δίφρου ἐγαυρία τοῦ ἀξιώματος; ἄλλος δὲ μετὰ στρατηγίας τῆς αὐτῆς ταύτης ἐπιτυχὼν τιμῆς, κακῶς, ἐν ταῖς ἐσχατιαῖς Αἰγύπτου καὶ τῆς Λιβύης ἀπώλετο, φυγὼν τῆς καταδίκης τὴν τιμωρίαν, εἶτα ταῖς ψάμμοις ἐν-

Muſicum diſſolutum: affice beneficio viduam pro ſcorto, mulierem decentet concluſam pto eâ quæ ſe vulgat: inquire de virgine ſanctâ Deo pſallente, & ſperne pſaltriam inuerecundam ac palàm cantu velut inſidiis homines intemperantes captantem: fer opem pupillo, libera paupetem ære alieno ac fœnore, & gloriam perpetuam videbis. At tu loculos euacuas in turpem animi relaxationem, in tiſum indecorum & inconditum; neq; conſideras quàm multas pauperum lacrymas dones, per quas opes illæ tuæ conflatæ, quàm multi in vincula coniecti verberatiq; fuerint, aut ad laqueum acceſſerint, vt tibi ſuppetat quod ſcenicis hodierno die largiaris. Et quis quæſo finis? Vanitàs. Poſt omnia tumulus exiguus, paucotum obolorum veſtis corpuſculum ambiens; ac paullò pòſt neceſſarium tẽporis malum, obliuio, quæ cuncta, circa quæ ſudaueris, tenebris inuoluat: ſed & iudicium diuinum, & indeprecabilis mali propoſiti vindicta ac pœna. Vbinam Conſules & faſces? Propone tibi ob oculos, & enumeta qui herè qui nudiuſtertius fuerunt: nónne hic quidem, vt facinoroſus aliquis, pet repentinam armatæ multitudinis ſeditionem capite truncatus eſt, oſtentatuſque maiote poſt necem pompâ, quàm cùm in curru ſublimis & exſultabundus tranſueheretut? ille præter exercitus præfecturam eumdem adeptus honorem, in extremis Ægypti Libyæq; finibus, in locis arenoſis & humoris omnis humaniq; cultus expertibus,

damnationis ſupplicium fugiens, miſerrimè extinctus eſt? Quid de eo dicamus qui & ipſe de numero Conſulum atque Ducum exercitus in terrâ Colchide nūc degens, barbarorum humanitati vitam & ſpiritum debet? Præſidem autem illum tectoremq; prouinciæ fortiſſimū & inuictum, vt exiſtimabat, qualis vitæ cataſtrophe excepit? Primùm quidem filium ſuum vidit capite truncatum, & ipſe poſteà capitali ſententiâ damnatus eſt, laqueoque gulæ iam admoto, clementiâ Principis manibus carnificis exemptus eſt; vt quantulum ætati ſupererat, ſenex in dolore & calamitate ſenſuq; malorū exigens, ac plenus dedecoris & ignominię, tali magni cōſulatus exitu vitâ decederet. Quid? quòd anno ſuperiore gigantea prorſus facinora atq; etiam maiora molitus eſt cuius ſexus in dubium vocabatur, virgaſq; conſulares affectauit qui virgas heriles effugerat, ac tantum telluris poſſedit, quantum nec facilè nominare, qui nunc exiguâ conditut humo, & quantulam ei nonnemo miſeratione motus impertiit. Non igitur verè iuxta ſapientem illum Eccleſiaſten hæc talia cuncta vanitas vanitatum, ac vel ampliſſimæ dignitates inania quædam viſa & oſtenta ſomniorum? quæ cùm ad breue tempus oblectarunt, pòſt deinde diffugiunt & euaneſcunt, & cùm aliquantum floruerint, ſubitò marceſcunt. Sed nos hîc finem dicendi facientes, laudem & gloriam Seruatori tribuemus.

πλουτήσαις, ἐπειδὴ πᾶσα ἦν ἡ χώρα δι' ἧς ἀπεδίδρασκεν ἄνυδρος καὶ ἀοίκητος. τί δ' ἂν εἴποιμεν πρὸς τὸν ἐκ στρατηγῶν καὶ ὑπάτων ὁμοίως ἐπὶ τῆς Κολχίδος νῦν χώρας διάγοντα, καὶ τῇ τῶν ἐκεῖσε βαρβάρων φιλανθρωπίᾳ διασωζόμενον. τὸν δὲ ἐξ ὑπάρχων ἐκεῖνον, τὸν, ὡς ᾤετο, ἄμαχον καὶ λεοντώδη τὴν γνώμην, οἵα τοῦ βίου καταστροφὴ διεδέξατο; πρῶτον μὲν γὰρ ἐπεῖδεν τὸν ἑαυτοῦ παῖδα ἀποτμηθέντα τῆς κεφαλῆς· εἶτα καὶ αὐτὸς τὴν ἐπὶ θανάτῳ ψῆφον ἐδέξατο, καὶ τῆς χόνης προσαχθείσης ἤδη τῷ στόματι, φιλανθρωπία βασιλικὴ ἐκώλυσεν ἐνεργῆσαι τὸν δήμιον. ζήσας δὲ ὀλίγον ὀδύναις καὶ συμφοραῖς ὁ πρεσβύτης, καὶ τῇ αἰσθήσει τῶν κακῶν ἐπιχρονίσας, ἐν ἀτιμίᾳ ἀπῆλθε τοῦ βίου, τοῦτο τῆς μεγάλης ὑπατείας τὸ τέλος εὑράμενος. ὁ δὲ τοῦ παρελθόντος ἐνιαυτοῦ παῖς ἐφρόντισεν μείζονα τῶν γιγάντων, γυναιξὶν ὢν καὶ ἀνδράσιν ἀμφισβητήσιμος; ῥάβδους κυρίου φυγὼν, ῥάβδων ὑπατικῶν ἐπεθύμησεν. ἐκτήσατο γῆν, ὅσην οὐδὲ εἰπεῖν εὔκολον· ἐτάφη δὲ ἐν τοσαύτῃ, ὅσης ὁ ἐλεήσας μετέδωκεν. ἆρα οὖν κατὰ τὸν σοφὸν Ἐκκλησιαστὴν, οὐ πάντα, ὅσα τοιαῦτα, ματαιότης ματαιοτήτων, καὶ φάσματά ἐστι τὰ ἀξιώματα ἀνυποστάτων ὀνείρων, τέρψαντα πρὸς ὀλίγον, εἶτα παραδραμόντα, ἀνθήσαντα καὶ μαρανθέντα; ἡμεῖς τοίνυν ἕως τούτου στήσαντες τὸν λόγον, δόξαν ἀναπέμψωμεν τῷ Σωτῆρι.

ΤΟΥ

# ΤΟΥ ΑΥΤΟΥ ΑΣΤΕΡΙΟΥ ΟΜΙΛΙΑ

εἰς τοῦ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγελίου, εἰς τὸ, Εἰ ἔξεστιν ἀνθρώπῳ ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα αὐτοῦ κατὰ πᾶσαν αἰτίαν;

ΚΑΛΗ συνωρὶς τῶν δύο τούτων ἡμερῶν τοῖς Χριστιανοῖς καὶ φιλοπόνοις τυγχάνει, τοῦ Σαββάτου καὶ τῆς Κυριακῆς λέγω, ἣν καθ᾽ ἑκάστην ἑβδομάδα ὁ χρόνος ἀνακυκλῶν περιφέρει. ὡς γὰρ μητέρες ἢ τροφοὶ τῆς ἐκκλησίας, καὶ τὸν λαὸν ἀθροίζουσιν καὶ τοὺς ἱερέας παιδευτὰς προκαθίζουσιν· δημαγωγοῦσι δὲ καὶ τοὺς μαθητὰς καὶ τοὺς διδασκάλους εἰς τὴν τῶν ψυχῶν ἐπιμέλειαν. ἐμοὶ τοίνυν ἔτι τῆς χθιζῆς ἡμέρας ὁ λόγος ἐνηχεῖ, καὶ ἐγκάθηται τῇ μνήμῃ τὰ πονηθέντα. βλέπω τὸν σταυρὸν διὰ τῆς προφητείας παρὰ Ἡσαΐου πηγνύμενον, καὶ τὰ ἱμάτια τοῦ Κυρίου, ὡς τὰ τοῦ ληνοβάτου κεχρωσμένα τῷ αἵματι· καὶ τὸν Σωτῆρα τὸν μισθὸν προέχοντα ἐπὶ τῆς δεξιᾶς φέροντα. καὶ τὸν Σολομῶντα θεωρῶ τὰ ζυγὰ ἡμῖν καὶ τοὺς σταθμοὺς ἀκριβοῦντα εἰς δύναμιν· καὶ τοῦ Εὐαγγελίου τὸν χρεοφειλέτην οἰκτείρω μὴ μεταδόντα τῷ ὁμοδούλῳ τῆς φιλανθρωπίας, ἧς παρὰ τοῦ δεσπότου μετέλαβεν, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς ἀβουλίας καὶ τῆς σκληρότητος τὴν ἰδίαν συμφορὰν ἀνανεωσάμενον. τούτοις γὰρ τοῖς κεφαλαίοις κατὰ τὴν παρελθοῦσαν ἐκάμομεν,

# EIVSDEM ASTERII HOMILIA

In locum Euangelij ſecundùm Matthæum, An liceat homini dimittere vxorem quacumque ex cauſsâ? Cap. 19.

PRÆCLARA Chriſtianis & laboris amãtibus duarum eſt harum copula ac cõcurſus dierum, Sabbati inquam & Dominicæ, quas tempus in orbem recurrens hebdomadis ſingulis reducit. Nam quaſi matres aut nutrices eccleſiæ & populum congregant, & ſacerdotes ad docendum conſidere faciunt: atque adeò cùm diſcipulos tum doctores ad animarum curam ducunt & impellunt. Mihi quidem auribus adhuc inſonat heſterni diei concio, inſidentq; memoriæ circa quæ tum laboratum fuit. Video crucem ſpiritu prophetiæ ab Eſaiâ fixam, ac ve- Eſaiæ 63. v. 3.
ſtimenta Domini quaſi calcantis in torculari cruore tincta, atq; Seruatorem ipſum dextrâ præmium præferentem. Video Salomonem 3. Reg. 3. v. 14.
æquam iudicij trutinam librãtem: miſeret me debitoris Euangelici, qui lenitatem & clementiam quâ Dominus erga ipſum fuerat vſus, in conſeruum non adhibuit; ſed per imprudentiam & inhumanitatem ſuam ipſius calamitatem inſtaurauit. In his enim capitibus die ſuperiore proximo verſabamur,



Digitized by Google

Vt omnes ſcitis qui non indiligenter animum aduertiſtis. Hodie etiam multa nobis præclara in mēſa, quam videtis, Spiritus propoſuit. Adieci autem animum ad garrulos iſtos ac tentatores Phariſæos; & improbitatis eorum vehementer miſereor, quòd ipſum Sapientiæ fontem ſuis interrogatiunculis circumuenire aggreſſi ſunt, in contrariúmq; quæſtiones eorum, Vnigeniti diuinitate vertente, conatibus & auſis ſuis exciderunt. De quibus & Eſaias hiſce verbis vaticinati mihi videtur:
Eſaiæ 44. v. 25. *Conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultitiam faciens, & appendens verba pueri ſui.* Ac rurſus
Pſal. 5. v. 11. Dauid: *Linguis ſuis doloſè agebant: iudica illos Deus, decidant à cogitationibus ſuis.* Verumtamen gratia eis eſto, licet aduerſariis, quòd diuinā ſapientiam ad edendum reſponſum excitarunt, noſtrum vt in vſum hæc litteris ac memoriæ proderentur. Ecce enim matrimonium, id eſt res humanæ vitæ maxima, velut ad normam hîc dirigirur, fineſq; certi definiuntur eius & contrahendi & diſſoluendi. Quibus diligenter vterque cœtus & ſexus attendat, quò tum fœminæ tum viri quæ propria cuiuſque ſint condiſcant;
Matth. 19. *An liceat viro qualibet de cauſſá coniugem repudiare.* Hoc quidem Iudçorum problema. Scopum autem interrogationis hunc inuenio: Quoniam

ὡς ἴστε πάντες οἱ οὐκ ἐν παρέργῳ τὴν ἀκρόασιν θέμενοι. σήμερον δὲ πάλιν ἡμῖν πολλὰ μὲν καὶ καλὰ πάντα ὅσα ἐπὶ τῆς τραπέζης τῆς ὁρωμένης τὸ πνεῦμα κατέθετο. ἐπέστησα δὲ τὸν νοῦν τοῖς ἀδολέσχαις ὁμοῦ καὶ πειρασταῖς Φαρισαίοις, καὶ σφόδρα γε αὐτοὺς τῆς μοχθηρίας τῶν τρόπων ἠλέησα, ἐφ᾽ οἷς καὶ τὴν πηγὴν τῆς σοφίας ταῖς ἑαυτῶν ἐρωτήσεσιν ἐπιχείρουν κατασοφίζεσθαι, καὶ τῆς ἐγχειρήσεως ἀπετύγχανον, τῆς τοῦ μονογενοῦς θεότητος εἰς τοὐναντίον αὐτοῖς ἀεὶ περιτρεπούσης τὰ ἐρωτήματα. περὶ ὧν μοι δοκεῖ καὶ Ἡσαΐας προφητεύων ἔλεγεν· ἀποστρέφων φρονίμους εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ τὴν βουλὴν αὐτῶν μωραίνων, καὶ ἱστῶν ῥήματα παιδὸς αὐτοῦ. καὶ πάλιν Δαβίδ· ταῖς γλώσσαις αὐτῶν ἐδολιοῦσαν· κρῖνον αὐτοὺς ὁ Θεός, ἀποπεσέτωσαν ἀπὸ τῶν διαβουλίων αὐτῶν. πλὴν χάρις αὐτοῖς καὶ πολεμίοις τυγχάνουσιν, ὅτι τὴν σοφίαν ἐκίνησαν πρὸς ἀπόκρισιν, ἵνα ἡμῖν τοῖς δούλοις ἀνάγραπτον καταλείπῃ τῶν συμφερόντων τὴν μάθησιν. ἰδοὺ γὰρ ὁ γάμος κανονίζεται, πρᾶγμα τοῦ ἀνθρωπικοῦ βίου κεφάλαιον, καὶ τῆς συστάσεως αὐτοῦ, καὶ τῆς διαλύσεως ἀκριβεῖς νομοθετοῦνται οἱ ὅροι. ὧν λίαν ἐσπουδασμένως ἀκουσάτω τὰ δύο τάγματα ἵνα καὶ ἡ γυναικωνίτις παιδευθῇ τὰ ἴδια, καὶ ἡ ἀνδρωνίτις ὠφεληθῇ τὰ ἐξαίρετα, εἰ ἔξεστιν ἀνθρώπῳ ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα αὐτοῦ κατὰ πᾶσαν αἰτίαν. τοῦτο μὲν τῶν Ἑβραίων τὸ πρόβλημα. ἐγὼ πρὸς τῶν ἄλλων τὸν σκοπὸν βλέπω τῆς ἐρωτήσεως· ἐπειδὴ γὰρ τὸ

τὸ τῶν γυναικῶν γένος εὐκολότερόν ἐστιν πρὸς τὸ πείθεσθαι, καὶ μᾶλλον ἐπεκλίνετο πρός τε τὴν τῶν τεράτων μεγαλουργίαν, καὶ πρὸς τὴν συγκατάθεσιν καὶ πίστιν τῆς θεότητος τοῦ Χριστοῦ (οὕτω τοι καὶ τελευταῖον τῶν ἀνδροφόνων τῶν τῇ γνώμῃ πρὸς τὸν σταυρὸν ἑλκόντων τὸν Κύριον, τὸ πλῆθος τῶν γυναικῶν, καὶ τὸ πάθος ἀπεθρήνει, καὶ ἀκολουθοῦν τῷ Σωτῆρι ἐλεεινῶς ἀπεδάκρυεν) ἵνα τινὰ προσκρουσμὸν καὶ δυσμένειαν αὐτῷ, πρὸς τὸ σύστημα τῶν γυναικῶν μηχανήσωνται, διὰ τῆς δολερᾶς ἐρωτήσεως, αὐτοὶ μὲν τὰ θήρατρα ὡς ἐνόμιζον καὶ τοὺς βρόχους τοὺς διὰ τῶν λόγων ἐπήξαντο. ὁ δὲ Κύριος τῇ δυνάμει τῆς θεότητος βλέπων τοῦ κατασκευαζομένου τὴν κακουργίαν, ὁμοῦ δὲ καὶ τὰ φιλάνθρωπα δογματίζων τῷ βίῳ, κἀκείνοις τὴν ἔνεδραν ματαίαν ἀπεργαζόμενος, συνηγοροῦσαν ταῖς γυναιξὶ προβάλλεται τὴν ἀπόκρισιν, λύκους κενοὺς ἀποπέμψας τοὺς Φαρισαίους, διακένως τῷ ἐρωτήματι προσχήναντας. αὐτή, φησιν, ἡ κτίσις συναφείας, καὶ οὐ διαλύσεως ἐπιδείκνυται τὸν σκοπόν· καὶ τοῦ γάμου πρῶτος νυμφοστόλος ἐστὶν ὁ δημιουργός, τοὺς πρωτοπλάστους ἀνθρώποις τῷ γαμικῷ συζεύξας δεσμῷ, δοὺς τοῖς γεννησομένοις εἰς ἔπειτα τὴν ἀκολουθίαν τῆς συνοικήσεως ἀπαραίτητον, ἣν τιμᾶν προσήκει ὡς νόμον Θεοῦ. οἱ δὲ ἀλλήλοις συναφθέντες, οὐκέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σὰρξ μία. ὥστε ὃ συνέζευξεν ὁ Θεός, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω. ἐλέχθη μὲν ταῦτα τοῖς Φαρισαίοις τότε· ἀκούσατε δὲ νῦν οἱ τούτων κάπηλοι, καὶ τὰς γυναῖκας ὡς

fœminæ faciliores ad credendum, & ad miracula Chriſti celebráda, fidemque de diuinitate eius amplectendam propenſiores eſſe viderentur (vt & fuiſſe poſtremò patuit ex earum multitudine quæ Seruatorem, cùm ad ſupplicij locum duceretur, proſequuta eſt, & paſſionem eius miſerabiliter defleuit) vt offenſam & odium apud hunc ſexum ei conciliarét, doloſam iſtam interrogationem & hęc verborum quaſi retia fabricati ſunt. Verùm ille dolum ſibi inſtructum vi diuinitatis animaduertens, & leuiora lenioraque docere & præcipere ſolitus, inſidias eorum eluſit, ac ſecundum mulieribus reſpóſum dedit; atque ita Phariſæos quæſtioni intentos inhianteſq; tamquam lupos, inanes prædæque expertes ablegauit. Ipſa, air, creatio coniunctionis, nō diuortij ſcopum oſtendit; primuſque nuptiarum auſpex & cōciliaror exſtitit ipſe Conditor vniuerſi, qui & primos, quos finxerat, homines coniugali inter ſeſe vinculo copulauit, & poſteris velut perpetuâ quadam ſerie conuiuendi cohabitandique neceſſitatem impoſuit, legis inſtar diuinæ colendam & obſeruandam. Qui autem nexu tam arto iunguntur, non ampliùs duo ſunt; verùm Geneſ. 2. v. 25.
vna caro. Quare quod Deus coniunxit, homo ne ſeparet. Hęc Pha- Matth. 19. v. 6. Marci 10. v. 9.
riſæis dicta tum fuêre: audite iam vos mulierum inſtitores, qui ceu veſtes

ſtes ſubinde eas mutatis, qui thalamos tam ſæpè & facilè ſtruitis quàm nundinarum tabernulas;qui dotem ac bona ducitis, coniuges ad quæſtum ac negotiationem habetis; qui vel leuiter offenſi libellum repudij conſcribitis, multaſq; velut viduas in vitâ relinquitis. Exiſtimate, & omnino vobis perſuadete, matrimonia morte tantùm & adulterio dirimi. Non enim, vt contubernia meretricia, quæ ſolam venantur voluptatem, paucorum numerus dierum terminat, itidem in iis ſeſe res habet quæ ritè & ex lege fiunt; ſed planè contrà, ô bone. Vna contrahitur corporis & animæ ſocietas, vt & affectus affectibus commiſceantur, & caro carni quodammodò colligetur. Quæ cùm ita ſint, quomodo citra animi perturbationem abſcindis? quomodo ſine moleſtiâ, ſine ęgrimoniâ ab eâ recedis, quam vitæ ſociam, non vſutariam in breue tempus accepiſti, quæ ſoror tua, quæ coniunx. Et ſoror quidem, creationis aſpectu materiæque terreſtris, ex quâ compoſiti eſtis: coniunx autem propter matrimonij legitimam copulam atque coniûctionem. Duplex hoc vinculum legis & naturæ quemadmodum abrumpes? Pacta nuptialia ac ſpôſiones quomodo reſcindes? Et quibus de pactis loqui me cenſes? an de his quibus ſcriptâ iam dote & ipſe manu propriâ ſubſcripſiſti & ſigillum appoſuiſti tuum? Valida quidem

ἱμάτια εὐκόλως μετενδυόμενοι, οἱ τὰς παστάδας πολλάκις καὶ ῥᾳδίως πηγνύντες ὡς πανηγύρεως ἐργαστήρια, οἱ τὰς εὐπορίας γαμοῦντες καὶ τὰς γυναῖκας ἐμπορευόμενοι· οἱ μικρὸν παροξυνόμενοι, καὶ εὐθὺς τὸ βιβλίον τῆς διαιρέσεως γράφοντες, οἱ πολλὰς χήρας ἐν τῷ ζῆν ἔτι καταλιμπάνοντες. πείσθητε ὅτι γάμος θανάτῳ μόνῳ καὶ μοιχείᾳ διακόπτεται. οὐ γὰρ ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἑταιρειῶν ὀλίγος ἡμερῶν ἀριθμὸς περιορίζει τὴν συμβίωσιν, καὶ μόνην θηρεύει τὴν ἡδονήν, οὕτως ἐστὶ καὶ ἐπὶ τῶν νόμῳ καὶ θεσμῷ τελουμένων· ἀλλὰ πᾶν τοὐναντίον, ὦ ἄνθρωπε. μία τις ἕνωσις γίνεται καὶ σώματος καὶ ψυχῆς, ὡς καὶ τὸ ἦθος τῷ ἤθει συνανακιρνᾶσθαι, καὶ τὴν σάρκα τῇ σαρκὶ τρόπον τινὰ συνδέδεσθαι. πῶς οὖν ἀπαθῶς διατέμνῃ; πῶς εὐκόλως καὶ χωρὶς ἀλγηδόνος ἀναχωρεῖς, βίου κοινωνὸν λαβὼν οὐκ ὀλίγων ἡμερῶν ὑπηρέτιν τὴν ἀδελφὴν καὶ γυναῖκα; ἀδελφὴν μὲν κατὰ τὸν λόγον τῆς πλάσεως καὶ τῆς δημιουργίας, ἀφ' ἑνὸς γὰρ αἰτίου τῆς γῆς καὶ τῆς αὐτῆς ὕλης ὑπέστητε· γυναῖκα δὲ διὰ τὴν ἕνωσιν τῆς συζυγίας διὰ τὸν νόμον τοῦ γάμου. ποῖον οὖν διαρρήξεις δεσμόν, καὶ νόμῳ δεδεμένον καὶ φύσει; πῶς δὲ ἀθετήσεις τὰς ὁμολογίας ἃς ἐπὶ τῷ γάμῳ κατέθου; καὶ ποίας με οἴει λέγειν; ἆρα τῆς προικὸς τῆς συγγραφείσης ἐνταῦθα, ὅτε τῇ σαυτοῦ χειρὶ ἐπεσημήνω τῷ βιβλίῳ ἐπισφραγιζόμενος τὰ τελούμενα; ἰσχυρὰ μὲν γὰρ κἀκεῖ-

κρηπῖνα καὶ ἱκανὴν τὴν ἀσφάλειαν ἔχοντα.
πλὴν ἐγὼ πρὸς τὴν φωνὴν τοῦ Ἀδὰμ
„ἐμαυτὸν ἀναφέρω· τοῦτο σὰρξ ἐκ τῶν
„σαρκῶν μου, καὶ ὀστοῦν ἐκ τῶν ὀστῶν μου.
„αὕτη κληθήσεταί μου γυνή. αὕτη ἡ φωνὴ
οὐ μάτην ἀνάγραπτος σώζεται, ἀλλὰ
κοινή ἐστιν τῶν ἀνθρώπων ὁμολογία, δι'
ἑνὸς προσώπου τοῦ πρώτου τούτῳ κατὰ
πλήθει τῶν γυναικῶν ἐκτεθεῖσα τῷ νό-
μῳ τοῖς ἀνδράσιν συναπτομένων. καὶ μὴ
θαυμάσεις εἰ ἐξ ὧν ἄλλος εἶπεν, ἄλ-
λος εὐθύνεται· πάντα γὰρ ὅσα περὶ τῶν
πρωτοπλάστων ἐν ἀρχαῖς συνέβη, ταῦτα
τοῦ ἀκολούθου γένους φύσις ἐγένετο. ἂν
οὖν λαβοῦσα τὸ τῆς κοσμοποιΐας βιβλίον
ἡ μάτην ἀφειμένη γυνή, ἑλκύσῃ σε πρὸς
τὸν δικαστὴν (δικαστὴν τὸν αὐτὸν καὶ μάρ-
τυρα) τί λέξεις εἰπέ; πῶς ἐξαλείψεις
τὴν σαυτοῦ φωνήν, ἣν ἐπὶ Θεοῦ ἐποιή-
σω· ἧς συγγραφεὺς, ἀντὶ εὐώνου συμβο-
λαιογράφου, Μωυσῆς ὁ τοῦ Θεοῦ θεράπων
ἐγένετο; ἀπάτορα καὶ ἀμήτορα τὴν
γυναῖκα ὁ Θεὸς τῷ Ἀδὰμ ἐξέδοτο· καὶ
διὰ τοῦτο ὡς ἀγαθὸς κηδεμὼν τὴν ὀρ-
φανὴν ἠσφαλίσατο. τοῖς τῆς μητρὸς δὲ
νῦν δικαιώμασιν ἰσχυρῶς αἱ θυγατέρες
κέχρηνται κατὰ τῶν ἀγνωμόνων καὶ ἀπίστων
ἀνδρῶν· ὥς τέ σοι πανταχόθεν ἡ κατα-
φρόνησις τῆς γαμετῆς ἀδύνατος, καὶ ἀρ-
χαίοις νόμοις τοῖς θείοις καὶ νέοις τοῖς ἀν-
θρωπικοῖς δεδεμένῳ. δυσωπείτω δέ σε
καὶ τὸ χρήσιμον τῆς γυναικὸς πρὸς τὸν βίον.
μέλος ὑπάρχει, βοηθός ἐστιν, συνεργὸς
εἰς διαγωγὴν τοῦ βίου, εἰς παίδων γένεσιν,
νόσου ἐπίκουρος, θλίψεων παραμυθία,

illa ſunt ac firmata ſatis: verùm ad vocem Adami me conuerto: *Hæc caro ex carnibus meis, hoc os ex oſſibus meis: ipſa vocabitur vxor mea.* Gene. 2. v. 23. Non de nihilo profectò vox iſta memoriæ prodita; ſed vt communis eſſet omnium confeſſio virorum feminis, quæ viris per nuptias legitimè iunguntur, huius vnius ore prolata. Ac ne mireris vnius ex verbis ceteros obligari; quæcumque circa protoplaſtos illos initio acciderunt, in naturam poſteris abierunt. Quare ſi mulier aliqua temerè repudiata, ſumpto Geneſeos libro, ad iudicem (iudicem eumdem ac teſtem) te pertraxerit, dic age quid reſpondebis? quî defugies eorum auctoritatem verborum, quæ per temetipſum coram Deo pronuntiata, quæ non vilis aliquis ſcriba, ſed ipſe Moyſes litteris conſignauit Dei famulus ac miniſter? Patris ac matris expertem mulierem Adamo Deus in manum tradidit, &, vti bonus curator, pupillæ tutelæ proſpexit. Iſtâ parentis ſuæ defenſione, his cauſſæ ſuæ firmamentis aduerſus ingratos infidoſq; maritos filiæ rectè etiam vtentur: nec vllo modo poteris vxorem habere deſpicatui, legibus & antiquitus diuinis & poſteriùs humanis aſtrictus. Incutiant tibi pudorem vitæ commoditates quas vxor adfert. Membrum eſt, adiutrix eſt, vitæque ſocia & communium genitrix liberorum, in morbis opitulatrix, in calamitate ſolamen,

domus cuſtos, ac bonorum theſaurus. Eadem dolet, eadem gaudet: communes, ſi quæ ſunt, poſſidet opes, rem tenuem & anguſtam ſedulò ſuſtentat, maloque paupertatis quantum poteſt occurrit ac reſiſtit, laborem denique & moleſtiam educādis liberis propter conſortium tuum ingentem ſubit. Si calamitas incidit, ille malis obrutus latet; amici qui cenſebantur, amicitiam felicitate metientes, rebus aduerſis ſeſe ſubducunt: ſerui ſimul & dominum & miſerias fugiunt. Sola adhæret vxor ægræ partis membrum, & in malis ſerua ac miniſtra: hæc virum curat, hæc lacrimas abſtergit, hæc plagis ac verberibus medetur, hæc in carcerem vſque comitatur, &, ſi quis ingredi permiſerit, libenter vnà cum eo cōcluditur; ſin id prohibetur, ſicut familiaris hero catellus circa ianuam carceris manet. Nouimus ipſi* mulierem, quæ attonſâ comâ veſtem virilem, eamque floridam; induit, vt ne virum fugientem latentemque deſerere cogeretur. Ita cùm ſeruitutem ſeruire videatur, affectui verè ſeruit, in eoque vitæ genere compluribus perſeuerauit annis, locum ex lōco, ſolitudinem ex ſolitudine mutans. Talem etiam patientiſſimi Iobi coniugem fuiſſe reperimus. Deſeruerunt eum omnes, vnaque cum opibus adulatores defluxerunt: amici ipſi rebus ſecundis amicitiam æſtimantes cum

φύλαξ τῆς ἑστίας, θησαυρὸς τῶν κτημάτων· τὰ αὐτὰ λυπουμένη, τὰ αὐτὰ χαίρουσα· κοινὸν κεκτημένη τὸν πλοῦτον, εἰ παρείη· τὴν μοχθηρὰν οἰκονομοῦσα πενίαν, εὐμηχάνως καὶ καρτερῶς ἀντέχουσα πρὸς τὰ παρ᾽ ἐκείνης ὀδυνηρά· ἐπιμόχθου παιδοτροφίας ἀνεχομένη διὰ τὴν πρὸς σε συνοίκησιν. ἂν δέ που καὶ περίστασις καταλάβῃ πραγμάτων, βλαφθεὶς ἀφανίζεται· οἱ δὲ νομιζόμενοι φίλοι, τῷ καιρῷ τῆς εὐπραγίας τὴν φιλίαν μετροῦντες, ὑποχωροῦσιν ἐν τοῖς δεινοῖς· οἱ δοῦλοι καὶ τὸν δεσπότην ὁμοῦ καὶ τὰς συμφορὰς δραπετεύουσιν. λείπεται λοιπὸν ἡ γυνὴ τοῦ νοσοῦντος μέρους τὸ μέλος, καὶ τῶν κακῶν δούλη, καὶ τῆς τοῦ ἀνδρὸς θεραπείας, τὸ δάκρυον ἀποψῶσα, τὴν πληγήν, ἂν μαστιχθῇ, θεραπεύουσα· ἀκολουθοῦσα πρὸς τὸ δεσμωτήριον ἀγομένῳ, κἂν μέν τις ἀφῇ συνεισελθεῖν, ἡδέως τῆς καθείρξεως κοινωνεῖ, ἂν δὲ κωλυθῇ καὶ τοῦτο, ταῖς θύραις τοῦ δεσμωτηρίου ὡς κυνίδιον τῷ δεσπότῃ συνηθὲς παραμένει. ἔγνων ἐγὼ γυναῖκα καὶ τὴν κόμην κειραμένην, καὶ ἀνδρικὴν ἀνθισμένην ἐσθῆτα, καὶ ταύτην ἀνθηρὰν, ἵνα ἀνδρὸς φεύγοντος καὶ κρυπτομένου μὴ χωρισθῇ. δούλη δὲ εἶναι δοκοῦσα, ἀληθῶς δουλεύει τῷ πόθῳ· καὶ τοῦτον τὸν βίον ἐν πολλοῖς ἔτεσι διετέλεσεν, τόπον ἐκ τόπου, καὶ ἐρημίαν ἐξ ἐρημίας ἀμείβουσα. τοιαύτην δὲ καὶ τοῦ καρτερωτάτου Ἰὼβ εὑρίσκομεν τὴν γυναῖκα. κατέλιπον γὰρ ἐκεῖνον οἱ πάντες, καὶ οἱ κόλακες τῷ πλούτῳ συναπερρύησαν, καὶ οἱ φίλοι τῷ καιρῷ τῆς εὐπραγ-

* De Sabinâ Iulij Sabini coniuge refert Plutar. in Ἐρωτικῷ ex Cornel. Tacit. l. xx. Hiſtoriar. Pet. Victorius lib. XVIII. Var lect. cap XV.

εὐεργεσίας τὴν φιλίαν ἐμέτρησαν. εἰ δέ που καὶ παρεγένοντο, ὄνειδος ἦν ἡ παρουσία καὶ οὐκ ἐπίσκεψις, ἐπιθήκη τῆς συμφορᾶς, οὐ παραμυθία· διὸ δὴ καὶ οἱ παρακλήτορες κακῶν πάντως πρὸς ἐκείνου ἀπεσχετλίασαν. μόνη δὲ ἡ ποτὲ περιφανὴς, ἐπὶ τῆς κοπρίας τῷ ἀνδρὶ συνεκάθητο, ἀποξέουσα τὸν ἰχῶρα, καὶ τοὺς σκώληκας τῶν τραυμάτων ἐξέλκουσα. οὕτως τοῦ βίου κοινωνὸς, οὐ τῆς εὐπραγίας σύνοικος, ἀχώριστος φίλος, οὐ κόλαξ τῶν ἡδονῶν, πάσης εὐκληρίας καὶ πάντων φιλτάτων καὶ συγγενῶν μόνον ἀγαθὸν λείψανον. διόπερ ἐκ τῆς ἄκρας καὶ καθ' ὑπερβολὴν φιλανδρίας καὶ πρὸς τὴν ἁμαρτίαν τῆς βλασφημίας ἐξέπεσεν, ἵνα μὴ μακρὰ κολάζηται ὁ ἀνὴρ, μηδὲ βλέπῃ αὐτὸν ἐν ταῖς ἀλήκτοις ὀδύναις, εἰπεῖν τι ῥῆμα βλάσφημον εἰς Θεὸν, συμβουλεύουσα καὶ ταχεῖαν τὴν τελευτὴν ὑπελθεῖν. τὴν γὰρ ἰδίαν λοιπὸν συμφορὰν τὴν τῆς χηρίας οὐκ ἐλογίζετο· ἓν δὲ μόνον ἐμερίμνα, ὅπως τὴν ἀβίωτον ζωὴν ὁ ἀνὴρ διαφύγοι. ταῦτα μετὰ τῆς νέας πείρας καὶ ἡ μνήμη τῶν παλαιῶν παιδεύει τὸν τῶν γάμων ὑβριστήν. τί δ' ἂν εἴποι πρὸς ταῦτα ὁ τῆς κατηγορίας ὑπεύθυνος; ποίαν δ' ἂν εὐπρόσωπον ἀπολογίαν τῆς ἑαυτοῦ εὐκολίας προβάλλοιτο; φαῦλον, φησὶν, καὶ μύσους ἄξιον τὸ ἦθος τῆς γυναικὸς, καὶ ἡ γλῶσσα προπετὴς, καὶ ὁ τρόπος οὐκ οἰκουρὸς, καὶ ἀνοικονόμητος ἡ διοίκησις. ἔστω, διδόσθω· πείθομαι τέως· καὶ δέχο-

fortunâ mutarunt. Si qui remanſerunt ac præſtò fuêre, eorum præſentia contumeliæ quàm officio Iob 2. v. 7. propior, augendæ magis ærumnæ quàm ſolatio fuit, quíque conſolari debuiſſent, coram eo lamentati ſunt. Sola autē hæc primaria paullò antè & ornatiſſima femina nuſquam à viro deceſſit, aſſeditq; vel in ſterquilinio, ſaniem & tabum abſtergens, vermeſque plagis educens. verè quidem illa vitæ ſocia, non felicitatis contubernalis, indiuiduæ cultrix amicitiæ, non aſſentatrix affectatrixque voluptatum, vnum denique de tantâ fortunâ ac totâ cognatorum ac beneuolentium cohorte reliquum marito bonum. Ac proinde ex nimio coniugis amore in peccatum blaſphemiæ prolapſa fuit: ac ne diutiùs ille conflictaretur, & ipſa continuis in doloribus eũ videret, Deo maledicere & accelerare mortem ſuaſit. Suæ nempe ſecura viduitatis ac ſolitudinis, vnum id cogitabat, quemadmodũ è vitâ non-vitâ maritus exiret. Hæc talia cum recente experientiâ memoria vetus aduerſus eos adfert, qui erga coniuges iniurij ſunt & iniqui. Quid porrò reſpondeat huius criminis reus? quam ſaltem ſpecioſam leuitatis ſuæ defenſionē proferat? Malum, ait, odioſumque mulieris ingenium, lingua temeraria ac præceps, mores à domo rebuſque domeſticis alieni, nec ipſa bona aut frugi rei familiaris adminiſtratrix. Sint hæc ita ſanè: perſuaderi adhuc mihi patior, & acci-

accipio veſtra dicta, ſicut vnus eorum iudicum qui parùm exploratam aurem habent, ac facilè accuſatorum inſectationibus tranſuerſi rapiuntur. Tu verò dic obſecro, cùm eam initio duceres, an neſciebas homini te coniungi? Hominem autem cùm quis audit, non ſtatim peccatum adhærere & conſequi cogitat, Deumq; ſolum culpæ & reprehenſioni non obnoxiū? Tu ipſe nuſquam peccas? non moribus & ingenio tuo moleſtiam vxori præbes? An omnis omnino purus & expers culpæ, matrimonij legem inuiolabiliter ſeruas? Quoties ipſa fortean à temulento contumeliâ affecta eſt? Quàm multas & magnas iniurias, quàm indigna verba ſuſtinuit? Quot & quanta tua vitia in obſcuro ſunt, quoniam vxor non reuelauit? Tolerauit illa temerè & ſine cauſſâ iraſcentem atque debacchantem; & quamuis libera ac dignatione par, conticuit ſicut ancilla de foro empta. Neceſſaria ad vitam & victum vel inopiâ vel auaritiâ non ſuppeditanti quamquam ægra animo non maledixit: nec redeuntem à ſympoſio, vino oneratum & inſanientem, ebrietatis odio non admiſit aut reiecit; ſed cum veniâ ac lenitate, qualis humanitatem noſtram decet, te ſuſcepit, & reprimentem ac verberantem ad lectum manuduxit, caputque ægrum ac meri vaporibus agitatum ſedulò curauit: ſola nimirum tui miſerta, cùm famuli mentis ob errorem & agitationem herum deriderent ac ſubſannarent.

μαι, ὡς οἱ μὴ σφόδρα τὴν ἀκοὴν ἀκριβεῖς δικασταὶ, εὐκόλως δὲ ταῖς καταδρομαῖς τῶν κατηγόρων παρασυρόμενοι. σὺ δὲ εἰπὲ, τὴν ἀρχὴν ἀγόμενος, οὐκ ἐγίνωσκες ὡς ἀνθρώπῳ συνάπτῃ; ἀνθρώπου δέ τις ἀκούσας, οὐκ εὐθὺς ὁρᾷ τὴν φύσιν ἁμαρτίαν ἀκολουθοῦσαν, Θεοῦ γὰρ μόνου τὸ ἀνεπίληπτον; αὐτὸς δὲ ἄρα οὐχ ἁμαρτάνεις; οὐ παρέχεις δὲ λύπας ἐκ τοῦ τρόπου τῇ γυναικί; ἀθῶος δὲ εἶ πάσης πλημμελείας, καὶ τῇ συνοικήσει τὸν θεσμὸν τηρεῖς ἀδιάφθορον; ὦ πόσας σου τυχὸν παροινίας ἤνεγκεν ἡ γυνή; πόσων δὲ παρέχειρον ὕβρεων καὶ λόγων ἀσέμνων ἠνέσχετο; ὅσα δέ σου ἐλαττώματα σιγᾶται, ἐπειδὴ οὐκ ἐδημοσίευσεν ἡ γυνή; ἠνέσχετό σου καὶ μάτην ὀργιζομένου, καὶ τοῦ θυμοῦ ὑπερζέοντος· καὶ ἡ ἐλευθέρα καὶ ὁμότιμος ἐσιώπησεν ὡς δούλη τῶν ἐκ πωλητηρίου. καὶ τὰ ἀναγκαῖα μὴ χορηγοῦντι πρὸς τὴν τοῦ βίου μεταγωγὴν διὰ πενίαν ἢ φειδωλίαν, οὐκ ὠνείδισεν λυπουμένη. οὐ μὴν οὐδὲ ἐκ συμποσίου ἐλθόντα ποτὲ καὶ οἰνωμένον καὶ ἔκφρονα ἀπέρριψε τῆς μέθης μισήσασα· ἀλλὰ καὶ ὑπεδέξατο μετὰ συγγνώμης ἀνθρωπικῆς, καὶ ἐχειραγώγησίν σε τὸν κολάζοντα, καὶ τὴν κεφαλὴν ἐθεράπευσεν τοῖς ἀτμοῖς παρεδονουμένην τοῦ οἴνου, ὠδήγησεν δὲ ἐπὶ τὴν κοίτην τὴν γαμικὴν, μόνη συμπαθοῦσα, τῶν οἰκετῶν γελώντων καὶ ἐπιχλευαζόντων τὴν ἐκ τῆς μέθης παραφοράν.

σὺ

σὺ δὲ τὰ ἄμφοδα περινοστεῖς, ἐπὶ ψυχραῖς αἰτίαις ἐκτραγῳδῶν τὴν γυναῖκα, ἵνα σαυτῷ τὴν συγγνώμην παρασκευάσῃς τῆς προτεθειμένης διαιρέσεως. σκληρὰ τῶν τοιούτων ἀνδρῶν ἡ γνώμη, θηριώδης καὶ ἀμείλικτος, ἐκ δρυὸς ἢ πέτρας, κατὰ τὸ λεγόμενον, τὴν γένεσιν ἔχουσα· πάντων γὰρ ὁμοῦ τὴν μνήμην ἐξαλείψαντες, ἀπαθῶς διατέμνονται. τίς δὲ μέλος νοσῆσαν ἀντὶ τοῦ θεραπεύειν ἐκκόπτει, καὶ ταῦτα οὐκ ἐπικινδύνου πάθους ἐνσκήψαντος, ἀλλὰ πολλὴν ἔχοντος καὶ ῥᾳδίαν τῆς ἰάσεως τὴν ἐλπίδα; ἐπεγένετο φλύκταινα τῇ χειρί, ἐπιμελῶς αὐτὴν θεραπεύσωμεν· φλεγμονὴ τὸν πόδα διώχλησεν, φαρμάκῳ τὴν ἐξοίδησιν καταστείλωμεν. εἰ δὲ παρέντες τὴν τῶν ἰατρῶν ἐπίσκεψιν, περὶ τὴν τομὴν καὶ τὸν σίδηρον ἀσχοληθείημεν, καθ' ἕκαστον τῶν λυπούντων, οὐδὲ μικρὸν τῆς ζωῆς διαγενόμενοι χρόνον, πᾶσι τοῖς μέλεσιν ἑαυτοὺς ἀκρωτηριάσωμεν. ἀλλ' οὐχ οὕτως, ὦ ἄνδρες. ἔστω τις μνήμη καὶ τῶν κώλων. δυσωπησάτωσαν ὑμᾶς αἱ θεραπεῖαι τῶν γυναικῶν. ὅσον δ' ἂν παροξυνθῆτε ἑνὸς τόκου τὴν ὠδῖναν ἀντιθέντες ταῖς μέμψεσιν, εὑρήσετε νικωμένην τὴν τῶν λυπούντων περίστασιν. ἀναφερέσθω ὁ ἀναλογισμὸς εἰς μέσον καὶ τῆς εὐνοίας τὰ ἀγαθά, νόσων θεραπείας, συμφορῶν κοινωνίαν, δάκρυα τὰ ὑπὲρ ἀνδρὸς προσαχθέντα ποτέ· τὸ καταλιπεῖν τοὺς γεννησαμένους, καὶ ἑστίαν γονικὴν,

At tu paſſim in compitis & plateis oberrás, frigidis de cauſſis vxorem tragicè turpiterque traducis, vt ad faciliorem cogitati repudij veniam & excuſationem viam & aditum tibi munias. Duri, immites ac belluini id genus homines, vereq́; geniti, quemadmodum fertur, è robore vel ſaxo, qui rebus omnibus obliuioni traditis æquo animo & abſque ſenſu doloris ſegregantur. Quis autem ægrum ſibi membrum curationis vicem abſcindat, cùm & nullum ferè periculum, & medelę magna ſpes & pænè explorata? Exorta eſt in manu puſtula, diligenter eam curamus: inflammatio pedi infeſta, pharmaco tumorem cohibemus. Quòd ſi prætermiſsâ medicorum inſpectione & curâ, quoties aliquid doluerit, ad ferrum & ſectionem imus, exiguo ſanè tempore membris nos ipſos omnibus mutilauerimus. Verùm non eo modo, ô viri: eſtote memores membrorũ veſtrorum: flectant vos, & pudore quodammodò afficiant obſequia ac miniſteria mulierum; ac dum irâ accenſi fueritis, partus vnius dolores cum his quæ dolorem vobis faciunt contendite, multiſque hæc partibus vinci comperietis. Conſiderentur, inq; medium proferantur beneuolentiæ bona, morborum curationes, caſuum omnium atque calamitatum ſocietas, lacrimæ mariti cauſſâ fuſæ. Veniat in mentem quòd parentes ſuos, quòd domum vbi primùm lucem aſpexit,

propter te reliquerit, foriſque venientem & externum ſequuta ſit: quòd fortè ſuarum aliquid recularum alienare non dubitauerit, vt eo moleſtiam atque moroſitatem viri redimeret. Hæc omnia affectum concilient, amoriſque vinculum nectât, ac lubricum animum, velut marcidam domum, contineant atque confirment. Vincat miſericordia, & conſuetudo conuictuſque longi temporis ne calcetur, quæ faciunt vt etiam bruta animantia ægrè diſiungantur. Vidi certè bouem, quòd aberraſſet ab armento, ſoluſque ſibi relictus eſſet, miſerabiliter mugientem: pecudem item balantem, monteſque percurrentem & ſaltus, dum ad gregem rediiſſet, à quo inter paſcendum receſſerat. Sed & caprea idem paſſa, quamquam in varios incidit greges, prætercurrit, nec antè curſum ſiſtit quàm vbi ſuum, cui aſſueuit, & gregem & caprarium repperit. Ne brutis igitur ipſis nos, qui rationis participes, duriores exiſtamus, neque minoris vxorem faciamus, quàm aliquem viæ comitem, aliúmve ex cauſsâ leui & ſubitâ leuiter nobis notum. Vides quemadmodum quos via publica iunxit, idemq; tectum ac diuerſorium aut vmbroſa per æſtum meridianum arbor excepit, fortuitum occurſum in occaſionẽ amicitiæ rapiant, & cùm ad diuortia viarum peruenerint, non ſine ægrimoniâ diuellantur, ac ſublacrymantes & fixis alter in alterum oculis conſiſtant,

καὶ ἀκολουθῆσαι τῷ ξένῳ· τὸ παλῆσαί τι τῶν οἰκείων, ἵνα ὕβριν καὶ ὄχλησιν τοῦ ἀνδρὸς ἐξωνήσηται. ταῦτα πάντα παιδαγωγείτω πρὸς τὴν διάθεσιν, καὶ γινέσθω σύνδεσμος τῆς στοργῆς, οἷον οἰκίαν τινὰ σαθροτέραν τὴν ὀλίσθον ψυχὴν διεγείροντα καὶ συνέχοντα. ἔλεος δὲ κρατείτω, καὶ συνήθεια καὶ μακροῦ χρόνου συμβίωσις μὴ πατείσθω, ἥ τις καὶ τὰ ἄλογα ποιεῖ τῶν ζώων ἀχωρίστως ἔχειν ἀλλήλων. ἐμπαθῶς γὰρ εἶδον ἐγὼ βοῦν μυκώμενον, ἐπειδὴ τῶν συννόμων ἀποπλανηθεὶς ἐμονώθη· καὶ πρόβατον ἐν νάπῃ βληχώμενον, καὶ διατρέχον τὰ ὄρη, μέχρις ἂν τῇ ἀγέλῃ συνάψῃ, ἧς ἐχωρίσθη νεμόμενον. αἲξ δὲ ταὐτὸ τοῦτο παθοῦσα κἂν πολλὰς ἀγέλας αἰγῶν διατρέχουσα, καταλάβῃ, οὐ πρότερον ἵσταται, πρὶν ἂν τὴν συνήθη εὕρῃ, καὶ τὸν αἰπόλον τὸν ἴδιον. μὴ τοίνυν ἀπαθέστεροι πρὸς φιλίαν εὑρεθῶμεν τῶν ἀλόγων οἱ λογικοί· μηδὲ ἀτιμωτέραν τὴν γαμετὴν κρίνωμεν συνοδοιπόρου τινὸς, ἢ τοῦ διὰ μικρὰν πρόφασιν ἐν ὀλίγῳ προσφιλωθέντος. ὁρᾷς ὡς καὶ ἐπὶ τῆς λεωφόρου ἀλλήλοις συμμίξαντες ἄνθρωποι, ὄροφον δὲ καταγωγίου τὸν αὐτὸν ὑπελθόντες, ἢ δένδρου ἀμφιλαφὲς ὥρᾳ θέρους τὴν μεσημβρίαν ἀποσκιάσαν, ἀφορμὴν διαθέσεως γνησίας τὴν συντυχίαν ποιοῦνται· κἂν ἔλθωσιν ἐπὶ τὴν ὁδὸν τὴν μερίζουσαν, ἀπαθῶς ἀλλήλων οὐκ ἀπαλλάττονται, ἀλλ' ἵστανται καὶ ὑποδακρύουσι, βλέποντες ἀτενὲς εἰς ἀλλήλους,

καὶ

καὶ σύμβολα μνήμης ἕκαστος δίδωσιν φέρειν· καὶ μικρὸν προβάντες, πάλιν μεταστρέφονται, καὶ ἀνακαλοῦσιν, ἐπεύχεται δὲ ἑκάτερος τῷ ἑτέρῳ τὰ αἴσια· καὶ ὀλίγος χρόνος οὕτως ὀξυτάτην κίρνησιν τὴν φιλίαν, ὡς δυσαπάλλακτον αὐτοῖς γίνεσθαι καὶ βεβιασμένην τὴν ἀναχώρησιν. σὺ δὲ πρὸς τὴν τοῦ βίου κοινωνὸν οὕτως καταφρονητικῶς ἔχεις, ὡς πρὸς σκεῦος ἀποπεσὸν, ἢ ἱμάτιον εὐτελὲς ἐν ὁδοιπορίᾳ καταργηθὲν, ἢ κυνίδιον τῶν μελιτταίων ὑποχωρῆσαν τῆς οἰκίας; καὶ ποῦ ἡ ἐν ἀρχαῖς πεπλασμένη διάθεσις; ποῦ ἡ ἐπὶ τῆς μιᾶς κοίτης ἀνάπαυσις; ἡ τοῦ νόμου συνείρξις, ἡ τῆς πολλῆς καὶ μακρᾶς συνηθείας δύναμις, ἣν καὶ εἰς φύσιν μεταποιεῖσθαι, καὶ λόγος ἔχει, καὶ ἡ πεῖρα ὑπέδειξεν; πάντα διέκοψας εὐκολώτερον ἢ ὁ Σαμψὼν τὰ τῶν ἀλλοφύλων καλώδια. καίτοι ὅγε σώφρων καὶ τῆς διαθέσεως φύλαξ, οὐδὲ ἀναχωρησάσης τοῦ βίου τῆς γαμετῆς ῥᾳδίως ἐπιλανθάνεται, ἀλλὰ θάλπει τοὺς παῖδας, ὡς κοινὴν παρακαταθήκην τῆς μητρὸς καὶ τῆς φύσεως, ἐν ἐκείνοις δὲ καθορᾶν δοκεῖ τὴν ἀπελθοῦσαν. ὁ μὲν γὰρ τῶν παίδων τῆς μητρικῆς φωνῆς ὁμοιότητα σώζει, ἄλλος τὸ πολὺ τοῦ χαρακτῆρος ἐφείλκυσται, ἕτερος τὴν τοῦ ἤθους κατάστασιν ἐμορφώθη πρὸς τὴν τεκοῦσαν. καὶ οὕτως ὁ πατὴρ πολλὰς ἔχων τῆς γαμετῆς εἰκόνας ζώσας καὶ ἐμψύχους, ἀθάνατον ὑποτυποῦται τὴν πρὸς ἐκείνην συνοίκησιν, καὶ διὰ τοῦτο οὐδὲν φιλήδονον ἐννοεῖ· οὐ σήμερον χώσας τὸν τάφον, μετ' ὀλίγον χρόνον παστάδας κατασκευάζει.

ſymbolaque mutua largiantur: vt progreſſi deinde paullulùm rurſus ſeſe conuertant, reuocatiſq; fauſta ac felicia apprecentur: vt denique breuis vſura temporis tam arctam iungat amicitiam, vt ægrè digredi cogendiq; tantum nō eſſe videantur. Et tu comparem ac vitæ ſociam deſpicatui ſic habes, vt vaſculum amiſſum aut vile veſtimētum per neglectum in viâ obliuioni traditum, catellúmve Meliteum qui domo clanculùm ſe ſubduxit? Vbi ſimulatus initio affectus? vbi toti ſocietas atque communio? vbi legitimum vinculum & diuturnæ vis conſuetudinis, quam & in naturam abire tum ratio dictat, tum experientia demonſtrat? Faciliùs cuncta abrupiſti quàm Sampſon Iudicũ 16. v. 13. hoſtium funes. Atqui vir probus & in affectu conſtans vel demortuæ memoriam coniugis ægrè deponit, liberoſque fouet ac diligit tamquam commune depoſitum matris ac naturæ, ſpirantemque in eis defunctam videre ſibi videtur. Hic enim ex liberis maternæ ſimilitudinem vocis præfert: ille de formâ ac lineamentis plurimùm hauſit: alius mores & ingenium parentis repræſentat. Atque ita pater multas habens & viuas & ſpirantes coniugis effigies, perpetui conſortij connubiique ſpeciem animo ſuo informat, eoque nullam nouæ cogitationem voluptatis admittit: nec hodie qui tumulum coniugi fecit, pòſt paullò thalamum adornat: aut

aut à lacrymis ac ſuſpiriis nuptialem ad choream iterùm feſtinat: non veſtem atram ac lugubrem feſtâ ſponſaliq; ſtolâ permutat: non in calentem etiamnum à priore matrimonio lectum alteram inducit, aut nouercam, odioſum liberis nomen, adducit: ſed turturum non illam quidem à ratione profectam, ſed inſitam à naturâ ſanctimoniam imitatur. Nam auem hanc ferunt, vbi ſemel à contubernali diſiungitur, perpetuam colere viduitatem, & facere planè contrà ac columbæ, quæ in polygamiam procliues. Hactenus quidem vapulet maritus, crebriſque denſæ niuis inſtar ingratitudinis criminibus pulſetur. Quòd ſi fortè adulterij culpam obiicit, eamque diuortij rationem reddit, omnem ſtatim accuſationem à marito iniuriâ hac affecto in adulteram transferam, & pro hoſte probus poſthac illi defenſor ac propugnator aſſiſtam. Laudabo eum qui fugiet inſidiatricem, qui vinculum abrumpet, quod eum aſpidi, quod echidnæ copulauit. Huic enim primùm dat veniam ipſe Conditor vniuerſi, tamquam iuſto dolore percito, meritoq; domus peſtem & exitium domo exigenti. Nam cùm duplici fine matrimonia contrahantur, beneuolentiæ & liberûm quærendorum, neutrum in adulterio obtinetur. Nec enim affectui locus, vbi in alterum animus inclinat: ac ſobolis

οὐδὲ μετὰ τὸ δάκρυον καὶ τοὺς στεναγμούς, ἐπὶ γαμικὴν πάλιν χορείαν ἐπείγεται· οὐδὲ τὴν μέλαιναν ἐσθῆτα καὶ πενθικὴν εἰς νυμφικὴν διαμείβει στολήν· οὐδὲ θερμῇ τῇ κοίτῃ τῆς ἀπελθούσης, τὴν δευτέραν γαμετὴν ἐπεισάγει, οὐδὲ μητρυιὰν δίδωσι τοῖς παισί, τὸ ἐπαχθὲς ὄνομα. μιμεῖται δὲ τῶν τρυγόνων τὴν ἄλογον καὶ φυσικὴν σεμνότητα. καὶ γὰρ ἐκείνην τὴν ὄρνιν φασὶν τῆς ὁμοβίου διαζευχθεῖσαν, ἀγαπᾶν διηνεκῆ τὴν χηρείαν, καὶ ἐναντίως ἔχειν πρὸς τὴν περιστερὰν εἰς τὸ τῆς πολυγαμίας εὔκολον. μέχρι τούτου πυκναῖς ὁ ἀνὴρ ταῖς κατηγορίαις βαλλέσθω, καὶ νιφάδων πυκνότερον αὐτὸν τιτρωσκέτω τὰ τῆς ἀγνωμοσύνης ἐγκλήματα. ἂν δέ που μοιχείας αἰτίαν προβάλληται, καὶ τοιαύτην παράσχοι τοῦ χωρισμοῦ τὴν ἀπολογίαν, εὐθὺς τὴν συνηγορίαν μεταθήσομαι τοῦ ἀδικηθέντος, καὶ τὸν λόγον κατὰ τῆς μοιχαλίδος παρασκευάσας, ἀγαθὸς συναγωνιστὴς ἀντὶ πολεμίου τῷ ἀνδρὶ παραστήσομαι· ἐπαινῶ τὸν φυγόντα τὴν ἐπίβουλον, τὸν διακόψαντα τὸν δεσμόν, ᾧ πρὸς τὴν ἀσπίδα ἢ τὴν ἔχιδναν προσεδέδετο. τούτῳ γὰρ δίδωσι τὴν συγγνώμην πρῶτος ὁ τοῦ παντὸς ποιητής, ὡς καὶ δικαίως ἀλγοῦντι, καὶ προσηκόντως τῆς οἰκίας ἀπελαύνοντι καὶ τῆς ἑστίας τὴν νόσον. γάμος γὰρ τούτων χάριν τῶν δύο συνίσταται, διαθέσεως καὶ παιδοποιΐας· ὧν οὐδέτερον μετὰ μοιχείας σώζεται. ἡ μὲν γὰρ διάθεσις οὐκ ἔστιν, πρὸς ἄλλον τῆς εὐνοίας ἀποκλινάσης· παιδο-

ποιΐας

πάσας δὲ τὸ καλὸν ἀνήρπασται, συγκεχυμένων τῶν τέκνων. ἀλλὰ τὰ μὲν εἰς τοῦτο φέροντα τὸ ἁμάρτημα, εἴρηται ἐν ἄλλῃ ὑποθέσει συμμέτρως. ἀμφότερα δέ μοι τὰ μέρη σωφροσύνην ἀσκήσατε τὴν ἀρραγῆ τῶν γάμων σύνδεσμον. ὅπου γὰρ αὕτη τιμᾶται, ἐπάναγκες εἶναι καὶ εἰρήνην καὶ πόθον, οὐδεμίας πανδήμου καὶ νόθου ἐπιθυμίας τὴν ψυχὴν ἐπιθηγούσης, ἐμβαλούσης δὲ τὴν νόμιμον καὶ δικαίαν στοργήν. οὗτος τῆς σωφροσύνης ὁ νόμος οὐ ταῖς γυναιξὶ μόνον παρὰ Θεοῦ ὥρισται, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἀνδράσιν. οἱ δὲ τοῖς τοῦ βίου τούτου νομοθέταις προσέχοντες, ἀνεύθυνον καταλείπουσι τῆς πορνείας τοῖς ἀνδράσι τὴν ἐξουσίαν· βαρεῖς μὲν εἰσὶν κριταὶ καὶ διδάσκαλοι τῆς τῶν γυναικῶν σεμνότητος, οἳ δ' ἐν πολλοῖς ἀναίδην ἐπιμαίνονται σώμασιν, ἄλλων ἰατροί, κατὰ τὴν παροιμίαν, μυρίοις βρύοντες ἕλκεσιν. κἄν τις αὐτῶν ἐπὶ ταῖς πλημμελείαις ταύταις καθάψηται, κεκομψευμένην καὶ παίζουσαν ἀπολογίαν προΐσχονται. οἱ μὲν γὰρ ἄνδρες, φασί, κἂν πάνυ πολλαῖς γυναιξὶ πλησιάσωσιν, οὐδὲν τῇ ἑστίᾳ λυμαίνονται· αἱ δὲ γυναῖκες ἐξ ὧν ἁμαρτάνουσι, κληρονόμους ἀλλοτρίους ταῖς οἰκίαις καὶ τοῖς γένεσιν ἐπεισάγουσιν. ἀκουσάτωσαν δὲ οἱ τῆς ἐμπλήκτου γνώμης σοφισταὶ καὶ εὑρεταί, ὅτι καὶ αὐτοὶ ἄλλας ἑστίας καὶ οἰκίας ἀνατρέπουσιν. αἱ γὰρ γυναῖκες, αἷς ὁμιλοῦσι, πάντως τινῶν εἰσὶν ἢ θυγατέρες ἢ γαμεταί. καὶ παντὶ τρόπῳ εὑρεθήσεται ἢ γάμος ἐπιβουλευόμενος, ἢ γονεὺς ἀδικούμενος, ὃς

omne decus & gratiâ perit, quando liberi confunduntur. Sed quæ pertinent ad hoc peccatum, in aliâ quæſtione tractata fuerunt opportunè. Continentiam igitur & caſtitatem, quod eſt indiſſolubile matrimonij vinculum, pars vtraque mihi cole. Hæc enim vbi colitur, ibi concordiam & mutuam beneuolentiam locum habere neceſſe eſt, quando vagâ ac ſpuriâ cupiditate liber animus iuſto legitimoq́; totus amore occupatur. Hæc porrò continétiæ lex non feminis tantùm, ſed etiam viris à Deo lata eſt. qui tamen legiſlatoribus adhærentes humanis, per quos libidinari ipſis licet, ſeueri quidem iudices ſunt & arbitri caſtitatis muliebris, ipſi verò cum ſummâ impudentiâ in plures inſaniunt, &, iuxta prouerbium, aliorum medici infinitis vlceribus ſcatent. Et ſi quis eos horum flagitiorum arguit, lepidam & iocularem defenſionem adhibent. Viri, inquiunt, etiamſi plures ad feminas acceſſerint, nullum domui familiæque damnum inferunt; at mulieres vbi peccant, externos heredes in domos ac familias inducunt. Verùm audiant tam ſtolidæ ſententiæ auctores, ac diſcant, per ipſos quoque domos alienas euerti. Feminæ enim ex, quibuſcum conſuetudinem habent, aliquorum vel filiæ vel vxores omnino ſunt: & inuenietur aut matrimonium inſidijs petitum, aut pater iniuriâ affectus; qui

K poſt-

poſtquam ſuſceperat, eduxerat, virginemq́ue perducturum ad thalamum ſperauerat, omni ſpe & expectatione per iſtos pudicitię prædones deturbatur. Quòd ſi iam pater eſt qui flagitia hæc patrat, cogitet atque conſideret, quid animi ſit patri ſic deluſo: ſi maritus, ſibi ipſi illatam eam iniuriam fingat. Nam ita demum benè præclareq́ſe res habent, ſi de aliis quiſque ſtatuit quod euenire ſibi velit. Si qui autem Romanis auſcultantes legibus, permiſſam eſſe ſcortationem & crimine vacare exiſtimant, grauem ſanè errorem errant, ignorantq́ue, leges diuinas ab humanis dogmatibus nimiùm quantum diſſidere. Audi Moyſem Dei voluntatem annuntiantem, graueſq́ & amaras aduerſus ſcortatores ſententias pronuntiantem. audi

Hebr. 13. 7. 4. Paulum dicentem: *Scortatores & adulteros iudicabit Deus.* Alij iſti nil quidquam ad ſalutem tibi proderunt tempore retributionis, ſed ipſi trepidantes æſtuanteſq́ue mente vix conſtabunt: inſipiens & indoctus deprehendetur legum ille architectus Plato, cum graui illâ orationis ſuæ facultate ac robore contra omnes legumlatores vim ſuam efferente: cùm ad pœnam diſtrahi videbunt eos, quibus ipſi ſcortandi licentiam indulſerunt. Nam omnino qui non vetuerunt, aliena ſibi peccata aſciuerunt, & gemino obnoxij crimini inuenientur, quòd & ipſi ſibi non

ἐγγυήσατο, καὶ ἐξέθρεψεν, καὶ παρθένον ἄξειν ἐπὶ παστάδα καὶ θάλαμον ἤλπισεν· ἀφῃρέθη δὲ πάσης χρηστῆς προσδοκίας παρὰ τῶν τῆς σωφροσύνης λῃστῶν. εἰ πατήρ ἐστιν ὁ ἀκόλαστος, γνωριζέτω πατρὸς πάθος ἀποτυγχάνοντος· εἰ ἀνήρ, ἑαυτὸν ὑποτυπωσάσθω τὸν ἀδικούμενον. καὶ γὰρ ἐπίπαν οὕτως ἔχει καλῶς, ἕκαστον τοῖς ἀλλοτρίοις δικάζειν, ὡς ἂν ἄλλον ἑαυτῷ βούληται. εἰ δὲ καὶ τοῖς νόμοις Ῥωμαίων τινὲς προσέχοντες, ἀνεύθυνον τὴν πορνείαν εἶναι νομίζουσι, δεινὴν πλανῶνται πλάνην, οὐκ εἰδότες, ὡς ἄλλως Θεὸς νομοθετεῖ, καὶ ἑτέρως ἄνθρωποι δογματίζουσιν. ἄκουσον Μωυσέως, τὸ βούλημα τοῦ Θεοῦ καταγγέλλοντος, καὶ πικρὰς τὰς κατὰ πόρνων ἀποφάσεις ἐκφέροντος. ἄκουσον Παύλου, λέγοντος· "πόρνους δὲ καὶ μοιχοὺς κρινεῖ ὁ Θεός." οἱ δὲ ἄλλοι οὐκ ἀρκέσουσί σοι πρὸς σωτηρίαν ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἀνταποδόσεως, ἀλλὰ τρέμοντες καὶ ἱδρῶντες ἐκτήξονται. ἄσοφός σοι καὶ ἀπαίδευτος ὀφθήσεται ὁ Πλάτων τῶν νόμων σοφιστής· ταπεινὸς δὲ ὁ βαρὺς τόνος ἐκεῖνος, καὶ κατὰ πάντων νομοθετῶν ἀνῃρημένος τὸ κράτος, ὅταν βλέπωσιν τοὺς συμπεράσαντας διελκομένους, οἷς αὐτοὶ κακῶς ἐφῆκαν τὴν ἐξουσίαν. πάντως δὲ οἱ τοὺς ἄλλους μὴ κωλύσαντες, εἰς ἑαυτοὺς προσάγοντες τὴν ἁμαρτίαν ἐπέστρεψαν, καὶ διπλῆς εὑρεθήσονται κατηγορίας ὑπαίτιοι, ἧς τε

πεπράξασιν αὐτοί, καὶ τοὺς ἄλλους ἀκολασταίνειν ἀφίησιν. οἱ τοίνυν βουλόμενοι κοσμίαις ὡς ἔνι μάλιστα γαμεταῖς συζῆν, αὐτοὶ τὸν ἴδιον τρόπον διδάσκαλον τῆς συνοικίας ποιείτωσαν, ἵν' ἔχωσιν ἀγαθὸν ἀφ' ἑστίας τὸν ζῆλον.

temperarint, & aliis paſſim peccare permiſerint. Qui igitur cum vxoribus viuere volunt modeſtis & benè moratis, ipſi ſuos mores ita componant, vt coniugibus inſtitutioni diſciplinæque ſint, hæque domeſticis ad virtutem exemplis excitentur.

Τέλος, καὶ τῷ Θεῷ δόξα.



# CENSVRA.

*SAncti Aſterij Amaſeæ Antiſtitis Homiliæ, nunc demum poſt tot ſæcula Latino ſermone è Græco fonte redditæ, ſtudio & fauore C. V. Phil. RubenI J C. nobiliſs. huic Emporio à Secretis; admodum piæ ſunt, & auitæ religionis, quam primæ illæ fidelium germina excoluerunt, ſpecimen ob oculos ponunt. Quare dignas cenſeo, quæ typis concipiantur, & luce quâ caruerunt hactenus, cùm ad gratam Auctoris memoriam celebrandam, tum ad emeritum ipſius Interpretis (quem nuper immaturiùs ereptum indoluit litterariæ Reſpub.) nomen ad poſteros tranſmittendum, donentur.*

Laur. Beyerlinck S.T.L. Canonicus
& Cenſor librorum Antuerp.

PHI-

# PHILIPPI RVBENI

S. P. Q. A. A SECRETIS

# CARMINA

## SELECTIORA

E tenebris & ſchedis eius eruta.



Digitized by Google

## IOANNES BRANTIVS LECTORI S.

POST B. ASTERII Homilias à Philippo Rubenio è Græcis Latinè redditas, en tibi eiuſdem Rubenij Poëmatia nonnulla, à nobis è ſchedis eius & liturariis collecta: quibus etiamſi extrema manus non acceſſerit, quòd Auctorem ſuprema dies occupauerit; viſa tamen nobis ſunt perelegantia, lepida, & examuſſim bona, adeóque digna, quæ vulgari vnà curaremus: ſi nullo alio, vel eo ſaltem conſilio, vt ſi quis legendis Græcis animum fortaſſe fatigarit, reficere viciſſim & oblectare horum verſuum amœnitate poſſit. Conati id ſumus, ipſo hîc nobis exemplum præeunte Rubenio; quem eâ ipsâ de cauſsâ Electis ſuis ſua itidem ad Cl^mum^ LIPSIVM Poëmatia ſubiunxiſſe, in memoriâ habemus. Valere te, beniuole Lector, & noſtra erga te ſtudia officiáque æqui boni facere opto.

PHI-

# PHILIPPI RVBENI
# CARMINA
## SELECTIORA.

### Inuocatio Numinis.

A*DESTE ô Superi meo labori,*
*Ades alme Geni, meique fructum*
*Fac ſis & pretium feram laboris.*
*Nam veſtro ſine nil fauore quidquam*
*Rectè prouenit vſpiam, aut diurnat.*
*Diis eſt auſpicibus, diis & vſus*
*Eſt ductoribus, vt queat perennem*
*Quis laudem ſibi lauream que apiſci.*
*Abſque illis fuat, haut potis ſit vllam*
*Quis laudem ſibi laureamque apiſci:*
*Sed nugas agat, irrituſque voti*
*Riſum debeat & iocum facetis.*
*Quare vos ego, vos Heri potentes,*
*Et te priue Geni, obſecro, reſecro,*
*Vobis propitiis volentibuſque*
*Hanc rem ſit mihi cêpſe, poſtque factum*
*Hoc lætam metere ex labore meſſem.*

Deus ſumma & ſola Sapientia adſpira.

POE-

# POEMATION
## AD
## ILLVSTRISS. CARDINALEM
# ASCANIVM COLVMNAM
## NOBILITATIS ROMANÆ
## PRINCIPEM.

DVLCE *quidem natale ſolum, validusque propinqui*
*Sanguinis, & veteris nexus amicitiæ:*
*Non tamen iſta meo valuerunt pectore Romam,*
*Non terram Italiam funditus eijcere;*
*Sed conſopitus multo cinere atque fauillâ*
*Hic deſiderij ſederat igniculus,*
*Qui nunc ingentes admoto fomite vires*
*Sumpſit, & è minimo maximus emicuit:*
*Cùm diis tandem patriis populóque Quirini*
*Certa redonatum fama,* COLVMNA, *tulit,*
*Dignatumque tuos nobis aperire penates,*
*Dulciaque his ſtudiis otia ſufficere.*
*Ignoſcat patriæ Genius, ignoſcite amici,*
*Iam mens prætrepidans commeditatur iter.*
*Non iuga nunc Alpina, nec ardua ſaxa tenebunt,*
*Non graſſatorum me numeroſa manus;*
*Non labor Alcidæ, non terreat error Vlyſſis:*
*Hac mercede placent omnia dura mihi.*
*Quinetiam turri ſi conditus Acriſiones,*
*Perpetuiſque forem ſeptus ab excubiis;*
*Acriſioneâ videor me erumpere turri*
*Poſſe, & perpetuis eripere excubiis.*

*Tantus*

*Tantus amor Romam mihi viſere, tanta cupido*
*Ad tua, vir Princeps, ſiſtier imperia.*
*Qui me quòd cenſere tuorum in claſſe clientum*
*Incipis, apprimè eſt ſors mea viſa bona;*
*Ac vel pro trabeâ, pro faſcibus & prætextâ,*
*Quòd dicor nexu mancipioque tuus:*
*Cuius ſe laxat totam in præconia fama*
*Multiplices edens multiplici ore ſonos;*
*Et me magnarum confundit imagine laudum,*
*Incertatque animum, quid magè ſuſpiciam.*
*Nam patriam aſpicio, nil par habet atque ſecundum,*
*Et nomen reliquis abſtulit vna locis.*
*Hæc cluet vrbs domina: hæc terrarum præſidet orbi,*
*Et ſubiecta ſuis cuncta videt pedibus.*
*Si genus & proauos, ſublimia nomina paſſim,*
*Omnes vel titulos occupat vna domus.*
*Prima togatorum longiſſimus obtinet ordo,*
*Doctrinâ atque animi dotibus eximij,*
*Purpureæque ſacro præſignes veſtis honore;*
*Sed* MARTINI *omnes hos ſuper exit apex.*
*Illud adoratum mundo caput, ille ſacrorum*
*Antiſtes, diuûm doctus obire vices.*
*Pòſt bellatorum ſeries, inſignibus armis*
*Et picturatis ſplendicat in ſagulis:*
*Queis ſtudium æratas aptè ductare phalanges,*
*Et iuſtè populis imperitare fuit:*
*Hîc ille eſt* PROSPER *(nam pluribus ante heroum*
*Præteritis, ſiſtit hic remoramque facit)*
PROSPER, *quo nemo quiſquam meditatiùs artem*
*Et rigidæ tenuit munera militiæ:*
*Qui victrice morâ veteri par Cunctatori*
*Temporibus duris cognitus Italiæ eſt;*
*Communiſque tulit nomen titulumque parentis,*
*Quòd patriam multis iuuerat officiis,*

 *Exter-*

*Externo miſerè Auſonias equitante per vrbes*
*Milite, per Siculas vt ſolet Eurus aquas.*
*Proximus & commilitio iunctiſſimus illi*
FABRICIVS, *ſed non indole, non animo.*
*Ardens vis inerat, totuſque in pectore Mauors:*
*Huic mora ſegnities, otia torpor erant.*
*Nec malè eum regi poſſim aſſimilare Moloſſo,*
*Qui ſine fine armis nexuit arma noua:*
*Nec malè Alexandro, vel magnanimo Marcello,*
*Qui ſpoliis cæſo plenus ab hoſte redit.*
*Qui ſuppar, vtriuſque legens veſtigia* MARCVS
*Forſan vtrumque olim præteriturus erat.*
*Sed nimiùm vobis iterùm res Romula, Diui,*
*Tanta diurnaſſent ſi bona, viſa potens.*
*E medio intercepit eum mors inuida curſu,*
*Inuida, &, ah, magnis inſidioſa viris.*
*Sed vulgata cano. nam quas non iuit in oras,*
*Quò non verboſæ pertulit aura Deæ,*
*Quâ virtute Duces, quantas in prælia mentes,*
*Quàm belli & pacis artibus egregios,*
*Gens vna Italiæ magnæque* COLVMNIA *Romæ*
*Perpetuo dederit læta puerperio?*
*Ne tamen* ANTONI *tacitum te* MARCE *relinquens*
*Virtuti tenear Pieriſinque reus,*
*Et tibi, magne virùm, tali quem ſemine cretum*
*Hoc voluère ſatum fata benigna patre,*
*Multa breui ſignabo notâ. quod debuit olim*
*Salua Neoclidæ Græcia conſiliis;*
*Romulidæ fidei quod virtutique Camilli,*
*Mundi pars tribuit tertia,* MARCE, *tibi.*
*Innumeris Oriens ſubnixus puppibus ibat,*
*Europæ iactans vltima ferre mala:*
*Auſus & infandum Chriſto oppoſuiſſe Mahomam,*
*Et ſacra, heu, riſus atque iocos facere.*

*Scilicet*

*Scilicet vſqueadeò tumefecerat antè ſubacta*
*Cyprus: eos rerum læta dabant animos.*
*Sed numquam longùm dulci mens ebria ſorte*
*Exſultat; paullò pòſt Deus vltor adeſt.*
*Altera nam contra ſinuoſa per æquora claſſis*
*Lecta Europeæ robora pubis agit,*
*Atque illam inuito ſulcantem cærula Nereo*
*Aut capit, aut magno mergit in Ionio.*
*Nullâ luce magis toto deſcendimus enſe*
*In iugulum & diræ pectora Barbariæ.*
*Nulla vmquam clades (mihi credite ſerior ætas)*
*Turcarum grauiùs perculit imperium.*
*I nunc, & CHRISTI delendum barbare nomen,*
*Exclama; cauſſam vindicat ille ſuam.*
*Europæ exitium ferro flammáque minare;*
*Ecce* GODIFREDOS, *ecce habet* HVNNIADAS:
*Threïciaſque, iſtis dum ſtabit fulta* COLVMNIS,
*Non timet illa minas, non timet illa manus.*
*At te dicendum cunctis fortiſſime ſæclis!*
*Incubuêre humeris publica fata tuis.*
*Tu diram Europæ potuiſti auertere peſtem,*
*Tu faſtum victor frangere barbaricum.*
*Ipſe Agrippa tibi, vitæ ſi lumina adiret,*
*Nauali partum cedere Marte decus.*
*Ipſe ſuâ haud dubitet roſtratam ſponte columnam*
*Romanâ Conſul nobilis hiſtoriâ,*
*Componíque neget qui Medum vana tumentem*
*In Salaminiacis contudit æquoribus.*
*Sed mihi non facit hæc immani pondere moles,*
*Nec nimis ingenij cymba oneranda mei.*
*Iamque etiam alterius ſubeunt miracula ſexus,*
*Et mentem ante alias percutit vna mihi.*
*Omnibus illa quidem præſtantior heroïnis,*
*Omnes illa inter principe digna loco,*

*Caſtaliis ſummè* VICTORIA *cara puellis,*
*Et vatum altiloquis inſita carminibus.*
*Hac tu, quam Gracchis ſermonis mella diſerti*
*Inſtillaſſe ferunt, inueniere minor.*
*Hæc tibi, quæ magni celebrare Aurelia mater*
*Cæſaris, exiguum nomen habere ſinet.*
*Quò feror? vnde abij? præſcriptum reſpice gyrum*
*Muſa: in ſignato puluere ſudet equus.*
*Nam ſi, quod res eſt, ſine vano dicere oportet,*
*Laus aliena nothi luminis inſtar habet.*
*Tota licet titulis ornetur, & vndique plena*
*Sit domus antiquis,* ASCANI, *imaginibus;*
*Plus eſt, quòd ſequeris, nec tantùm paſſibus æquis,*
*Quò ducit tantis orbita preſſa viris:*
*Quòd proprio fulgore nites, cenſuque tuopte*
*Cenſeri & priuâ nobilitate potes.*
*Nam vulgò ſat habent, alienæ incumbere famæ,*
*Et ſine fine atauûm fortia facta loqui;*
*Ipſi virtutis, ſed & omnis laudis egentes,*
*Et benè ſi inſpicimus, nil niſi Cecropidæ.*
*Non ea mens* GENEROSE *tibi; tua lucis auitæ*
*Splendorem virtus largiter amplificat,*
*Dum generoſum aliis præuertens rebus honeſtum*
*Excolere vſque ſtudes teque tuumque animum,*
*Et genus omne auidè doctrinarum atque lepôrum*
*Per cuncta ætatis perſequeris ſpatia.*
*Quis non in tanti miretur culmine honoris,*
*Cùm te diſtringat cura alia atque alia?*
*Nempe capax animus ſe ſpargit in omnia latè:*
*Omnibus ingenij vena benigna ſat eſt.*
*Ac ceu Scipiadæ & ſocij ſapientia Lalî,*
*Præter & hos ſi quos fama celebrat anus,*
*Cùm rerum fieret grauiorum pauſa, redibant*
*Dulcia Muſarum protinus ad ſtudia:*

*Tu,*

*Tu, quoties fortuna ingens ſinit, ardua rerum*
*Diſpungis ſtudiis mollibus Aonidum:*
*Et modò ſanctorum legere enthea ſcripta virorum,*
*Et modò longinqui temporis acta ſoles:*
*Aut etiam ſignare ſtilo, quod publicus vſus*
*Relligióve pij ſuggerit officij.*
*Hinc fluxêre animi cæleſtis pignora chartæ:*
*Hinc illa ingenij ſunt monimenta ſata,*
*Aeternare tuum quæ poſſent nomen in æuum,*
*Vel ſi deficerent cetera præſidia:*
*Queis liquidò Rhodani videt accola, & accola Rheni,*
*Et ſola ſole alio qui calefacta colit,*
*Quanta tibi meſſis doctrinæ, quamque profundo*
*Diſciplinarum flumine mens madeat:*
*Quæ ſermonis opes, pondus quàm dulce loquendi,*
*Quàm ſit certa acris regula iudicij.*
*O fortunatam, ô caram cæleſtibus vrbem,*
*Cui poſtliminio tanta recepta bona!*
*Non veterem ingenij palmam nunc mœſta requiris,*
*Non Arpinatis congemis eloquium;*
*Sed longùm caruiſſe gemis, pluresque per annos*
*Perpeſſam ſolis deliquium eſſe tui,*
*Cùm monitis precibuſque Iouis permulſus Iberi,*
*Extremam totus vertit ad Heſperiam:*
*Et tibi præcipuè felix ô Tarraco fulgens*
*Præſtitit & puros & ſine nube dies,*
*Atque inſigne dedit ſpecimen, dignumque probauit,*
*Qui frena immenſi temperet imperij.*
*Sed benè habet: patriæ nunc purpureoque Senatu*
*Lucet, & ô vtinam luceat ille diu!*
*Publica ſic poſcit res, quam prudentia fulcit*
MAGNE *tua, & mentis plurima canities.*
*Hoc votum commune bonorum eſt, quique dedere*
*Non malè Palladiæ nomina militiæ.*



Digitized by Google

*Namque horum in melius conſueſti vertere fata;*
*His tutelaris numinis eſſe vice.*
*Hi Famæ pulſare fores, & quærere nomen*
*Audent auguſti nominis auſpiciis:*
*Ipſáque Apollinei domus ad faciem delubri,*
*Et raris fertur plena voluminibus,*
*Qualia non Pharij ſeruarunt ſcrinia Regis,*
*Non florens opibus Pergamus Attalicis,*
*Non Auguſteo vulgauit Pollio ſæclo,*
*Pollio præclaræ cauſſa caputque rei.*
*Queis mihi mox vti contingat, nulla verebor*
*Regna equidem & Regum munera deſpicere.*
*Nam neque regali pectus mihi carpitur auro,*
*Nec ſpes in longum miſſiculare meum eſt;*
*Sat mihi non magnis opibus, ſat ſimplice cultu*
*Litterulis placidè poſſe vacare meis,*
*Et priſcos audire Sophos, arcanáque mundi,*
*Et rerum occultas, quà pote, noſſe vias:*
*Tum, quæ ſumma boni, vitiis quæ frena domandis,*
*Diffugiant vani quâ ratione metus:*
*Aut etiam antiquis annalibus euoluendis*
*Omne æuum ætati continuare meæ.*
*Sed quónam exſpatior? prouectam vertere puppim,*
*Tenſáque ſit ſatiùs carbaſa contrahere.*
*Nam quocumque ago me, vaſtum eſt vndeundique pontum*
*Cernere, ceu nuſquam portus & acta forent.*
*Vt verba agglomerem verbis, tamen amplior inſtat*
*Materia, ac laudum fluctibus obruimur.*
*Fors fuat, vt quondam Phœbeo fortior œſtro*
*Conſurgam, & maior mî ſit in ore ſonus.*
*Tum quodcumque meo manabit pectore riui,*
*Id verò laudi ſeruiet omne tuæ.*
*Intereà tenuis noſtræ libamina Muſæ*
*Hæc accepta rogo gratáque habere tibi,*

*Dexte-*

*Dexteráque immiſſis ne dedignere quadrigis*
*Signa dare, & fautor curſibus eſſe meis,*
*O fortunâ ingens, meritis ingentior, heros:*
*O docti columen præſidiúmque chori.*

# EVCHARISTICON
# PRO PACE CONFECTA
## AD
## NOBILISS. ET AMPLISS. PRÆSIDEM RICHARDOTVM.

*Si qua tui lætos animi teſtantia motus*
*Argumenta dabas elapſis* BELGICA *ſæclis:*
*Siue nouus rerum cùm ſuſcepturus habenas*
*Rex velaretur ſacro diademate crines:*
*Seu connubia magna, vel optatos Hymenæos*
*Principis, aut ſolito natalia more colebas:*
*Siue triumphalem ducens Victoria pompam*
*Proſtratas acies oſtenderet, atque ſubactas*
*(Exoptata tuis ſpectacula ciuibus) vrbes,*
*Aut vaſtum æratâ ſuperatum claſſe profundum:*
*Aut aliæ quando pepererunt gaudia cauſſæ:*
*Iam dare lætitiæ clariſſima ſigna decebat.*
*Iam mihi Cælicolis digni reddantur honores.*
*Iam picturati flores verbenáque pinguis*
*Sublimes Diuûm ſtatuas & ſigna coronent.*
*Iam ſexcenta piis redolentia templa vaporent*
*Ignibus, & ſacras decantent organa laudes.*
*Scena frequens mimis, atque exultantia ludi*
*Amphitheatrali declarent gaudia Circo.*
*Nunc viridis cuicumque ætas atque integer æui*
*Sanguis, Olympiacæ palmam meruiſſe palæſtræ*

*Certet;*

*Certet; & aut validos oſtentet cæſtibus artus,*
*Aut agiles curſu plantas, artémve ſagittis;*
*Aut in pulverco volucres rotet æquore currus.*
*Bellua multa cadat; largo diteſcat arena*
*Sanguine; conſumant totos certamina ſaltus.*
*Sæclares, quos nemo, ſemel qui viderat, eſſet*
*Poſteà viſurus, nunc bis ſpectentur eidem.*
*Omnia ſint alacri reſonantia compita plauſu,*
*Lætáque ducantur veteri conuiuia Baccho.*
*Fronde fores vireant, ſplendeſcat ianua lychnis,*
*Per turres altáſque domos impunè vagetur*
*Mulciber, in tenebris dent clara incendia lucem:*
*Intonet è ſummis & machina bellica muris,*
*Concipiens rapidam quæ nitri puluere flammam,*
*Aetherei trifidos imitatur fulminis ictus.*
*Ecce reducuntur melioris ſæcla metalli:*
*Sat Nemeſi Martíque datum. Mars ipſe labori*
*Impar fulmineum vaginâ condidit enſem,*
*Et Geticos remeauit agros; Bellona, cruentis*
*Etſi paſcatur, ſatiata recedit, & vnà*
*Ira, Furòr, Luctus, Diſcordia, Terror, Erynnis,*
*Horribiliſque Ate genitrix fecunda malorum:*
*Demigrant ſimul Impietas, Fraudéſque, Dolíque,*
*Inſidiæque, & Vis, & cædis dira cupido.*
*In quorum ſubitura locum* P A X *aurea prodit,*
*Virtutum genus omne trahens, genus omne bonorum*
*Adducens: ſurgit Pietas, quæ victa iacebat;*
*Iuſtitiæ ſua forma redit, vincliſque ſolutæ*
*Carceris è ſqualore audent procedere Leges.*
*Quæque ſolum Diuæ ſumptis Libethridos alis*
*Mutarant, diro fremerent cùm Martia bombo*
*Claſſica, Belgarum colles Helicone reuiſunt.*
*Redditur atratis priſcus nitor vrbibus, agris*
*Cultus, & extorri ſedes antiqua colono.*

*Tutus*

*Tutus in vmbroſis viridantia gramina pratis*
*Bos legit, ac tutò iuga per nemoroſa vagantes*
*Vxores olidi carpunt oleaſtra mariti.*
*Iam cernes verſis vicibus ſplendere ligones,*
*Liuere obducta morſu rubiginis haſtas,*
*Suſpenſoſque putres in ahenâ caſſide caſſes.*
*Ergo age, lætitiam felix cape* BELGICA, *quantam*
*Iſte boni Oceanus poſcit: neque clauſa latebris*
*Sint mentis; toti pateant tua gaudia mundo.*
*Ipſe pater Schaldis nitidis argenteus vndis*
*Ecce præit, blandóſque iubens miteſcere fluctus*
*Cum teneris ludit vitreo ſub fornice Nymphis.*
*Terra parens pridem ſilueſtribus obſita dumis*
*Verſicolore nitet pallâ, lætíſque tuetur*
*Luminibus Bromium, Cererem, Dryadáſque puellas*
*Ducere iucundas plantâ ſaliente choreas.*
*Quin Deus ipſe maris placata per æquora conchâ*
*Vectus Nereidum turbâ comitante triumphat;*
*Ipſáque turritis exultant oppida muris.*
*Neu penes immemores præclari gratia facti*
*Intereat, meritos Pacis ferat auctor honores.*
*Ille* PATER PATRIAE *vocitetur; nomina* MAGNI
*Ille habeat; titulis & cùm non creſcere poſſit,*
*Marmoreæ fiant immani pondere moles,*
*Artificeſque manus ſtatuas ex ære curules*
*Atque auro fingant; neque ſit tam deuius vſquam*
*Angulus, effigies quem non tam nobilis ornet.*
*Nunc opus, Aonidum comites, & quiſquis abundè*
*Bellerophonteis latices è fontibus hauſit,*
*Diuerſis certare modis; innoxia fumant*
*Arma omnes; omnes bellent imbellia bella;*
*Hic chelyn, hic doctæ, modulamina dulcia, Sapphûs*
*Barbiton, hic plectrum feriens det carmina tanto*
*Digna viro: quem grandiloquus cupiiſſet Homerus,*

*Quem Flaccus, quem Naſo, tuus quem Mantua Vates*
*Decantaré; ſuos neque tantùm Heróas amaſſet.*
*Sic erit. edentur tibi mille volumina* MAGNE
RICHARDOTE; *tuæ libris faſtiſque legentur*
*Virtutes; tantum neque pagina neſciet vlla*
*Nomen: nil annis, nil longi dentibus æui*
*In te iuris erit, niſi cùm mutauerit ordo*
*Naturæ; cùm terra polo ſublimior, aſtra*
*Inferiora globo terræ; cùm flumina retrò*
*In caput alta ſuum ſalſis à fluctibus ibunt.*

## AD REV. ET DOCTISS. V. D. HVBERTVM AVDEIANTIVM, SACRA THEOL. LAVREA DONATVM, CARMEN SYNCHARISTICVM.

QVIS *præter ſolitum ſtrepitus? quid limina Phœbi*
*Tantam fauentis euomunt vndam popli?*
*Quémne togatorum longo ordine progredientem*
*Nitére ſacrá conſpicamur laureá?*
*Téne,* AVDEIANTI, *Brugarum floſcule, & ingens*
*Mox Flandrici future adorea nominis?*
*O factum benè, victricis cùm præmia palmæ*
*Plaudente Circo iuſtus accipit labor!*
*Surge anima ex humili. iam ſoccum deſere Muſa,*
*Pleniſque amico gratulare tibiis.*
*Non ille è vulgo; ſed paucos edecumatæ*
*Virtutis inter atque doctrinæ viros.*
*Qui mores callet Naturæ, & ſemina rerum,*
*Arcemque Sophiæ planitus ſummam tenet:*
*Bella Cleantheo bellare imbellia ritu*
*Doctiſque dimicare qui logis potens,*
*Aequalcſque ſtilo anteuenit, gruis altiuolantis*
*Clamore cycni quàm cluet melior canor,*

*Facun-*

*Facunda effreno ſeu ſpargere verba profatu,*
*Epos ligare ſiue gaudet metricum.*
*Priuáque cùm priuâ ſint hæc donanda coronâ,*
*Laudiſque ſolidæ largiter ſic ſuppetat;*
*Sancta tamen Diuûmque interpres diſciplina,*
*Subſtructionis additur faſtigium.*
*Ardua quæ cæli perrumpens ſepta, Deorum*
*Reconditis vos intimat myſteriis:*
*Quâ reſponſa datis certâ ratione magis, quàm*
*Quæ Delphicâ profatur æde Pythia.*
*Iam verò, ſecreta Laris num ſacra tacendum*
*Communicata, & contubernij decus,*
LIPSI *magne, tui? quo famam Belgica cælo*
*Terminat, vtrique cedere & Latio negat:*
*Quem meritò tenuis parcit mea dicere Muſa,*
*Quòd ipſa mille Fama linguis haut queat.*
*Macte bonis eſto tantis, lætuſque laborum*
*Iam vera totâ mente gaude gaudia.*
*Vt bona namque bonis cumulauerit, aſtráque tangat,*
*Beatus haut eſt quem fugit beatitas.*
*Iamque Honor ipſe (animus ſic augurat) ambiet vltrò,*
*Probéque cuncta & proſperè fluent tibi.*

## AD
## FRANCISCVM ORANVM,
### cùm titulo & honore Iuriſconſulti inſigniretur,
### GRATVLATIO.

*CÆleſtûm princeps, Diuarum maxima natu,*
*Alma Themi, magnum quæ iura ſeuera per orbem*
*Inſtituis, iuſtâ populos & lance gubernas;*
*Quâ ſine nil tutum, cuius ſine numine ſanctum*
*Nil fuerit; quæ ſi terras offenſa nefandas*

*Deſtituens, cæli ſtellantia templa reuiſas,*
*Omnia collabantur & æquent infima ſumma;*
*Huc age te, quæſo, quodq́ue abſens vna moraris,*
*Accelerata repræſentet præſentia ſacrum.*
*Ecquæ alia in manibus tam ſeria, quin tamen iſta*
*Præuertantur, habes? ecquod tua dignius vſquam*
*Cura ferat pretium? Tuus ille en fidus alumnus,*
*Omnibus exhauſtis obſeruatiſq́ue teletæ*
*Ritè miniſteriis, inſignia ſpectat honoris,*
*Et conſummatæ pulcherrima diſciplinæ*
*Præmia: iam ſacrâ velari tempora lanâ,*
*Iam celſum geſtare apicem, ſibi conſcius, ardet.*
*Ille tibi atque tuis operoſæ legibus arti*
*Ceſſauit quinos (conſtantia rara) per annos.*
*Nec tamen ille moram communi more vel annos*
*Imputat, aut meritum cenſet: quòd tempore longo*
*Feſſus anhelarit numquam, quòd paſſibus æquis*
*Procedens vnum ſeruauerit vſque tenorem,*
*Præſtiteritq́ue pares ad pondera tanta lacertos,*
*Non aliquo clueat numero? non laude feratur?*
*In tua ſed cùm iam collegia ſancta recepto,*
*Maiorum velut obtigerit prouincia rerum;*
*Et patris & patrui veſtigia recta prementem*
*Certiùs, eximias per laudes ire ſuorum*
*Cernere erit, pleniſq́ue vehi per magna quadrigis.*
STARE LOCO NESCIT VIRTVS*, conabitur vltrà*
*Tendere, & excelſos aliquando ſcandere ſupra*
*Maiorum titulos, &, non nolentibus ipſis,*
*(Ominor & voueo) ſcandet, quà numinis aurâ*
*Velificante tui, quâ Theſpiadum diuarum:*
*Quas pariter colit, ac veluti diludia quædam*
*Iungens, argutis moderatur iura Camœnis.*
*Ad ſummam, veterem ſi fas arceſſere famam,*
*Nominibuſq́ue nouis contendere nomina ſæclis*

*Nota,*

*Nota, erit hic, qualis, quem ſuſpexère Quirites,*
*Mutius, aut Marci nimiùm quem prouida cura,*
*Alciden humeris vt fortem cælifer Atlas,*
*Suſtentanda rei Romanæ ad fata vocauit,*
*Ac moriens teneros gnati concredidit annos.*
*Ergo veni Themi dia, veni; nec gaudia differ,*
*Et iam maturos fructus radicis amaræ.*
*Tolle moras; tardè veniunt momenta parato.*
*Diximus: ecce venit; tu macte* ORANE, *ſecundis*
*Alitibus, quo te, quo ſe dignatur, honorem*
*Suſcipe; & aſſuetis inſtans virtutibus, aqui*
*Conſule, ſi tenui ſtrinxi libamine Muſæ*
*Grandia. fecit Amor, Amor imperioſus adegit,*
*Qui tibi me vinctum manſuro adamante tenebit,*
*Dum nexus animæ corpus, dum ſpiritus oſſa.*

## CARMEN GRATVLATORIVM AD NOBILEM VIRVM GVILIELMVM RICHARDOTVM CVM TITVLO ET HONORE I.C. INSIGNIRETVR.

HVNC *cecinère diem quondam fatalia nentes*
*Fila deæ, nullo diſſoluenda modo,*
*Hunc fore qui longos tibi Richardote labores*
*Terminet, atque omnem pellat amaritiem.*
*Euenère: virent en ſacrâ tempora lauru,*
*Aureus en radiat circulus in digitis.*
*Magnus honos; ſed iuſtus honos, &, ſi cui, tali*
*Debitus ingenio, debitus & ſtudio.*
*Vera loquor: teſtis formandâ clara iuuentâ*
*Vrbs Grudium; laribus ſed quoque* LIPSIACIS:

*Jn quibus, vt propriâ caſtarum ſede ſororum,*
*Siue Palatinâ veriùs æde Dei,*
*Magno cum fructu docti ſub Principe cœtus*
*Egiſti integræ tempus Olympiadis.*
*Teſtis & vrbs, Aponi fumantibus aſſita venis,*
*(Hic quoque nam viſum mittere ſigna tui:)*
*Ipſaque perpetuâ quæ laude feretur, & altrix*
*Magnorum & genitrix Felſina læta virûm:*
*Felſina, vbi ſacri veneranda ſcientia Iuris*
*Jn lucem primùm prodiit è tenebris,*
*Publica condecorans & pulpita & alma lycéa*
*Fauſtis Theodoſij Cæſaris auſpiciis.*
*Hinc pariter Themidos moderantem ſcita ſeueræ*
*Blandarum ſtudiis mollibus Aonidum,*
*Et iuxtà legumque catum fandique potentem,*
*Quæ tua gentilis gloria, ſuſpicimus.*
*Nimirum in proles virtus præclara parentum*
*Deſcendit, laudes laudibus accumulans:*
*Vel quòd & ex illis virtutum ſemina migrant,*
*Vt ſimilis plantas vis abit in ſimiles:*
*Vel quia ceu ſtimulos exempla domeſtica ſubdunt,*
*Degenerem prohibent atque habitare animum.*
*Te natura omni violentior incitat œſtro,*
*Tum plena egregiis atria imaginibus.*
*Nam quis apud Belgas patruus, quos geſſit honores*
*Quóſque gerit genitor, longa referre mora eſt.*
*Multa breui ſignabo notâ: vis Herculis olim*
*Quod fuit Atlanti, Principi id iſte ſuo.*
*Frater Romanâ Legati munus in aulâ*
*Fungitur, & pleno tendit ad alta gradu.*
*Et tu iam ſequeris, tibi per veſtigia nota*
*Sternit eò facilem lux hodierna viam.*
*Sit fauſtum & fœlix; & læto fine probentur*
*Omina, quæ læto pectore concipio.*

AD

# AD NOBILEM VIRVM IOAN. BAPT. PEREZIVM BARONIVM, HONORE ICTI AVCTVM, PHALEVCI GRATVLANTES.

QVALIS *Dux aliquis Remi nepotum,*
*Priſco tempore, moribuſque priſcis,*
*Virtuti ſua cùm parata merces,*
*Delicto ſua cùm parata pœna,*
*Cæſis hoſtibus & grauis duelli*
*Victor, ad dominam redibat vrbem,*
*Ad orbis caput vrbiumque Romam,*
*In ſublimibus eminens quadrigis,*
*Regum inſignibus atque conſecratis*
*Tarpeij exuuiis Iouis decorus,*
*Lætis vocibus ac benè ominatis*
*Circumquaque ſonantibus fauentum:*
*Qualis aut agitator, vt citorum*
*Confecit ſpatia vngulis equorum,*
*Septieſque peritiore flexu*
*Metæ candida prætaregit axem,*
*Votiuum caueâ ciente plauſum,*
*Et diſcriminis illicem, & laboris*
*Palmam cum celebri refert coronâ:*
BARONI, *haud ſecùs vberes & amplos*
*Fructus militiæ capis togatæ,*
*Docti præmia colligis laboris:*
*Quæ longùm abſque remiſſione, ſacro*
*In certamine & eruditioris*
*Circi puluere velitatus, antè*
*Studebas meruiſſe, quàm tuliſſe.*
*O iuſtum & meritiſſimum triumphum!*
*O iuſtam & meritiſſimam coronam!*

*Sed*

*Sed nexam quoque pulchriùs coronam,*
*Quâ te munerat hinc Themis ſeuera,*
*Hinc & blandidulæ nouem puellæ:*
*Queîs partes venerationis æquas*
*Vouiſti; quibus vſque ſupplicaſti*
*Aequali paterâ; ſed & litaſti,*
*Felix iudicij, ingenIque felix:*
*Nec* LIPSI *minùs inſtitutione;*
LIPSI, *quem ſimul atque nominaui,*
*Dixi cuncta, ſatiſque prædicaui.*
*Non ergo tibi iure gratulemur,*
*Ac* FELICITER *altiùs ſonemus,*
*Qui vinclis tibi pluribus iugamur?*
*Totâ mente animi medulliſque*
*Tuum gaudeo gaudium, futurum*
*Et quando auguror, vt fuiſſe tantùm*
*Dicatur gradus, ac velut ſequentum*
*Præcidaneus iſte honos honorum.*

## VOTVM QVOD IN HONORE CORNELI ANCHEMANTI BRVG. V. N. ORE ET MENTE NVNCVPAVIT.

SIC *eſt. vt Cereris feraciora*
*Quædam ſunt ſola, dulcis & Lyæi;*
*Sic ab ingeniis beatiora,*
*Ac læta ſegete eruditionis*
*(Cæli temperie ſituque certo,*
*Dono Numinis an peculiari)*
*Quædam longè aliis cluent locorum.*
*Atticæ ſatin' id docent Athenæ?*
*Quarum de gremio cohors virorum,*

*Tam-*

*Tamquam Duratei ſinu caballi,*
*Olim prodiit illa maximorum;*
*Heroum globus ille, quos, togatæ*
*Quotquot militiæ dedêre nomen,*
*Ducum ac ſigniferùm vicem ſequuntur:*
*Quos inſtar faculæ Pharive, quiſquis*
*Pontum nauigat hunc tenebricoſum,*
*Vt curſum dubiæ regat carinæ,*
*Pernox, perdius, vſque contuetur.*
BELGICAE *ſatin' id docent* ATHENAE?
BRVGAE, *dicimus, alter ille ocellus*
*Belgij, vnicus ille Flandriæ ſol.*
*Cui nullam temerè ſit inuenire,*
*Cunctas mente obeas vel orbis vrbes,*
*Claris ingeniis parem; haud priorem:*
*Prouentus cui pauculis in annis*
*Tam felix hominum eruditiorum,*
*Vt ſacrum quaſi ver coloniaſque*
*Doctorum, reliquas benignè in oras*
*Mittens, & reliquas bearit oras.*
*Et porrò dabit: arbor vt, ſecundùm*
*Flumen quæ riguum virens vigenſque,*
*Nouas progenerat ſubinde ſtirpes,*
*Nouos gignit identidem ſtolones.*
*Quinimò dedit. en, nouella ſeſe*
*Vt tollat ſuboles, vt inſtituta*
*Jam plantaria floreant, & anni*
*Auctumnum modò ſpondeant opimum.*
*De te ſanè aliud quid,* ANCHEMANTE,
*Fati illuſtria dona pollicentur?*
*Quid præſtabilis indoles? quid acre*
*Mentis iudicium, ingeníque acumen,*
*Et quidquid comitatur his bonorum?*
*Quid maturior, at laborioſo*

N *Decurſo*

*Decurſo meritiſſimus diaulo,*
CONSVLTI *titulus decuſque* IVRIS?
*Hæc ſunt, hæc mihi certiora ſigna,*
*Quàm ſi cornigeri Iouis ſacerdos,*
*Aut inſtincta ſacro furore Phœbas,*
*Aut ipſe Attius, aut Tages Etruſcâ*
*Votiua omnia nuntiaſſet arte:*
*Quàm ſi flamma comas caputque circum*
*Infantis micuiſſet, auſpicanti*
*Ipſius vel Iouis aduolaſſet ales.*
*Tu, tu,* MAGNE DEVS, *reapſe firma*
*Fauſta hæc omina; quæque nuncupamus,*
*Et perſoluere da deinde vota.*

## IACOBO TIMONI
## I. C^TI HONORE AVCTO.

LAETIFICAS *inter voces votiuaque paſſim*
*Verba, meum vnius langueat officium,*
*Lucentemque domum, virideſque in limine ramos*
*Prætereat tacito noſtra Thaleia pede?*
*Non hoc Dij ſirint: nec quod, dulciſſime, tecum,*
*Ipſas iuxta aras & ſimulacra Deûm,*
*Oſcine mecaſtor felici atque omine fauſto,*
*Percuſſum ſanctæ fœdus amicitiæ.*
*Tu prætextatis nobis dilectus ab annis:*
*His contra carus tu mihi luminibus:*
*Et quem non probitas, quem non niueum illud amicet*
*Pectus, & ingenui rara fides animi?*
*Qualem Agamemnonidæ, qualem æquoreo Peleidæ*
*Adſtruit in carum fama Menœtiadem.*
*Quos non ille ſui meritò conciret amores,*
*Qui tot amoris habet callidus illicia?*

*Gratia*

*Gratia cui triplex, triplex cui Mnemoſynarum*
*Triga, Iouiſque fauet vertice nata Dea:*
*Cui faciles ſpirant Clariis è vallibus auræ,*
*Legiferæque patent orgia cui Themidos.*
*Certè ſi quis erit tibi iunctior, iſtaque vidit,*
*Quæ tibi Cæleſtes contribuêre bona,*
*Nec te corde amat; aut illi cor eſſe negabo,*
*Aut ſectum duro dixero de lapide.*
*Ipſe equidem caput hoc (& tangimus) odero inantè;*
TIMONEM *minuam quàm benè amare meum.*
*At nunc, egregius, quo te modò dia Dearum*
*Mactauit, benè pòſt vortat honor, voueo,*
*Supremuſque tibi ſator ille datorque bonorum*
*Semper porrò magis proſperet atque magis.*
*Atque adeò, innubi adſiduè ridente ſereno,*
*Fortunæ nullas experiare vices:*
*Qualis, vbi felix arbos in valle reductâ*
*Riuorum vuidulis orta crepidinibus:*
*Quæ ſimul immanem Boreæ vim & frigora Cauri*
*Neſcit, & Icarij incendia ſæua canis,*
*Vegrandéſque onerat prouentu diuite ramos,*
*Et non deciduis compta veget foliis.*

## DE NOMINE.

*Quod priùs infauſti nomen fuit ominis inſtar,*
*Deteſtandum odij ſymbolum & inuidiæ;*
*Egregiè versâ re dulce & amabile factum eſt,*
*Et modò amorem hominum deliciáſque notat.*

## ALIVD.

Τίμωνας δύο μὲν παμμήτωρ γαῖα ἔδωκεν,
Τ᾽ ἄλλα πρὸς ἀλλήλους πολλὰ διϊσταμένους.
Τὸν μὲν ἀπάνθρωπον καὶ θηρὶ ἐοικότα· τὸν δὲ
Τοῦ γε φιλανθρώπου τὴν γραφικὴν ἰδέαν.

IVSTO LIPSIO V. C. PHIL. RVBENIVS S.

En tibi paucos Phaleucos: & ad tuos illos ad tres ſcriptos trium nomine reſpondi. ſed ita nimirum, vt cùm ad ſuauem luſciniæ cantum parra rauca crocitat, vel ad alacrem equi hinnitum Arcadicum pecus rudit. verùm vt facerem, monebat officij ratio, & quaſi vi quadam Carmen tuum extorquebat, quod vel è ſilice, vt ita dicam, & ſtipite vocem eliceret. Et eiuſmodi, quæcumque ad nos abs te mittuntur, omnes epiſtolæ tuæ amorem & ignem ſpirant. In omnibus de rebus meis quæris, & mihi peruigili te curâ excubare oſtendis. At mihi verba nulla ſunt quibus proferre valeam,

*Quod latet arcanâ non enarrabile fibrâ,*
*Et quantum mihi te ſinuoſo in pectore fixi.*

Ergo tuus iampridem ſum, atque ad omne obſequium totâ mente tibi mancipatus. Romæ XIV. Kal. Maias ∞.IↃCIII.

AD

IVSTVM LIPSIVM

V. CL.

Doctorem & hoſpitem olim ſuum.

ROMA *nos habet, vrbium illa Princeps,*
*Lux illa Italiæ, orbis ille ocellus,*
*Noſtri gloria ſæculi, & vetuſti,*
*Cuius ſola fidelis illa cuſtos:*
*Diuorum domus ac parens ſacrorum,*
*Nec non Relligionis ipſa ſedes,*
*Hæc nos nunc habet: at nec ipſa totos.*
*LouanI meliore parte noſtri*
*Notâ degimus in domo atque amatâ,*

*Quan-*

*Quantum non domus altera eſt amata.*
*Iſtuc cottidie omnibus vel horis*
*Mentis præpete tranſuolamus alâ,*
*Te te proliciente magne* LIPSI,
*Et noſter ſimul omniúmque Doctor,*
*Illorum quoque, qui velint negare.*
*Quippe eſt hæc ratio vna quâ leuemus*
*Triſtis diſcidij grauem dolorem,*
*Qui vel nunc etiam hæret in medullis,*
*Et molles miſerè coquit medullas:*
*Sic te neſcio quomodo videmur*
*Coràm cernere, longiuſculóſque,*
*Et partim lepidóſque ſerióſque*
*( Nam nobis dare iuris hoc ſolebas )*
*Sermones ſerere & ſecare tecum.*
*Hæc nos ſomnia ſic iuuant, vt omnis,*
*Quamuis maxima, vileat voluptas.*
*Hoc præ nectare cogitationis,*
*Nil non inſipidum ſit atque amarum.*
ROMA *res tibi tunc tuas habeto,*
*Ipſa & deliciis tuis fruare:*
*Vnus* LIPSIVS *eſt enim ante* ROMAM,
*Immò* LIPSIVS *vnus ante cuncta.*
*Quòd ſi fata Deûm benigniora*
*His nobis pariter darent fruiſci,*
*O quæ gaudia* ROMA LIPSIVSQVE!
*Sed vota immoderata per fugaces*
*Caſſa atque irrita differuntur auras.*
*Te rurſum modò detur ô potiri,*
*Te* LIPSI *columen decuſque noſtrum.*
ROMAM *tu facias enim vel ipſam*
*Nobis barbariam horridaſque Syrtes.*

## ISCANI MVNICIPII LAVDES.

*CANTABVNT aliȷ claram Rhodon, aut Mitylenen,*
*Aut tepidas Baiarum vndas, aut frigida Tempe,*
*Lucrinoſque lacus, & amœnas Tyburis vmbras.*
*Dicere cura aliis illuſtrem Cecropis vrbem,*
*Doctorúmve ſolum quondam genitale virorum.*
*At mihi ſi quando faciles in carmina Muſæ*
*Seſe præbuerint, felix laudabitur* ISCA.
ISCA, *locus, dias vbi primùm in luminis oras*
LIPSIVS *ille, nouem decus immortale ſororum,*
*Venit, & in cunis pulchellus vagiit infans.*
*Hic mihi primus erit labor, hic ſupremus, & vnâ*
*Ingeniȷ vires hac exercebo palæſtrâ.*
*Hæc nobis veneranda magis, quàm Smyrna Poëtæ*
*Argolico dulcis largita exordia vitæ:*
*Quàm Stagyra, aut Thebæ lyrici cunabula Vatis:*
*Quàm Samos, Arpinum, Senecæ vel Corduba magni*
*Lucaniq́ue parens: quàm culta Bianore tellus,*
*Prima puer teneris in quâ veſtigia plantis*
*Diuinæ poſuit felix Aeneidos auctor:*
*Aut Antenorei monumenta operoſa laboris*
*Mœnia, perpetuum queis conciliauit honorem*
*Docta Decas, primâ repetens ab origine Reges*
*Atque triumphatum Romanis ciuibus orbem.*
*Omnibus his maior, tantóque beatior* ISCA,
LIPSIVS *illarum quantum præcellit alumnis.*
*Non hæc frondentes vmbras ſaltuſque requirit*
*Arbore diſtinctos variâ, & venatibus aptos.*
*Non patuli colles, non fertilis vbere campus,*
*Non picti deſunt flores, non mitia poma;*
*Qualia vel ſæuam teneant Scherida, vel ipſa*
*Vix Corcyræi dederint pomaria Regis.*
*Hic crebri pecudum fœtus armentáque læta.*

*Hic*

*Hic fontes, & lympha tuos Arethuſa liquores*
*Exſuperans, viuique lacus. hic purior aër*
*Largitur validam vitij expertemque ſenectam,*
*Et longum nendi dat Parcis ferre laborem.*
*Quid referam nitido conſtructa palatia ſaxo*
*Nobilium gratas iucunda per otia ſedes?*
*Quid gentis memorem candorem, animoſque benignos*
*Hoſpitibus? diræ quid pectora neſcia fraudis,*
*Atque Sabinorum caſtos imitantia mores?*
*Grandius hæc poſcunt & venâ diuite carmen;*
*Quale vel Annæus Phœbo dictante canebat,*
*Vel numero grauiore ſonans & harundine Vates,*
*Formoſus genuit quem Mincius Andide Nymphâ.*

## DE FONTE ISCANO.

*Fallitur, acceptas quiſquis putat eſſe Camœnis,*
*Pegaſus alato quas pede fecit, aquas:*
*Nam propria* ISCANI *laus hæc & gloria fontis;*
*Hoc diuina ſolent ora leuare ſitim.*

## IN VIRVM PRINCIPEM, LITTERARVM AMANTEM.

ERGONE *ſummatum præſtantia corda virorum*
*Dulcis Apollinei tenet ardor amorque furoris?*
*Ergo Caſtalij feſtiua vmbracula cœtus*
*Splendorem capiunt operoſæ magnificum Aulæ?*
*Tu procerum pars magna doces, qui grandia quamuis*
*Inſtar cæliferi magnarum pondera rerum*
*Suſtineas humeris, tamen-etſi haud deſeris vnquam*
*Aetatis ſtudium melioris; ſed tibi quantum*
*Dat commune (cui proprium præuertere ſueſti)*

*Temporis*

*Temporis, Aoniæ tantum artibus Hippocrenes*
*Sedulus indulges: quo denique pulcriùs alter*
*Diſtinguit nemo grauis interualla negotI.*
*Sic Cato, ſic Cicero, ſic Lælius, & tua quondam*
ROMA *triumphati dominatrix incluta mundi*
*Lumina, ſic Pericles, & tot decora Helladis almæ*
*Ardua Muſæis miſcuère negotia curis.*
*Proſpera Belgiacis qui demum tempora rebus*
*Nos ſperare iubes, claudantur vt atria Iani,*
*Et populos vno complexu vinciat omnes*
*Aurea pax, priſcúmque reſumant omnia cultum;*
*Si modò non fallax veterum ſententia, lætam*
*Pollicita imperiis ſortem, Sapientia leges*
*Queis dabit atque Modus. Quàm porrò fauſta Camœnis*
*Adduit tanti modò gratia Mæcenatis?*
*Illarum tenues qui largæ munere dextræ*
*Cultores ſine fine beet; qui parca Lycei*
*Commoda promoueat, prolixóque augmine donet.*
*Sed laudum immanem cumulum quid detero culpâ*
*Ingenij? ſacrum ſpirantia pectora Phœbum*
*In tua doctiloquas aptent præconia voces.*
*Ignoſce obſequio noſtræ violate Camœnæ:*
*Virtus hoc tua crimen habet, quâ garrula fiat*
*Vel ſchola Panthoïdæ, damnentque ſilentia Amyclæ.*
*Ne verò dent longa meæ faſtidia gerræ,*
*Pono ſtilum, paruæque manum ſubduco tabellæ:*
*Summas & grates agimus, quòd* PRIMA VIRORVM
*Noſtrum ſis ſtudium tali dignatus honore.*
*Quodque opis eſt noſtræ, propenſum ad iuſta vocamus*
*Vota Iouem, iugem curſum tibi vt vſque ſecundet,*
*Atque triſæcliſenis concedat Neſtoris æuum.*

IN

# IN GRÆCOS PATRES A REV. ET CLARISS. V. PETRO PANTINO VERSOS.

SI, PANTINE, *olim celerato tempore vitæ*
*Ars tua in hac mundi viſa foret caueâ;*
*Aut eadem in terris Fatorum lege maneret*
*Conditio, nullâ conuariante vice;*
*Te te iure manu conſertum tota vocaret*
*Græcia, te ciuem Cecropis vrbs repetat:*
*Ad ſaga feſtinet pro te Mauortia Roma,*
*Atque horrenda duplex arma fremat Latium.*
*Tantus es in Latiâ pariter Graiaque Camœnâ,*
*Tam ſcitè Chium diluis Ammineo;*
*Miris atque modis, alter velut Aſteropæus,*
*Hinc læuâ, hinc dextrâ ſpicula torta iacis.*
*Scripta Patrum infeſtis vix obſiſtentia blattis;*
*Iamiamque indigno proxima ab interitu,*
*Vindice te, dias non tantùm in luminis oras*
*Rellata; vrbano iure ſed aucta Lati,*
*Vt nec ab indigenis internouiſſe togatis*
*Ipſe potis Cenſor Tullius, aut Fabius.*
*Sed neque tam ſimile eſt lacti lac, vnda vel vndæ;*
*Signa neque impreſſi tam gemina vlla typi;*
*Quàm ſimulat pulchram proles hæc pulchra parentem,*
*Quàm par eſt filo, quàm venere atque habitu.*
*Inſuper & ratio doctrinæ plurima, quæque*
*Phœbe potens numeris, quæque Minerua probas.*
*Hæc porrò Virtus (nimiùm quæ copula rarò*
*Humani vitio contigit ingenij)*

*Ad perpendiculum ſic omnia conformauit,*
*Componi ſanctis vt mereare atauis;*
*Præponique etiam, fœdâ quòd diſparis æui*
*Contage, impurâ purus es in ſcabie.*
*Ardua res hæc eſt, aduerſo flumine niti,*
*Nec morum rapidis fluctibus abripier;*
*Ardua, paucorúmque, quibus procliuior æther,*
*Aureáque à dextrâ ſtamina ducta colo.*
*Sic nimirùm aliquando, hiemante vel acriùs aurâ,*
*Prorumpit tumido floſculus è calyce.*
*Sic, mundi facies cùm nigro abſcondita peplo,*
*Lux interdum albi ſideris exoritur.*

## IN
## BASILII SELEVCI
## B. THECLAM
## ab eodem PANTINO verſam.

ABDERITANAE *præſtans ille vrbis alumnus*
*Perpetuo fertur contendiſſe ilia riſu,*
*Omnia quòd ridenda videret, & omnia nulli*
*Eſſe rei, circa quæ deſudatur ab imis,*
*Summis, & mediis, quæ vulgò prima putantur,*
*Et magnâ curâ, multo redimenda labore.*
*Ipſe Palæſtinæ Rex, quo ſapientior alter*
*Non fuit, ac melior rerum arbiter humanarum,*
*Ceu tripode ex Phœbi diuinóque ore profatur:*
*Heu, quantas agimus nugas! vt ſeria nuſquam!*
*Vt ſani ſolidíque nihil ſub fornice cæli!*
*Exſulat, ah, ratio: non itur tramite recto;*
*Sed cæci ruimus, ſed præcedentia turbæ*
*Agmina, balantum ſectamur more modoque.*
*Ille ſapit pleno modò pectore, qui terrena*

*Vilia-*

*Viliáque hæc calcans, animi pernicibus alis*
*Sublimis ſtudet ad ſtellantia viſere templa,*
*Ac rimabundâ ſupera illæc mente pererrans,*
*Comparat his ipſis quæ nobis adſita: quantâ*
*Noſtra iacet ſub nocte dies; vt ludicra cuncta,*
*Cuncta theatralis inſtar ludibria pompæ.*
*Inque Deo fixus, illum emiratur, & vnum*
*Suſpicit, ex nihilo qui magni mœnia mundi*
*Et tantum fabricauit opus: cui nuda voluntas*
*Perficit, immotoque manenti cuncta mouentur:*
*Qui mutat, variat; verùm immutabilis ipſe:*
*Principium ſine principio, ſine tempore ſemper,*
*Et finis ſine fine, loca implens omnia latè*
*Abſque loco, occaſus expers ac perpetuus ſol.*
*Sed paucis hoc ſorte datum: quos æquus ab alto*
*Reſpexit Deus, ac præclarâ in luce locauit.*
*Hos inter tibi,* THECLA, *locus: tibi competit idem*
*Ille beatorum cuneus, tibi linea princeps:*
*Quæ ſexum excedens animis, virtutibus annos,*
*Fortunam ingentem, patriam, claroſque hymenæos,*
*Maternoſque ſinus, tum quidquid dulce vocamus,*
*Linquere non dubitas, quò ſoli viuere* CHRISTO,
CHRISTO *te totam poſſes propriámque dicare.*
*Quinetiam illius ſub nomine probra placebant:*
*Illius ob cultum (quid non ſibi plena Deo mens*
*Imperat, aut cæli non cogit feruidus ardor?)*
*Exſilium, carcer, cruciatus, ipſa cruenti*
*Tædia carnificis grata ac iucunda fuère.*
*Omnia quæ tenebris & cæcâ nocte ſepulta,*
*Ceu poſtliminio, dias in luminis oras*
*Doctus* PANTINI *labor atque induſtria profert.*
*Felix ô nimiùm, curis qui talibus vſum*
*Impendis vitæ: qui Diuorum acta reuelans,*
*Vt pariter Graïj ſpectent, pariterque Latini,*

*Reſtituenda olim cum fœnore ſemina ſpargis.*
*Abſque tuo foret auxilio, iam* THECLA *iaceret;*
*Quæque ignem infeſtum, quæ ſtrictum eludere ferrum,*
*Et potuit rictus euadere ſalua leonum,*
*Paullatim fœdâ tinearum tabe periſſet.*

## IN
## R. P. IOAN. PINEDAE COMMENTARIOS SVPER SCRIPTIS SALOMONIS.

PARVVLA *ſi magnis conferre, iacentia ſummis*
*Fas erit; vt felix labruſcæ palmes agreſti,*
*Vt foliis fructus, vt adulta ſtolonibus arbos,*
*Vt ferri maſſæ pretioſo fulgor ab auro*
*Antiſtat, fragilique vitro vis dura adamantis:*
*Noctiuagas vt luna faces & ſigna minora*
*In plenum ſinuata orbem ſuperátque premitque:*
*Omnibus humanis itidem Sapientia rebus*
*Prælucet: caput hæc & ſummæ ſumma, cui omnis*
*Diſciplinarum ſurgit chorus: hic ſacer ille eſt,*
*Iäpetionides quem gentibus intulit, ignis,*
*Atque ſalutiferum mortalibus Oebalidarum*
*Sidus, ab exortu cuius ſtat pauſa fragori,*
*Ventorum cadit ira, ſerenantúrque fugatâ*
*Tempeſtate animi. Felices térque quatérque*
*Queis acri thyrſo percuſſit pectora Diuæ*
*Huius amor, quibus hæ dulces ante omnia curæ,*
*Hos licuit thyaſos, hæc orgia conſectari.*
*Contigit hoc paucis, nec eorum, condere luſtrum,*
*Quò numerum teneamus, opus: ſed contigit inter*
*Hos paucos,* PINEDA, *tibi: tuus axe citato*
*Hoc Circo raptatur equus: tu puluere in iſto*
*Certa Palæſtini luſtras veſtigia Regis,*
*Cuius dia cluet ſapientia: tu ſapere vnum*

*Summo*

*Summo ſectatus ſtudio noctúque diúque,*
*Viuificos latices ſacris è fontibus hauris,*
*Quos penitus ſacræ reſerat tibi copia linguæ.*
*Tu Patris auſpiciis* IGNATI *fluctibus alti*
*Emerſus maris ac tutâ ſtatione receptus,*
*Palanteis alios, variiſque erroribus actos,*
*Mentis ab excelsâ proſpectas deſuper arce.*
*Viue vel Attalicæ ſolio ſublimior aulæ,*
*Cui Deus & melior naſcenti ſtella refulgens*
*Altiùs humanis euecto degere vitam*
*Cæleſtem dedit in terris; nos turbida rerum*
*Congeries terrenarum, nos iugiter atræ*
*Exercent curæque catenatíque labores.*

## IN
## R. P. LVDOVICI DE LA CERDA COMMENT. IN VIRGILIVM.

CVI *dedit ingenij venam Natura benignam,*
*Ac parili (nimiùm rara) coïre iugo*
*Iudicium memori ſociatum pectore rectum,*
*Et quæcumque tibi non potes ipſe dare:*
*Omnia qui veterum voluit monumenta virorum,*
*Quoſque duplex Latium, Græcia quoſque tulit,*
*Et tamquam digitos auctores noſcitat omneis,*
*Docturus quidquid diſcere quemque iuuet;*
*Huius erant partes, diuini arcana Poëtæ*
*Scrutari, & magnæ pandere mentis opes:*
*Huius erat, docto faculam lucere* MARONI,
*Et creperis illum detenebrare locis.*
*Exſulta Latiæ decus immortale Camœnæ:*
*Eueniunt dignis digna, fauente Deo.*
*En tibi, cùm cineres iam longa abſumſerit ætas,*
*Ipſæ relliquiæ cùm periêre tuæ;*

*Contigit aſſertor, tua qui ſcripta aurea, Phœbus*
*Quæ canit atque omnis Caſtalis ora ſonat;*
*Vindicet à mendis, quibus & carioſa ſenectus*
*(Hac placitum Diuis tabe vacare nihil)*
*Et vulgi contactus inertis turpiter illam,*
*Ceu maculis faciem ſparſerat ingenuam:*
*Cui modò, deterſo ſquallore & puluere, prorſus*
*Cum primo ſpecies prima colore redit.*

## AD R. P. LVD. DE LA CERDA.

QVI *carmen tibi*, LVDOVICE CERDA,
*Exculto vndique litteriſque pleno*
*Et Muſæ genio Maronianæ,*
*Offerre audet, idem facit ferenti*
*Vel ligna in ſilüas, vel in mare vndam.*
*Vt dicam meliùs, facit perinde*
*Ac ſi non hebetis viro palati*
*Pro perdicibus, oſtreis & apro*
*Porrum ſectile rancidúmque lardum*
*Cum fricto cicere atque farre ponat:*
*Pro vini cyathis ſüauioris,*
*Albani puta Creticique Bacchi,*
*Quæ bellaria iure dixerîmus,*
*Humorem Grudiæ propinet vuæ,*
*Poſcámve, aut fatuo ſapore vappam.*
*Cur ergo facio? placere verſu*
*Vt poſſim, atque aliquis tibi videri,*
*Nec ſpes conſiliúmque; magna ſpirent*
*Queis Natura, parens, haud eſt nouerca.*
*Quà poſſum, obſequio placere mens eſt,*
*Et factis mage quàm probare verbis,*
*Præ tuo mihi nil amore penſi,*
*Nil deſiderio tuo negare*
*Noſtri poſthabitâ poteſſe curâ.*

IN

## IN ANTONI PERSI TRACTATVM DE CALIDA POTIONE.

De niue vel glacie lympham potare rigentem,
Olim commenta eſt ingenioſa ſitis.
Verùm hæc ſæpè ſolet pòſt ſuppurare voluptas,
Sæpè malum multis exitiúmque dare.
At diſpar caldæ ratio, quæ grata palato eſt,
Téque illibatam ſemper Hygea ſinit.
Hinc illa in crebro priſcis mortalibus vſu,
Potáque Graiugenis, potáque Romulidis.
Hinc reuocat noſtro fugitiuum tempore morem
PERSIVS, & ſtudiis clarus, & ingenio:
PERSIVS, antiſtes Graiæ Latiæque Mineruæ,
Aeuíque & patriæ gloria magna ſuæ.
Et ſimul exemplo reuocat ſcriptiſque diſertis,
Pallida queîs dentem fregerit inuidia.
Queîs latè PERSI per terras didita fama
Caneſcet ſæclis innumerabilibus.

## AD ERYCIVM PVTEANVM V. CL. CIVITATE ROMANA DONATVM.

SOLLERTES apium populi per florea rura
Vt thyma non ſolùm carpunt & olentia latè
Serpylla, ac grauiter ſpirantis germina thymbræ,
Sed diuerſorum per ſumma cacumina florum
Multiplicéſque herbas volitantes, omnia libant,
Et dulceis auidè ducunt vndeundique ſuccos:

Haut

*Haut aliter prudens atque ingenioſa Quirini*
*Progenies paſſim cunctis è gentibus hauſit*
*Quidquid vbique boni: nec ab ipſis diſcere victis*
*Victricem puduit. Sic miris Martia Roma eſt*
*Aucta modis, hac arte vagis caput intulit aſtris,*
*Clara ſimul belli ſtudiis paciſque togatæ.*
*Nam poſtquam in ſolis haud omnia vertier armis,*
*Expertémque videt iuſtis ſe legibus, eſſe*
*Corpus inane animæ, Themidem cum Pallade Marti*
*Jungere, & ingenij decreuit quærere cultum.*
*Ergo decem miſſis trans vaſtum ciuibus æquor,*
*A Pandioniis leges accepit Athenis.*
*Deinde ſacros Sophiæ myſtas, & copia fandi*
*Queîs erat, ac linguæ robur, Demoſthenis arma,*
*Atque Aganippæâ qui potâ largiter vndâ*
*Edebant dignum pollenti pectore carmen;*
*Tum quibus è duro ſpirantia marmore ſigna*
*Aut etiam informi dabat ars formare metallo,*
*Magni diſcipulis Euphranoris aut Polycleti;*
*Denique Apelléo callentes more tabellas,*
*Aut alio, ceras vſtis animare figuris,*
*Largis è patriâ mercedibus inuitauit.*
*Quodque viris etiam ſummatibus atque Dynaſtis*
*Votum erat, in certam multos claſſémque tribúmque*
*Adſcriptos pleno donauit iure Quiritum;*
*Omnibus immunes vt vectigalibus, æquè*
*Ac veteres poſſent Luceres Ramnéſque, per omnes*
*Paullatim ire gradus ad ſummi culmen honoris:*
*Euehere aut alios commendatrice tabellâ*
*Ad trabeam, ad faſceis, & ſummi culmen honoris.*
*Te quoque nunc veteris obſeruantiſſima moris*
*Exciuit, PVTEANE, ortúque domóque Sicambrum,*
*Atque ſuos inter voluit cenſere Quirites,*
*Aequantem priſcos doctrinæ laude Quirites.*

*Amplius*

*Amplius id longè eſt, maiori & luce refulget,*
*Adſciſci ciuem, & patriam virtute mereri,*
*Quæ reliquas inter non ſequiùs eminet vrbeis,*
*Inter roriſluæ quàm noctis ſigna minora*
*Latois toto cùm vultu pura renidet,*
*Quàm ſi te dias hæc ipſa in luminis oras*
*Diaque ſiderei miſiſſet numinis ora:*
*Quàm tua Auentinum ſi collem infantia noſſet,*
*Antiquàve Remi luſiſſes paruulus aulâ,*
*Scipiadum aut magni Meſſallæ clara propago.*
*Nam genus, & patria, & quæcumque haut poſſumus ipſi*
*Præſtare, ad iuſtam ſi verum expendere lancem*
*Non piget, vt culpæ ſic ſunt expertia laudis.*
*Nec magè cenſeri numero debere bonorum,*
*Prodita Socraticis demonſtrant dogmata libris,*
*Quàm cenſus & opeis, & quæ tu, cæca Dearum,*
*Amphitheatrali veluti miſſilia pompâ,*
*Diſpenſas nullo malè prodiga cum dilectu.*
*Sola bonum dici virtus, quæ continet omne*
*In ſe ſola bonum, rebuſque vna omnibus anteit,*
*Debet, & hoc alias titulo præcedere Diuas.*
*At te perpetuæ meritam præconia famæ,*
*(Quæ licet & felix ſis & fecunda, nec vlla*
*Sæcula te norint propriæ virtutis egentem,*
*Colligis è toto florem tamen orbe virorum,*
*Diuerſóque procul genitos ſub ſidere adoptas,*
*Vtque ex te genitos communi nomine ciueis*
*Indigitans valido deuincis mutua nexu)*
*Quanta manent olim te præmia! ciue ſub iſto*
*Romula ſe quantis attollet gloria rebus!*
*Namque ſuâ primùm qui ſponte, atque illice nullo*
*Munere vel merito, tibi ſe impendebat, & atrâ*
*Sæclorum nebulâ multáque latentia nocte*
*Sub dium rapiens veterem reuocabat honorem,*

*Queis modò inardeſcet flammis? quàm percitus acri*
*Mentem animi thyrſo fuerit, quóve impete magnum*
*Aggredietur opus, totóque in pectore Phœbo,*
*Quanto Romanas in laudes ore tonabit?*

## In eiuſdem PVTEANI Muſathenam.

QVAE *magno ſuper Orpheo lyræque*
*Priſcæ laudibus edidere vates,*
*Aegri ſomnia, fabuláſque, & ipſis*
*Gerris vel Siculis inaniora,*
*Longùm poſtera credidère ſæcla.*
*Sed nec fabula iam cluebit Orpheus,*
*Nec ludus fuerint iocúſve vates,*
*Nec vim Muſica priſtinam requiret,*
*Antiquóſve gemet ſuos honores.*
*Nam tandem ſibi reddita, ac priori,*
*Quo tamquam capitis minor carebat,*
*Ceu poſtliminiò, ſtatu recepto,*
*Aut miracula priſca mox nouabit,*
*Aut edet noua non minora priſcis,*
*Quæque hæc & veniens loquetur ætas,*
*Quæque hæc & veniens ſtupebit ætas.*
*Te porrò columen ſuum decúſque,*
*Tali pro merito ſacrâ Tonantis,*
ERYCI PVTEANE, *fronde vinctum,*
*Doctorum variis modis modorum,*
*Et dulci celebrabit vſque cantu.*

## In eiuſdem PVTEANI Suadam Auſpicalem.

RHETORIS *egregiè qui præſtat & Oratoris*
*Et voce & ſcriptis inſimul officium;*
*Non è pluribus hic, tunicatâ aut fæce, ſed omnes*
*Doctoris pariter qui teneat numeros.*

*Quales*

*Quales hi quondam, Argolici qui gloria pallI*
*Dicendíque velut regula certa cluent.*
*Qualis item Marcus, flos deliciæque Quiritum,*
*Tuque immane togæ Quintiliane decus.*
*At tu nunc,* PVTEANE, *ſuper quem inſignia laudis*
*Plurima, & iſta duplex inſula condecorat,*
*Vt præcepta ſimul des edecumata, tuique*
*Ipſius exemplo, quid deceat, doceas.*
*Nam qui ſcriptorum mel guſtauêre tuorum,*
*Antiquis iurent edita temporibus.*
*Qui melos hauſerunt facientis verba, Süadam*
*Ipſam audiſſe putent, & Venerem & Charites.*
*Ergo iure tibi reſonant ſubſellia plauſu,*
*Et grande exertá voce Sophos repetunt.*
*Ergo iam meritò Famæ verſaris in ore,*
*Et poſthac ſæclis innumerabilibus.*

## In eiuſdem PVTEANI Epiſtolarum Fercula ſecunda.

NON *ſecùs ac felix & fertilis vbere terra,*
*Quam fouet & labor, & ruſtica ſedulitas;*
*Non piget vſque alios aliis ſubmittere fetus,*
*Aeterno tamquam læta puerperio:*
*Sic* PVTEANE *tui fecundum pectoris aruum*
*Cernimus in mirum luxuriare modum;*
*Et meſſem hanc aliis mox meſsibus, atque priorem*
*Auctumnum auctumno continuare nouo.*
*Auctumnum, qualem haud Phæacum pinguia rura*
*Norant, Alcinoi regna beata ſenis:*
*Qualis & Heſperidum prouenit nullus in hortis,*
*Pomonæque ſacro prodiit è gremio.*
*Nec verò fuat, hîc ſatiatem vt copia gignat,*
*Deliciis vſu quod venit in reliquis,*
*Decedátve aliquid, depoſta vbi gratia, primùm*
*Quam rebus nouitas conciliare ſolet:*

*Semper delectent mellita hæc mattya, ſemper*
*Iuuerit vt paſci nectare & ambroſiâ.*
*Tu modò, age, & Muſis & mundo talia perge*
*Dona dare, vt dederis multa, dature parùm;*
*Atque ſtilo & ſtudio ſic impiger indefeſſo*
*Huic & venturis conſule temporibus.*

## IN NVPTIAS
# IOANNIS WOVERI
## ET
# MARIÆ CLARISSÆ.

DIVE, *Parnaſi iuga qui bicornis,*
*Phocidis gratos colis & receſſus,*
*Seu genus dici Vraniæ præoptas*
*Siue Erycinæ.*
*Sume florentem capiti coronam,*
*Flammeum ſume, & faculam iugalem*
*(Sic ſoles) dextrâ quatiens, amœna ad*
*Mœnia tende,*
*Quæ ſuis Schaldis ſimul & marinis*
*Verberans vndis, nimiâ, ah, beabat*
*Copiâ quondam; neque iam ſinebat*
*Nomen habere,*
*Quo tumes, ſiſtrate Canope, Nilum:*
*Mox at (vt rarò, ſubitis quod auxit*
*Auctibus Fortuna, diurnat) ipſa haud*
*Vmbra remanſit.*
*In manum noſtri venit hìc* MARIA
WOVERI; *ſexus decus illa, & ignis*
*Queîs ſacri cuſtodia, caſtitate æ-*
*quanda puellis.*

Hic

*Hic iuuentutis populariumq́ue*
*Flos, nouem doctus manibus Sororum,*
*Et Bonæ Mentis ſimul atque Pluti*
*Munere felix.*
*Tam pares ergo & benè coniugati,*
*Vitis atque vlmo benè coniugatur,*
*Te duce occeptum peragant ſecundâ*
*Alite ſacrum.*
*Audit indulgens faciliſq́ue Diuûm,*
*Ac venit flammâ citiùs Tonantis,*
*Mente vel noſtrâ. remoram nec ergo*
*Nos faciamus.*
*Virginem raptam gremio parentis,*
*Quid viri feſtas Domiduce ad ædes,*
*Perq́ue matrimos ſimul ac patrimos*
*Ducere ceſſas?*
*Quin diem tedæ reuehunt, & omnem,*
*Pompa quà ventura, viam ſerenant?*
*Parue cur mundi muliebris haud dum*
*Baiule prodis?*
*St, adeſt, poſtes foriumq́ue inunctos*
*Laneâ en velat noua nupta vittâ:*
*En pedem profert tenerum, nec vſquam*
*Limina tangit.*
*Jam cibis orbes citrei laborant:*
*Jam calet cœnatio, tibiæq́ue*
*Pruriens vincit modulos loquela*
*Nuptaq́ue verba.*
*At vacat lectus genialis. ô nunc,*
*O diu matres nimiùm ſedetis,*
*Nec ſubit tandem veteri locare ex*
*More puellam.*
*Hæ quidem ſurgunt obeuntq́ue munus.*
*Nunc tuæ partes; tibi nunc, quod optas,*

*Sponſe, ſoluenda Herculeo ligata*
*Zonula nodo.*
*Ipſus en inuitat Hymen, & illi*
*Qui latus claudunt Prema Subiuguſque,*
*Cumque Pertundâ Venus alma, necnon*
*Et Iuga Iuno.*
*Dixeram: puncto citus aduolauit.*
*Cetera attritus torus atque rugans*
*Dicet, occultique palàm indicabit*
*Vulnera prælI.*
*Dicet & filum, benè iam quod aptum*
*Craſtinò collo dominæ ſit artum.*
*Perge ſic porrò, viduæque nullæ*
*Sint tibi noctes.*
*Sic breui creſcentem vterum videre*
*Comparis detur, ſimili & ſedente*
*In genu nato, tacitâ affici dul-*
*cedine mentem.*

## PETRO PAVLLO RVBENIO FRATRI SVO ET ISABELLÆ BRANTIÆ NVPTIALE FOEDVS ANIMO ET STILO GRATVLATVR.

QVI *nos optati voluiſti litoris oram*
*Tangere, & in tuto tandem conſidere portu,*
*Huc ades, ô Hymenæe. tuo ſine numine ſacra*
*Non fuerint hæc ſacra; bonæ tu Cypridis auſpex*
*Atque auctor: ſancti tu conciliator Amoris.*
*Iam fratris te nocte citamus, nocte beatâ,*
*Quam cupidè dudum ille cupit: quam tu quoque, virgo,*

*Virgi-*

*Virgineo quamuis aliquantum more modóque*
*Nunc trepidas, omni cras dices luce priorem.*
*Quin Hymenæe tuum facis ocyùs? illa iocoſa*
*Quin properas, quæ nox prouectior ipſáque ſuadent*
*Sidera proclinata, atque æthere iam ceſſura?*
*Quàm benè cum patulâ vitis coniungitur vlmo,*
*Vegrandéſque altè ramos laſciuior ambit,*
*Tam bona felices committet copula amantes.*
*Florentes annis, florentes dotibus ambo*
*Corporis atque animi: ſed & ipsâ ſtirpe locóque*
*Conſimiles. Sponſæ genitor tu, pectoris ô pars*
*Branti magna mei, Themidi cariſſime Branti*
*Muſarúmque choro: quarum tibi munere raræ*
*Doctrina, ac felix ſcribendi copia ceſſit.*
*Quid memoremus auum, quo nec pietate priorem*
*Sol videt, aut ſtudio qui plus deflagret honeſti?*
*Quo nec quiſquam alius populi tabularia nouit*
*Rectiùs, Aduaticis qui priſco tempore ritus,*
*Et quà Cæſareo ius municipale repugnet.*
*Vnde, pari premitur ſi quando pondere libra,*
*Nec liquidò verum dignoſcitur, itur ad iſtam*
*Canitiem, & velut ex adyto reſponſa petuntur:*
*Vera cano, neque iudicij caligine lumen*
*Fuſcat amor, quia nos reſpublica iungit eodem*
*Munere, tum gnata torus ac ſpes certa nepotum.*
*Et noſtrum, ô frater, genitorem Curia vidit,*
*Suſpexitque olim non imâ in parte Senatus,*
*Siue euoluentem dubiarum ænigmata legum,*
*Seu cùm ſenſa animi facundo exprομeret ore.*
*Sed taceo, ne quis propriæ prurigine laudis,*
*Fraternæ arguerit prætextu laudis abuti;*
*Iamque alium Fati dedit indulgentia Vatem,*
*Cui Phœbi cortina patet, cui carmine digno*
*Et vis ingenij mirabilis & Polygnoti*

Siue

*Siue & Apelléæ manus æmula decantetur.*
*Iamque facem Deus, euge, facem lucere iugalem,*
*Ac laris interiora citato irrumpere greſſu*
*Geſtit, & apparet genialis lectus, arena*
*Cypridis, innocuo iamiam deuota cruori.*
*Ilicet, ite foras: par hîc componitur vnum;*
*Sola manes, noua nupta, tuo cum coniuge ſola.*
*Is te corde amat, is dicet tibi blanditiarum*
*Quantum vix tenuit teneri præceptor amoris;*
*Et cum blanditiis dabit oſcula, qualia Pſychæ*
*Aut Veneris puer, aut Veneri libauit Adonis.*
*Tu cede inſtanti. ſic Ius Fas, ſic pia mater*
*Vult, iubet. hæc victam & victorem palma iuuabit.*
*Quid reliquum, niſi vota? Deus Deus hos hymenæos*
*Auſpiciis iunctos cæleſtibus vſque ſecunda.*
*Pallide Liuor abes: Lis & Querimonia ſemper*
*Exſulet; ac primâ ſit tantùm rixula nocte.*
*Enumeret mox ſponſa dies & menſtrua Lunæ*
*Curricula: incrementum vteri miretur, & antè*
*Quàm cæli metas confecerit auricomus Sol,*
*Prole virum ſimili felix beet. Hæc mea vota,*
*Hæ noſtræ, germane, preces, quæ pectore læto*
*Concipio, ſoluamque lubens. Tibi grata voluntas*
*Sit noſtra ac tenui deducta hæc pagina filo,*
*Pagina ab inuito quam vis exſculpſit amoris,*
*Quo modò ſignifero deſueta reſumpſimus arma.*

## IN OBITVM CLARISS. DOCTISSIMIQ. VIRI ASCANI PERSI.

ERGO *mihi nuper rapidi quæ fulminis inſtar*
*Acciderat, veri nuntia fama fuit,*
ASCANIVM, *vitâ fuerat qui perpete dignus,*
*Vixiſſe, & leti triſtia adiſſe vada?*

*O factum*

*O factum malè! quàm magnum tibi vulnus adactum*
*Felſina! quid nomen perdidit Auſonium!*
*Eruitur geminis oculorum ex orbibus alter:*
*Muſarum myſtes* PERSIVS *alter obit.*
PERSIVS ASCANIVS, *cui linguæ vtriuſque facultas,*
*Qui totus Sophiæ deditus in ſtudiis*
*Illuſtri cathedram tenuit cum laude; tuìque*
*Gloria Athenæi Felſina docta fuit.*
*Sed fuit. heu, celeres tranſcurſus! heu, cita vitæ*
*Curricula! ad metam quàm breue ducit iter!*
*Poſt canos etiam mors immatura bonorum eſt;*
*Ante diem numquam non venit ille dies.*
*Cùm præclara ruunt molimina, dignáque cedro,*
*Idem qui cineres, ſcripta tegit tumulus.*
*Sed iam tale nihil mens augurat. ibit in oras*
*Luminis* ASCANII *poſtuma progenies:*
ANTONI *pia cura obſtetricabitur illi,*
*Et mox doctorum mittet in ora virûm.*
*Hic Pollux, hic Caſtor erit, fratremque redemptum,*
*Quà pote, quaque ſinunt aſpera fata, dabit.*

## In Albo IOANNIS BAPTISTÆ BARONI.

INGENVVS *magnetem inter ferrúmque perennat,*
*Nec, niſi cùm totum hoc, diſſoluetur amor:*
*Pampinea æternùm frondoſæ amplexibus vlmi*
*Vitis habet miris luxuriare modis:*
*Semper & annorum palearum ducere caſſa*
*Veſtras,* Heliades, *ſuccina lacrymulas*
*Cernere erit: ſemper dilectæ vmbracula ficus*
*Prouentu rutas vberiore duint.*
*Hæc nos, hæc fas eſt naturæ fœdera ſacra,*
*Optima amicitiæ ceu documenta, ſequi;*
*Quæ nil immenſi cedentia viribus æui,*
*Firma hodiéque, velut cùm coiêre, cluent;*

*Nec ſæcli obliquis abduci ambagibus, vmbram*
*Sinceræ quod vix nouit amicitiæ;*
*Maiorum ſanctis ſed moribus illibatam*
*Conſeruare, ſemel quæ data vtrimque, fidem.*
*Quin, velut æternum Veſtæ penetralibus ignem*
*Peruigil Aeneadum relligio coluit;*
*Ardorem memori ſic curâ perpetuemus,*
*Quo ſinus ille olim pectoris incaluit:*
*Vt neque conſopire annis labentibus ætas,*
*Nec, quamuis longum, diſcidium valeat.*
*Spero equidem: rata, mi* BARONI, *fac age ſit ſpes,*
BARONI *his contrà vel mihi care oculis.*
*Quos ego contingens, cæleſtia numina iuro,*
*Sance tuum inprimis Iuppiter ac Philie,*
*Omnibus omnino rationibus annixurum,*
*Officij ratio conſtet vt vſque mei.*

## In Albo GEORGI VWENI.

QVO *nunc iſta mei petitur tibi teſſera amoris,*
*Et mellite meæ pignus amice manus?*
*An, quòd te dubium res vlla det atque incertet,*
*Aut accepta parùm ſit tibi noſtra fides?*
*An, quia proponi vis diſque paleſcere in albo*
*Alternum hoc veræ fœdus amicitiæ?*
*Hoc reor, id mihi mens animi benè conſcia dicit,*
*Affectumque pari lance tuum trutinans.*
*Atque libens adeò candentis in æquore chartæ*
*Fidas ecce mei figo notas animi:*
*Dum viuam atque videbo, ſinet dum ferrea Parca,*
*In paucis nobis carus* VWENVS *erit.*

## De ſepulcro VIRGILI prope Neapolim.

ANTIQVAM *Aeacidæ vidiſſe in littore buſtum,*
*Pro magno magnus duxit Amyntiades;*

Pyra-

*Pyramidúmque alij moles ad ſidera ductas,*
*Aut tumidi quo ſic Cares ouant opere:*
*At mihi pro cunctis ſaxum rude Mauſoleis,*
*Quo magni manes oſſáque Minciadæ*
*Et vetus & conſtans affirmat fama repoſta,*
*Pauſilypi cliuo penè ſuper medio.*
*Hîc age Lenæum largè mihi libet honorem,*
*Muſarum quiſquis non rudis ad ſtudia;*
*Floribus & ſertis ingeſtis atque ſolutis,*
*More leuem priſco ritè precetur humum.*

ALIVD.

*Hunc circa tumulum non carduus aut caprificus;*
*Sed tantùm Clario laurus amata Deo.*
*Hæc viget, & quamuis exciſa, repullulat vſque:*
*Eſſe ſacros Vatis quis neget hic cineres?*

## De Patriâ PROPERTI cùm eſſet in conſpectu.

*QVO cæli decus atque lucis auctor*
*Aurei iaculatur orbis igneis,*
*Et clarum irradiat iubar, repentè*
*Lumen pro tenebris venit ſerenum:*
*Sic & gloria vera, non inani*
*Quæ ſplendet creperáque luce, noctem*
*Latè diſſipat, atque claritatem*
*Quò pertingere cumque poſſit, adfert:*
*Illuſtris tua fama ſic Properti*
*Illuſtrem patriam inclutámque reddit.*
*Hæc debet tibi quòd celebriora*
*Inter nomina ſit, quòd & viator*
*Deflectat, tua curioſus iſthic*
*Vt cunabula viſitet colatque.*
*Hic ſummus titulus tibi, hic triumphus,*
*O Meuania; non vagi quòd vnda*
*Clitumni patulis inerret aruis*

*Et paſſim riget omnia vberetque:*
*Nec verò medio quòd in feracis*
*Vmbriæ poſitam ſinu, benigno*
*Prouentu beet hinc Minerua, & illinc*
*Iucundo Dea flaua cum Lyæo:*
*Non quòd denique maximo Deorum*
*Paſcuis petat hoſtias ab iſtis,*
*Quæ ſint & ſpecie magis decorâ,*
*Non tactæ niuis & pares colori,*
*Re geſtâ benè laureata Roma.*

## Cùm RVBICONEM adequitaret.

SALVETE *ô magni quondam loca conſcia motus,*
*Et ripa ingentis arbitra conſilij.*
*Salue parue amnis, cui magni Cæſaris arma*
*Atque ipſum fulmen ſuſtinuiſſe fuit:*
*Cæſaris arma, quibus nec ſigna aduerſa Senatus,*
*Pompeiúſve hoſtis ferre moram poterant.*
*Hîc tantæ ſteterunt acies, hîc maximus hæſit*
*Induperatorum, ac (dicere fas) timuit.*
*Quid dubitas Cæſar? quid mentem triſtis imago*
*Offenſæque ſubit relligio patriæ?*
*I porrò inſigni quò ducunt omine fata*
*Ipſo (quis credat?) ſigna canente Deo.*
*Nam verè Deus ille fuit Deus, ac duce tantùm*
*Roma Deo vinci debuit & potuit.*

## Ad ADRIANVM SPIGELIVM Bruxellenſem.

FELIX *cui varios Naturæ diſcere mores,*
*Et ſacram princeps cura ſit hiſtoriam.*
*Felix & tantus pariter cui doctor & hoſpes*
*Felicis poſitu ſideris obtigerit,*
*Ille Deæ myſtes, ille intimus* ALDROVANDVS,
*Qui nil quod libeat diſcere, non doceat:*

*Italia*

*Italia haud alio quo ſe magè iactet alumno,*
*Oppugnétque tuum, Græcia priſca, decus.*
*Sed neque diſcipulus tali doctore, nec iſto*
*Diſcipulo doctor dignior alter erat.*
*Gaude ſorte tuâ, gaude & virtute* SPIGELI,
*Atque harum ſpera quidlibet auſpiciis.*

## Exemplum lenitatis & clementiæ in HADRIANO Cæſ.

AELIVS *in vacuam Traiani Principis Aulam*
*Aſcitus, ſummæ præpoſituſque rei,*
*Per longa ingenti vehitur dum compita pompâ,*
*Deprendit turbâ fortè virum in mediâ,*
*Sæpè in priuatum qui dixerat inclementer,*
*Multimodis olim iniurius & fuerat.*
*Qui ſeſe oppreſſum tum cernens atque teneri,*
*Non ſecùs ac iuſſus ducier, extimuit.*
*At Cæſar fidæ firmauit pignore dextræ,*
*Atque animum tali reddidit alloquio:*
*Quid trepidas, tantúmque miſer, iam non miſer, horres?*
*Per me ſecuro iam licet eſſe tibi.*
*Nil moror; vlciſci ſatis eſt potuiſſe: cicatrix*
*Hæreat offenſæ pectore nulla meo.*
*Macte eſto, eximiæ virtutis laudibus, heros,*
*Quàm terrarum orbis clarior imperio:*
*Virtutis, quæ te ſublimem ad ſidera tollit,*
*Et concinnat heris aſſimilem æthereis.*

## In inanem menſæ apparatum.

FLORIBVS *inſternis menſam & benè olentibus herbis:*
*Mappa nitet, miris atque plicata modis*
*Diuerſas ſimulat facies: cochlearia ſplendent,*
*Cultelli, dentiſcalpia, fuſcinulæ.*
*Atque aliâ in menſâ, quam ſeruulus vſque tuetur*
*Obſeruatque, vigil Argus vt Inachiden,*

*Expoſitæ ſtruices patinarum, vaſcula, guttus,*
*Ornandoque abaco cymbiaque & calices.*
*Ad ſummam. benè quiſque ſibi pulcreque futurum*
*Heic ſperat, Saliûm ceu maneant epulæ:*
*Cùm tandem cœnæ ius & caput vncia carnis*
*Fertur, aratoris grandiaque oſſa bouis.*
*Hæc tamen eſt vitulina tibi: quæ frangere dentem*
*Poſſit vel FurI docte Catulle tui.*
*Pro condimento, duplici pro iure garoque,*
*Allia Romani opſonia remigij.*
*Et tranſiſſe aliquid, ne culper iniquiùs, addo*
*Cluſinæ ferclum pultis, & abſolüi.*
*Tolle tuos flores, & inanem tolle paratum:*
*Ieiunæ valeant obſecro deliciæ.*
*Iſtarumque vicem veniant ſtabilimina ventris:*
*Ponantur pernæ, ſumen, aper, petaſo.*

## Iocus puellæ.

QVIDAM *nuper ineptus, inficetus,*
*Vnus ceu caprimulgus atque foſſor,*
*Cùm nugas blateret meras, nimiſque*
*Iamdudum grauis eſſet ac moleſtus*
*Sermone illepidoque & inuenuſto*
*Puellæ lepidæ & nimis venuſtæ,*
*Abſoluique modeſtiâ vel arte,*
*Quâ tentauerat ipſa, non poteſſet:*
*Schemate haud dubio videns agendum,*
*Fare, age, ô bone, dicit, inter omnes*
*Quænam maxuma belluaȝ habetur?*
*Ille & difficilem expediſſe ſcirpum*
*Et nodum ſolüiſſe Gordianum*
*Feſtinans, Elephas, ſubinde reddit.*
*Quem riſu excipiens puella amaro,*
*Nil ſit tecum elephas mihi, inquit, hinc te*

*Hinc*

*Hinc quamprimùm age. & hoc ſale, vt decebat,*
*Deſtrictum* παχύδερμον *hunc relinquit.*

## In Cæcilianum.

CVM *vel non alio peregrè ſis ſine profectus,*
*Liqueris & patrium Cæciliane larem,*
*Mores quàm varios hominum & diuerſa locorum,*
*Ceu Laërtiades alter, vt inſpicias:*
*Nec quoquam prodis, nec quidquam inquirere curas,*
*Vnius at cultor luminis vſque lates:*
*Lætior in tenebris torpere ac deſide plumâ,*
*Dum ſacri pars ſit maxima lapſa die,*
*Aut parui ad furnum foculi cum ſtipite ſeruo*
*Neſcio quas nugas quiſquiliaſque loqui.*
*Quò labor & ſumptus, via quò longinqua? manere*
*Commodiùs poteras hac ratione domi.*

## In caluum, pectinem ementem.

PECTINE *quid ſit opus cui nullus pectinis vſus,*
*Vix vnus glabro cui pilus in capite?*
*Non mage quàm ductâ præciſo coniuge, ſurdo*
*Quam cytharâ, capto lumine quàm ſpeculo.*
*Spongia crede mihi meliùs pro pectine ematur,*
*Conueniens caluæ ſit magis illa tuæ.*

## In Gelliam anum.

OPTIMA, *ais, nondum tibi quòd defluxerit ætas,*
*Et modò agas annum, Gellia, ter decimum:*
*Quod res eſt, dicis: bis denos ampliùs annos*
*Audire hoc ipſum, Gellia, commemini.*

## In IVDITH, tyranni caput amputantem.

CEDITE *Romani ductores, cedite Graij:*
*Obſtruit hæc veſtris femina luminibus.*

*Veſtra*

*Veſtra fuit magnâ victoria parta virûm vi,*
*Et ceſſit laudis pars bona militibus;*
*Barbarus vnius dextrâ cadit Induperator,*
*Defendit patriæ perniciem vna manus.*

## In SAMPSONEM à feminâ ſuperatum.

QVI *genus humanum ſuperauit robore Sampſon,*
*Femineis tandem vincitur inſidiis.*
*Sic & femineâ vis Herculis arte doloque*
*Occidit. ô magnis ſexus inique viris!*

## In eumdem.

*Non hæc naturæ ratio tibi robora Sampſon,*
*Ipſe Deus certâ conditione dedit.*
*Idem ſubduxit, poſtquam tibi ſacra reſecta eſt,*
*Neglectâ voti relligione, coma.*

## In OPINIONEM.

TERREA *gemmarum natura eſt, terrea florum:*
*Terra parens vno gignit vtrumque ſinu.*
*Separat, ac diſcrimen Opinio grandius adfert:*
*Hinc res vel vilis vel pretioſa cluet.*

Digitized by Google

# AMICORVM
# IN
# PHILIPPVM RVBENIVM
# VITA FVNCTVM
# PIETAS

ſolutâ & vinctâ oratione expreſſa.



Digitized by Google




Digitized by Google

# VITA
# PHILIPPI RVBENI I. C.
## S. P. Q. ANTVERP. A SECRETIS
## SCRIPTORE IOANNE BRANTIO
## EIDEM S. P. Q. AB ACTIS.

PHILIPPVS RVBENIVS patrem habuit *Ioannem Rubenium*, matrem *Mariam Pijpelincx*, Antuerpiæ natos: quâ in ciuitate ille Senatoriâ dignitate non ſemel ſummâ cum laude functus eſt. Sed exortas patriæ turbas fugientes, vt permulti tum graues & cordati viri, Coloniam Agrippinam ſe contulerunt. Vbi anno ſalutis humanæ CIↃ. IↃ. LXXIV. v. Kal. Maias natus eſt Philippus noſter. Hunc à puero pater, prout ipſe doctiſſimus erat, domi iis litteris erudiuit, quæ humanitatis nomine cenſentur, ad annum ætatis vſque XII. cùm de vitâ migrans matri illum commendauit, & hæc præceptoribus in Vbiis: apud quos celeriter antecellere diſcipulis ingenij velocitate contigit. Donec anno CIↃ. IↃ. LXXXVII. vidua ipſa cum liberis ſe Antuerpiam (quæ tum faciles aditus bonis omnibus quaſi poſtliminiò præbebat) cupidè retulit; & inibi Philippum iis artibus, quibus à patre informatum meminerat, porrò inſtituendum curauit: quòd huc à naturâ, cui parere ſapientes, & tamquam optimam ducem ſequi iubent, trahi videretur.

Procedente ætate, Ampliſſimo viro *Ioanni Richardoto* Præſidi ſanctioris Conſilij traditus commendatuſque eſt. Qui vir doctrinâ & modeſtiâ captus adoleſcentis, in quo iam tum fulgebat indoles virtutis, eum ſibi ab Epiſtolis eſſe voluit; & inſuper decreuit dignum, ſuos cui liberos committeret, Guilielmum & Antonium

 tonium

Digitized by Google

tonium, litteris & bonis moribus imbuendos. Cum quibus poſteà in contubernium commigrauit IVSTI LIPSI: qui nunc inter beatos, tunc Louanij Profeſſionis ſuæ eximium decus, Rubenium indies eò magis diligere cœpit, quò propiùs inſpexit. Cumque quattuor ipſos annos, non vt diſcipulus, ſed vt filius Lipſio fuiſſet coniunctiſſimus, *menſæ particeps, ſermonis, & diſciplinæ, immanè quantum in ſpatio illo breui Latinâ & Græcâ litteraturâ promptus euaſerit, vtraque oratione ſiue ſcriptione diſertus, ſolutâ & nexâ.* Felices, quibus in iuuentute doctor talis & formator contingit, à quo dirigantur, & recta decreta accipiant. Vt enim à Tito Cæſare nemo niſi ditior, ſic à Lipſio nemo niſi doctior cultiorque redibat. Et quemadmodum qui in tabernâ vnguentariâ morantur aliquantulùm, odorem inde attrahunt, & ſecum ferunt: ita vicino & propiùs adſtanti vel leuem eruditionis aurulam eruditiſſimus Lipſius adſpirabat. Idque Rubenio noſtro inprimis vſuuenit; qui acri diſcendi cupiditate, omnia quæ ab illo viro, velut Thalete quodam, vel publicè vel familiari in ſermone proferebantur, *non ad delectationem aliquam nudam* referebat, *ſed ad finem fructumque duplicem, Virtutem & Prudentiam, ſumma in humanis bona.* Itaque multa ab eo prudenter diſputata, multa breuiter & commodè dicta memoriæ mandabat, ſæpè rurſus indidem promebat, & inter ſuos repetendo quaſi ruminabatur. Denique, quod eſt iudicij ſolidioris & bona ſua noſcentis, ne quid fugeret, periretve, etiam ſcriptionis cuſtodiâ cauebat. Sic ſolere rerum veterum litterarumque curioſos aliquando legerat, & vt imitaretur, inter alia Doctoris ſui [a] præcepta meminerat. Quare nec abeſſe poterat, quin magnos quotidie progreſſus faceret.

Cent. 2. ad Bel. ep. 97. in Teſtimonio.

Cent. 4. Miſc. ep. 31

[a] Cent. Miſcel. 3. ep. 61.

Iamque (vt iuuentus peregrinari amat) Italiam ſpectabat, artium & elegantiæ omnis principem, in eâque, *pulcrum*, vt ille ait, *Latium, & priſca veſtigia Romæ* luſtrandi ſtudio flagrabat: quòd à M. Tullio didiciſſet aliam [b] *omnem peregrinationem obſcuram & ſordidam eſſe iis, quorum induſtria Romæ poteſt illuſtris eſſe.* Quare dimiſit eum Præſes Richardotus vnà cum filiorum altero Guilielmo: nec nolente quidem Lipſio, vtpotè quem [c] peregrinatos omni æuo viros magnos, minimè fugiebat, & ipſe [d] Italiam amabat ſupra omnes terras; in quâ adoleſcens iucundè olim vixerat,

[b] Lib. 2. ep. 12. ad fam.
[c] Cent. 1. Miſc. ep. 22.
[d] Cent. ad Ital. & Hiſpan ep. 1. & ep 55. Cent. 3. Miſc ep. 87.

xerat, & ingraueſcente ætate vel curſim iterùm inſpicere optabat, imò planè [a] decreuerat, niſi inualetudo tenuiſſet; ſed qui [b] lacrymis futuri deſiderij dolorem indicaret, cùm diſcedentem Rubenium his verbis, quæ Albo eius amicorum ſuâ manu inſcripſit, proſequeretur: a Cẽt. 3. ad Bel. ep. 54. b Cẽt. 2. ad Bel. ep. 97.

ET TV QVOQVE DESERIS RVBENI?
SED VOLENTEM, NOLENTEM.
AFFECTVS RETINET, VTILITAS DIMITTIT.
I QVO EA TE VOCAT.
ITALIAM LVSTRA, ET RELIQVIAS
MIRARE MIRABILIS ILLIVS AEVI.
O SI ME DVCE LICVISSET!
NVNC VOTIS COMITE.
ET APPRECAMVR IRE, VIDERE,
DISCERE, VALERE, REDIRE,
ATQVE INTER HAEC OMNIA,
IMO ANTE OMNIA,
NOS AMARE.

Et nubem illam doloris ſibi nonnihil diſpuliſſe Carmen Rubenij ἀποβατήριον ſuâ ad hunc epiſtolâ Lipſius paullo pòſt teſtatus eſt, addito Elogio: [c] *O Dij boni bonum. Palpo non te percutio, ſed cum Syracuſio:* Πλῆρές τοι μέλιτος τὸ καλὸν στόμα: c Cẽt. 2. ad Bel. ep. 97.

*Os plenum tu mellis habes.*

Romæ videre in compendio, quidquid toto orbe pænè laudabile (vnde illam τῆς οἰκουμένης ἐπιτομὴν quiſpiam appellabat) tum linguam diſcere, [d] *ingenium polire, iudicium formare, aut potiùs (rem dicam) quod formauerat, ſeruare*, viris magnis innoteſcere, [e] *peregrinis iis maximè quorum conſuetudine aliarum regionum etiam mores atque ingenia condiſceret, atque ita ex variâ rerum notitiâ ad prudentiam aliquid addere*, hæc illi de conſilio Doctoris ſui finis ἀποδημίας. Cùm alioqui quod reprehendebat Æſchines, πολλοὶ ἀποδημήσαντες οὐ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετήλλαξαν, *multi peregrinantes non mores, ſed locum tantùm mutarunt*; & perinde quaſi ſatis ſit Italiæ cælum hauſiſſe, ſolum calcaſſe, nihil inquirunt, nihil obſeruant. In quos noſter lepidè ludebat, ſub perſonâ Cæciliani. Sed & in Iuris ſtudiis eò Rubenius progreſſus eſt inter peregrinandum, vt poſt ſolemnia experimenta titulum Iti publicâ inauguratione meruc- d Ibid. e Cẽt. 2. ad Bel. ep. 71. Orat. contra Cteſiphonem. Vide Carmina ſelecta.

[a] Cent. 5. Miſc. ep. 30. meruerit: quem illi Lipſius per [a] litteras ex animo gratulabatur.

Ex Italiâ redux anno CIↃ. IↃC. IV. cum ſuis omnibus, tum eidem Lipſio venit gratiſſimus, cui nihil longius fuit, quàm vt illum videret; & [b] iam exſpectabat, iam occurrebat, iam brachia pandebat ad amplexum. Certè eum animo & corpore eſt amplexus Louanij III. Idus Iunias, vt αὐτόχειρ teſtabatur, cùm *Manuductionis ad Stoicam Philoſophiam libros* Rubenio inter amicorum primos offerret. Sed non diu factum eſt, cùm hic noſter ad Vrbem iterùm adſpiraret, fruſtrà licet monente Lipſio:

[b] Ead Cẽt. ep. 44.

*Omitte mirari beatæ*
*Fumum & opes ſtrepitumque Romæ.*

Iam quod ſatis ſit, Italiam luſtraſti. [c] *Quid niſi delectatiuncula illic & ſenſuum atque oculorum occupatio? Magni etiam animi eſt, ac penè addam felicis, inter tot praua aut deprauantia rectum ſtare, & manere in æquâ iudicij lance*. Et quamquam [d] *ego de indole tuâ ſic confidam, vt nec vel inter praua & prauos deprauandum augurer*: tamen, [e] *ſicut qui ignem è viciniâ petunt, non illic deſident, ſed accepto eo domum redeunt, atque ibi accendunt; ſic* [peregrinantes] *cenſeo velut ſcintillas & fomites apud exteros quærere, domi deinde accendere, & ſibi aliiſque allucere.*

[c] Cent. 5. Miſc. ep. 30.
[d] Cent. 5. Miſc. ep. 8.
[e] Cent. 5. Miſc. ep. 24.

Et Rubenium [f] *ingenio & doctrinâ laudabilem inter paucos*, & [g] *optimis litteris artibuſque non tinctum, ſed imbutum*, Lipſius [h] Louanij illigare, & ſibi in docendi munere ſufficere deſtinarat: & iam cum Principe agere cœperat, imò & impetrarat. Sed intercedebat modeſtia Rubenij, à quâ impetrari non potuit, vt hanc prouinciam ſuſciperet, & diſcipulus Doctori, eâ non doctrinâ ſolùm, ſed prudentiâ viro, addo tantis adornato virtutibus, quantas perfecta & naturâ & induſtriâ mortalis condicio recipit, in Profeſſione ſuccederet: quippe longè prouidebat, quàm grauis ſibi aduerſaria conſtituta & parata eſſet doctorum hominum exſpectatio; cui verebatur vt ſatisfacere poſſet, cùm laudes quas ei Lipſius tribuebat, nullus agnoſceret: tantum aberat, vt attollerent aut inflarent, longè ab iis alium

[f] Ead. Cẽt. ep. 33.
[g] Cent. 3. Miſc. ep. 86.
[h] Cent. 5. Miſc. ep. 64. & ep. 65.

*Quos tulit ad ſcenam ventoſo gloria curru.*

In quâ etiam ſi quis ſpectante Roſcio geſtum ageret, impudenter eum facere cum M. Tullio exiſtimabat: in ſummâ, longè reperiri faciliùs poſſe, qui locum iſtum ſubiret, quàm impleret.

1. de Orat.

Vidit

Vidit ipſe non longo pòſt interuallo, extincto Sapientiæ & Eloquẽtiæ Profeſſore (maiore dicam litterarum damno, an litteratorum dolore?) quàm in paucis ſpes fuerit, quanto in paucioribus facultas, quàm in multis audacia. Quare cùm neque noſtro Lipſius, quod valdè volebat, perſuadere, neque incredibili, quod illum tenebat, Romæ deſiderio frænum dare poſſet, ampliùs non retinuit: beneuolentiâ inſuper comitatus eſt, & commendatione apud Illuſt^mum ASCANIVM COLVMNAM beatæ memoriæ virum, tunc inter lumina purpuratorum Patrum, vt à Bibliothecâ ei eſſet, quam omni genere librorum benè inſtructam immenſo pretio parauerat: *Non eſt fortaſſe in Europâ aptior ad hoc aut maius aliquod munus. Et quamquam de Bibliothecâ iniecerim, re ſcilicet ſtudiis eius aptâ, poteſt tamen & in litteris ſcribendis aut concipiendis operam decorè & vtiliter nauare, & variè cultum factumque ingenium varia obire.* Quæ Lipſij commendatio quantum apud ſe ponderis haberet & robuſtæ auctoritatis, intercedentibus præſertim Illuſt^mo Cardinali SERAPHINO OLIVARIO, & LVDOVICO BECCATELLO, Cardinalis COLVMNA reapſe oſtendit. Nam in cohortem familiamque ſuam Rubenium adſcripſit, Bibliothecam eius fidei curæq; liberaliter commiſit, ab Epiſtolis denique & ſtudiis habuit inſolito honoratio. Cẽt Miſc. 5. epiſt. 64.

Incidebat in hoc ipſum tempus, vt Lipſius, qui anteà *Cornelium Tacitum* Prudentiæ patrem, nunc *Annæum Senecam* Sapientiæ fontem Commentario perpetuo à ſe illuſtratum in lucem daret, & PAVLLO V. PONTIFICI OPT. MAX. inſcriberet. Hoc itaque negotij Rubenio dedit, vt eius vicem SANCTITATIS SVAE offerret: quod fecit breuibus quidem verbis, at tam difertis, vt huic muneri, cùm Senecæ tum ipſius Lipſij cauſsâ longè commendatiſſimo, gratiam Rubenius per ſeſe haud exiguam attulerit, & eum hoc nomine ſummus Pontifex auctum honeſtumque vellet, vbi occaſio eſſet.

Magna hominis fama (quippe quæ nihil ignorari de conſpicuis Viris patitur) totâ vigebat Italiâ, vt eum docti omnes in ore & amore aſſiduè haberent; nec deeſſent, qui ad publicum docendi munus vocarent. In his (quem, vt ipſius dignitas poſcit, honoris gratiâ iterùm nomino) Ill^mus SERAPHINVS honeſtis conditionibus adducere conabatur, vt in locum Roberti Titij,

S Piſas

Piſas à MAGNO ETRVRIAE DVCE accerſiti, Bononiæ bonas litteras de ſuperiore loco profiteri vellet: illâ vetuſtiſſimâ & celeberrimâ Academiarum, quæ *ſtudiorum mater* ſemper dicta eſt; ad quam & Lipſium à principibus viris liberaliſſimè inuitatum, alioſque primarios Europę eam inſediſſe, docendo ſcribendoque illuſtraſſe ſcimus. Sed neque hîc Rubenius audiuit; quem procul ab omni ambitione quies delectabat,

*Et ſecretum iter & fallentis ſemita vitæ.*

Admiranda profectò ſingularis hæc eius Modeſtia. Nam vt opes, ita honores faciliùs inuenies qui vituperet, quàm faſtidiat aut contemnat. vltima illa tunica, quam Plato dicebat, etiam ſapientibus nouiſſima exuitur. At verò tandem (vt *gloria virtutis vmbra eſt, & inuitos etiam comitatur*) eâ ipsâ viri famâ impulſus Senatus P. Q. Antuerpienſis eum Româ euocauit, vt eſſet illis à Secretis. Et quamuis in Vrbe dominâ familiâque viri principis, & in iis ſtudiis verſanti, quò eum animus & natura ducebant, quam-optimè eſſet; cùm tamen accederet matris imperium, quæ adeſſe volebat ſubſidium ſenectuti ſuæ, amicorum hortatus ac preces, qui honori eius impensè ſtudebant, quid faceret

Seneca ep. 79.

*Nec rigidos ſilices ſolidúmve in pectore ferrum,*
*Aut adamanta gerens?*

relictis rebus, Antuerpiam venit. In quâ tamen ciuitate nullus ei locus erat, niſi in eam priùs adſcripto. vetant autem Priuilegia Brabantiæ quemquam in ciuem Antuerpienſem adſciſci, qui in hac Prouinciâ natus non ſit. Ergo omni hoc ope atque operâ agebat Senatus Antuerpienſis apud tres Ordines, vt in hac re de ſummo aliquid iure remitteretur: mereri raras viri virtutes, vt qui toti Prouinciæ futurus eſſet ornamento, is haud grauatè eâ ciuitate donaretur, vbi fratres, ſorores, vterque parens, aliique retrò maiores hunc aërem primùm hauſère, pater etiam, vt diximus, Magiſtratum ſæpè geſſit: aliò tantùm communi temporum calamitate, quaſi æſtu quodam abreptus violentæ tempeſtatis, Philippo filio auctior factus eſt. Dum hæc, vt rei pondus & momentum erat, non niſi tardè & difficulter procedunt, mater Rubenij prudentiſſima lectiſſimaque femina, cùm ſeptuaginta annos compleſſet, fatalem ſuam metam adiuit, anno M. DC. VIII. IX. Octobris, eò maiore filij cum dolore, quòd hono-

honores illa, vt voluerat, ſpectare non potuerit, qui huic tertio pòſt menſe feliciter obtigerunt, & iucundiores proculdubiò gratioreſque multo viuente matre accidiſſent, vt Epaminundam legimus ſolere in hoc gloriari, quòd vtroque parente viuo Lacedæmonios Leuctricâ pugnâ viciſſet. Multis enim adnitentibus viris præcipuis Brabantiæ, qui in Rubenium propendebant, ingenij eius & virtutis amantes, in his Nobili & Cl^mo viro *Nicolao Rokoxio Equite*, opportunè tunc Antuerpiæ I V. Conſule, Brabantus primùm petraro exemplo, mox ciuis Antuerpienſis cupientiſſimâ plebe, & ſtatim, hoc eſt, vno eodemque die, cunctis ſuffragiis Senatui P. Q. Antuerpienſi à Secretis renuntiatur, & Ioanni Bochio viro ſolidè in vtrâque linguâ docto, & inter Poëtas æui noſtri, qui de hac ſtatione ſummi Imperatoris iuſſu deceſſerat, feliciter ſuccenturiatur XIX. Kal. Februar. CIↃ. IↃC. IX. & deinceps quoad vixit, ſanctiſſimam Reip. fidem præſtitit; meritò vt eſſet in illum ſingularis amor omnium ciuium.

Collegas verò conſuetudine ſuâ ſic ſibi deuinxit, vt iis & carus maximè & iucundus eſſet. In his *Henricus de Moy*, I.C. iſtius ordinis atque loci princeps, ſocer meus, *vir prudens, probus, patriæ amans*, qui fidem itidem ſuam & conſtantiam difficillimis temporibus, integritatem & induſtriam quadraginta & ſex annorum, quibus id munus geſſit, ſpatio, publicè & priuatim omnibus probauit, Rubenio filiam ſuam è tribus natu minimam virginem lectiſſimam nuptum dedit, hoc eſt, filium ſibi aſſumpſit, cùm nullos haberet ex ſe natos, & probè noſſet, quod verè Democritus, *qui bonum generum nactus ſit, inueniſſe filium; qui verò malum, ſimul & filiam perdidiſſe*. Annus à nuptiis tantum-non abierat, cùm nouus maritus filiolâ auctus eſt: quam tamen ſocer non vidit, vtpote qui paullò antè viuere * deſierat.

Lipſ Cent. 3. Miſc. ep. 37.

*Et iam ſecuros portus, blandamque quietem*
*Intrabat non quaſſa ratis:*

* 18. *Ian.* 1610. *ætatis anno* 75.

& cui Lipſius aliquando doluit [a] fortunam pro meritis non ridere, votis fruebatur vel ad inuidiam felicibus, coniugio, prole, officio florens. Sed heu res mortalium fluxas & inſtabiles, vt lubrica eſt earum & incerta poſſeſſio! Philippo in ipſo viræ & rerum eius flore, nato annos admodum triginta & octo, pleno gradu ad veræ gloriæ culmen eunti, mors, prô dolor, manum inie-

[a] Cẽt. 2. ad Bel ep. 97. in Teſtimonio.

cit v. Kal. Septembr. CIↃ. IↃC. XI. idque perluctuoſo fati genere. Nam cùm paucis antè diebus à febri laboraret, ſed quam tentatiunculam modò eſſe ſperabamus, non morbum exitialem, lethargus eum ſubitò corripuit, & quo dixi die,

*—— improuiſa leti*
*Vis rapuit,* ſub horam pomeridianam quartam,
*Pocula letaos vt ſi ducentia ſomnos*
*Arente fauce traxerit.*

Biduo pòſt elatus eſt, & in ſinu Matris Telluris, id eſt, communi omnium loco, depoſitus in Æde ſacrâ S. Michaëlis Præmonſtratenſium Abbatiæ, maximo ſui relicto deſiderio & dolore: vxori inprimis, quam neſcio vtrùm feliciorem dixerim, quòd talem maritum habuerit, an miſeriorem quòd amiſerit; tum Petro-Paullo Rubenio, qui germano fratre ſui inquam dimidio orbatus, ſolus iam de ſeptem liberis ſuperſtes quomodo non poteſt non dolere?

*Numquam ego te vitâ frater amabilior*
*Aſpiciam poſthac?*

Quid me cenſes, cui affinem, collegam & quaſi comparem ſtudiorum mors inopinata abſtulit? veriſſimum experior vetus verbum, toties hominem mori, quoties amittit ſuos. Vidua grauida prolem maſculam enixa eſt pridie Id. Septemb. Cui die luſtrico in ſacro fonte alter parens eſſe dignatus eſt *Nicolaus Rokoxius*, & infanti parentis nomen dedit; vt vel ſic teſtaretur, amare ſe mortuum, fauere liberis, diligere totam domum. Habet enim ille vir, ſi quis alius, hanc etiam inter ceteras, quibus abundat, virtutes, maximam in amore conſtantiam, & qui ſic* libens in ſuos beneficia conferr, capere vt videatur conferendo: vti & in Republicâ honores omnes & adeptus eſt facilè, & egregiè adminiſtrauit; vt vetus hoc iam & quaſi domeſticum elogium poſſideat, VIGILANTISSIMI CONSVLIS, PRVDENTISSIMI SENATORIS, ET BONI PVBLICI AMANTISSIMI CIVIS.

*Lipſ. Cét. 3. ad Bel. ep. 66.

Et quoniam nihil *quidquam ſanctius habet reuerentia ſuperſtitum, quàm vt amiſſos venerabiliter recordetur,* vxor marito monumentum ex marmore poſuit, ſupremum affectus & pietatis officium, cum Epitaphiâ hac inſcriptione:

Auſonius in Parcatal.

PHI-

# PHILIPPO RVBENIO I. C.

IOANNIS CIVIS ET SENATORIS ANTVERP. F.

MAGNI LIPSI DISCIPVLO ET ALVMNO
CVIVS DOCTRINAM PAENE ASSECVTVS,
MODESTIAM FELICITER ADAEQVAVIT:
BRVXELLAE PRAESIDI RICHARDOTO,
ROMAE ASCANIO CARDINALI COLVMNAE,
AB EPISTOLIS, ET STVDIIS;
S. P. Q. ANTVERPIENSI A SECRETIS.

ABIIT, NON OBIIT, VIRTVTE ET SCRIPTIS SIBI SVPERSTES,
V. KAL. SEPTEMB. ANNO CHRISTI CIↃ IↃC. XI. AETAT. XXXIIX.

MARITO BENE MERENTI MARIA DE MOY,
DVVM EX ILLO LIBERORVM CLARAE ET PHILIPPI MATER,
PROPTER ILLIVS EIVSQ. MATRIS MARIAE PIIPELINCX SEPVLCHRVM
HOC MOERORIS ET AMORIS SVI MONVMENTVM P. C.

BONIS VIATOR BENE PRECARE MANIBVS:
ET COGITA; PRAEIVIT ILLE, MOX SEQVAR.

De Rubenij noſtri laudibus quidquid ego dixero, minus erit poſt magnum illum *Iuſtum Lipſium*, qui vt ipſe omnium calculo πανάρετος erat, ita [a] alienas virtutes ſiue dotes videbat facilè, & viſas amplectebatur atque amabat; illius inprimis quem cognitum perſpectumque habebat quotidianâ vitæ conſuetudine; *quæ*, teſte Comico, *cuiuſque ingenium vt ſit, declarat maximè.* Ille itaque loquatur, nihil nos neceſſe eſt. [b] *Liberale ingenium eſt, & ad optima quæque factum.* [c] *Doctrina varia in Græcis Latiniſque, ſtilus in vtráque oratione, prosá & vorsâ, elegans, & famæ etiam producendæ, notitia antiquitatum & hiſtoriarum,* [d] *& quod caput mihi quidem, iudicium in pleriſque omnibus purum & directum.* [e] *Quid mores?*

[a] Cent. 2. Miſc. ep. 26.
[b] Cent. 1. ad Bel. ep. 57.
[c] Cent. 5. Miſc. ep. 64.
[d] Cent. 5. Miſc. ep. 65.
[e] Cent. 5. Miſc. ep. 64. & 65.



Digitized by Google

*res? ipſa ſuauitas, ipſa probitas; & quos vel in filio, ſi Deus dediſſet, optem.* Et ad hanc morum elegantiam MODESTIA ſi adiungitur, [a] *quantum decus accedit? ſicut auro à gemmâ.* Illa eſt quam Lipſius ſe [b] *vnam virtutum amare eximiè* fatebatur, *reliquarum parentem, & Sapientiæ ipſam prolem.* adeoque [c] æſtimabat tollebatq. ſuper nomen omne litterarum, vt [d] hoc hili aut pili non faceret ſine iſtâ. Et quia Rubenius [e] hanc vnà cum Probitate à Naturâ attulerat, veritus non eſt appellare eum [f] *Modeſtiam ipſam*, & hinc [g] *gemmam adoleſcentis*, [h] *gemmam inter Belgas*, [i] *rari adoleſcentis decus*. Cui ſi [k] *vitam Numen largitur, ſparget & ipſe ingenij ſui lumen, & ad exteros ac poſteros diffundet*. Et hæc quidem [l] *ex fide & vero* Lipſius, qui [m] fuco verborum nemini imponebat. *Blandicella nimis verba dare*, ait [n] alibi, *non eſt meum, ſerias laudes malumus, quas & cui damus, & qui audiunt, pariter agnoſcant.* Et nunc de Philippo: [o] *Adeò ſupra rem nihil adſtruo, vt pro re non dicam. vis fidem? experire.* [p] *ego ſpondeo optimâ & Romanâ fide, non ſolùm pro opinione tuâ, ſed ſupra Rubenium futurum,* [q] *& plura* te aut certè *diſtinctiora, quàm dixerim, inuenturum.* [r] *Atque vtinam interiorem eum totum, & bona egregij animi noſſes.* [ſ] *O vos quibus Virtus & Honos cara, carum hunc habete, producite, applaudite.* Quem currum aut quam lauream cum hac Lipſij laudatione compares? Atqui tam eximias animi & ingenij dotes noſter non aliò vertit, ſed ad honeſtiora ſtudia, & litterarias quoque curas ac lucubrationes, contulit. Fidem faciunt præter *Electorum libros*, quos ante ſexennium foras dedit, *B. Aſterij Amaſeæ Epiſcopi*, quas nunc damus, *Homiliæ quinque*, feliciter ab eo in Latinum ſermonem è Græco verſæ. Perennabunt hæc cōtra Temporis inuidiam, quamdiu aut vſus litteris erit, aut Eloquentiæ pretium: & cùm omnes eâ lege nati ſimus, vt fuiſſe dicamur, *Jllum aget pennâ metuente ſolui*

*Fama ſuperſtes.*

Deſino, ſi magni Præſidis Richardoti iudicium & honeſta verba de Philippo Rubenio produxero. Ille paullò antè quàm diem ſuum obiret, cùm de noſtro, vt fit, ſermo incideret, ſeriò teſtatus eſt, *vnicum ſibi fuiſſe ab Epiſtolis & Secretis pro animi ſui ſententiâ, & tales viros deligendos eſſe, quibus committantur arcana ſtatus.* Viuunt hodieque inter primores patriæ, qui (ſolidè ſcio) ſi hæc lecturi ſunt, non defugient auctoritatem.

[a] Cent. 4. Miſ. ep. 43.
[b] Cent. ad Ger. ep. 89
[c] Cent. 3. Miſc. ep. 34.
[d] Cent. 5. Miſc ep. 33.
[e] Cēt. 2. ad Bel. ep 97.
[f] Cent 4. Miſc. ep. 77.
[g] Cent. 5. Miſc. ep. 64
[h] Ead. Cēt ep. 30.
[i] Ead. Cēt. ep 65.
[k] Ead. Cēt. ep. 70.
[l] Cent 2. ad Belgas, ep. 97.
[m] Cent. 3. Miſc. ep. 47. in Teſtim.
[n] Cent. 3. ad Belgas, ep. 33.
[o] Cent. 2. ad Belgas, ep. 97.
[p] Cent. 5. Miſc. ep. 65.
[q] Cent. 5. Miſc. ep. 65.
[r] Ead. Cēt. ep 65.
[ſ] Cent. 2. ad Bel. ep. 97. in Teſtim.

IOAN-

# IOANNIS WOVERI
## ANTVERPIENSIS
# DE CONSOLATIONE
## AD
## PETRVM-PAVLLVM RVBENIVM
## LIBER.

QVOD in luctu ſummum eſt, PETRE-PAVLLE V. Amiciſſ^me^, id nobis indenuntiato hoc caſu, fratris tui luctuoſiſſimâ ſcilicet in morte eueniſſe, meritò in cælum ſublatis teſtamur ſuſpiriis. Rarò de dolore ſuo ita mœrentes malè iudicant, vt ſe conſolatione indignos exiſtiment. nobis verò quid relictum quod dolori ſolatium adferre poſſit, aut quod quæſo tanti nominis remedium, vt non infra plagæ dignitatem poſitum eſſe videatur? Poſtquam enim ego diu dolori indulſi, totieſque oculos ſiccaui, quoties amiſſi non modò deſiderium occurrit, ſed vel offertur memoria, ad me redeo, & per errorem inconſultæ mentis ſic etiam atque etiam veritatem interrogo, Anne ereptus nobis eſt? O fati crudelitatem! ille annis vigentibus, incorruptâ valetudine, morum vitæque moderatione, quibus vltima ſenectus debebatur, intra non dierum, ſed feralium horarum ſubitaneum ſpatium animam ah! naturæ reddidit? Quid primùm incuſem? Cælum ne & inimica virtutibus aſtra, quibus pauida mortalium gens labilis vitæ compendia (vt haberet quibus vndique finitæ lucis caſus imputaret) adſcripſit? ſæculum ne & faſtidioſæ vitæ tædia, quibus nemo bonus intereſſe poteſt niſi vt ſibi diſpliceat? Teſtor ego numen, & hanc noſtram infelicitatem, talem nos amiſiſſe, vt quidquid citra DEVM præeſſe vitæ noſtræ aut vanè arbitramur meticuloſi, aut verè prudentes ſuſpicimus, totumque hoc quidquid eſt æui noſtri turbidum ingloriumque, meritò accuſemus, inuidiæque iniuſtam deteſtemur acerbitatem. Dignus

annis-

annis longioribus, moribus erat melioribus. Dignus erat, cuius iudicium iam multâ in ætate canum res patriæ grauiores conſuluiſſent, cuius ingenium longâ eruditione inſtructum terrarum orbis diu ſuſpexiſſet. Nunc quid ſupereſt, niſi vt tantæ virtutis occaſus ſæculo grauis incumbat, & nos perpetuo in mœrore incomparabilis iacturæ damnum deploremus? Sic per indignationem doloris exæſtuat impatientia, auctuſque cauſæ ſuæ commiſeratione mœror, non vt deſinat quærit, verùm miſeris vt modis lamentetur. Accedit nouitatis indulgentia, cui ſapientiæ magiſtri tribuendum aliquid eſſe cenſuerunt. Prima luctus momenta natura ſibi vindicat; rationis imperium, niſi poſtquam triſtitiæ venti conſederunt, atque iræ leniunt, exauditur. Hanc ego auctoritatem ſecutus, priùs nobis ipſis manus non cenſui adhibendas. Ab ipſo adhuc ferro calentia vulnera, venæque ſanguinem ſuum ægrè cohibentes, non vt coëant medicina feſtinat; ſpatium largitur; antè ſaniem educere, quàm procurare ſanitatem tentat. ſic de dolore noſtro iudicaui; moram mœrori aliquam dedi, tam periculoſum ratus ſi intempeſtiuè remedium adhiberem, quàm ſi in totum abiicerem. Citiùs deſinere queſtus, coërcere lacrymas, vix humanum fuiſſet; vltrà producere, mollibuſque aſſueſcere fletibus, nec virile erit. Ergo redeamus oportet; imò DEO, NATVRAE, RATIONI pareamus.

Cic. de vniuerſ. Ecce (vt cum Tullio ſcribam) *optimus & ſapientiſſimus Genitor*

Horat. III. Carm. IV. *Qui terram inertem, qui mare temperat,*

* Stat. 5. Sil. I. * *qui cuncta ſuorum*

*Nouit, & inſpectis ambit latus omne miniſtris,*

ille fratrem tuum, vnum ſcilicet mortalem, vitæ de ſtatione decedere iuſſit. NATVRA, obſequentiſſima famulatrix, morigera admodum fuit. Supereſt RATIO, quæ nos ſic aſſentiri ſibi iubet, vt ipſa cultiſſimis Sapientiæ aucta inſtitutis, ſolo obſequij ſacramento, Imperatori ſuo ad hanc formulam mancipetur:

* *Me Iuppiter Fa-tumq; ducat neceſſitas.* *Ἄγου δέ μ' ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ πεπρωμένη.

Cleanthis dictũ apud Arrian. diſſert. Epict. I. I. c. IIII. Tanti decreti armis muniti, & DEVM SEQVENTES DVCEM, cum dolore humani animi potentiſſimo hoſte, deinceps ſigna conferamus.

Age, vixit frater tuus- meus, (ſi non aliàs, ad conſortium doloris permitte hanc copulam) atque hinc miſerè miſeri ingemiſcimus.

Digitized by Google

mus. Anne feliciores futuri, ſi aut numquam natus fuiſſet (vt quiſpiam cenſuit) aut ſtatim poſt exortum interiiſſet? Pecudis, non hominis hoc votum eſto. At præcipuum ſub cælo animal homo, ratione cluens, oratione pollens, moribundo corpore ſed immortali animâ, hoc aſſequi ſummo ſtudio debet, ne vitam virtute inopem, ſilentio obſcuram tranſeat. Nunc verò, etſi nihil nobis blandiamur, nónne *Probitatis* atque *Eruditionis* inſigni cum laude fratrem humano interfuiſſe conſortio ſcimus? quas dotes quiſquis non modò aſſecutus, verùm exemplis plurimis comprobauit, aliquid illi ad iuſtæ ætatis ſpatium defuiſſe nemo rectæ rationis conſcius cenſuerit.

Sed illiúſne PROBITATEM referam, cuius tam innocens vita exſtitit, vt nihil etiam mendacium quod in eâ accuſaret habuerit? Sinceræ feliciſſimæque virtutis argumentum eſt, cùm diſpliceas malis, maledicentiæ tamen occaſionem iis ſubduxiſſe. Inerat PHILIPPO ingenua rectaque indoles, egregiè ad honeſta omnia prona atque procliuis. Inter virtutes eminebant Candor, Abſtinentia, Modeſtiaque. Candorem ſanè animi, moribus cum maturitate ſuauibus, cum ſerietate amœnis, egregiè miſcuerat. Nam & alienam ab omni ſimulatione ſimplicitatem naturali ruboris bonitate in ſe ſurgentem cùm ingenuè profiteretur; ſic tamen eam apertâ generoſaque prudentiâ inſtruxerat, vt omnibus optatiſſimus, nulli grauis vixerit: & vtilia dulcibus cōdiens, & cum voluptate honeſtâ propinans, conſodalium in animos per delectationem irrepere, per virtutem irrumpere efficaciter conſueuerat. Hæc mihi recogitanti, & cum animo amiciſſimi RVBENI mei memoriam recolenti, fidiſſimi inprimis amici abſolutiſſima imago occurrit. Sanè fidelis ille mihi & dulcis erat, tutoque ſecreti omnis conſcius, & *cuius conſcientiam* (à Sapiente mutuari vera non erubeſco) *minùs quàm meam timebam, cuius ſermo ſolicitudinem leniebat, ſententia conſilium expediebat, hilaritas triſtitiam diſſipabat, conſpectus ipſe delectabat.* denique cùm in omnibus honeſtæ vitæ votis *pari mecum voluntate concineret, eadem vellet vel nollet, crederes* (Minutij elegantiâ quoque vtar) *vnam mentem in duobus fuiſſe diuiſam.* Haue æternùm animula meis intimis implicata ſenſibus; de cuius recordatione mihi ſemper bonarum litterarum amor ſurgit, virtutiſque naſcitur dulciſſi-

Seneca De Tranq. vitæ.

In Octauio.

mum deſiderium. Siue enim condiſcipulatus annos, in beatiſſimo LIPSIANAE familiæ contubernio exactos reuoluo, tu mihi ſocius in rectis, ductor in ſtudiis eras; ſiue reliquam familiaritatis noſtræ ætatem examino, numquam humanæ huius viæ lubricum ſecuriùs declinaui, quàm amicitiæ tuæ innoxiam ſecutus ſocietatem. poſſum enim adoleſcentiæ tuæ comes, ætatis illius conſcius cuius imbecillitatem non vnum tentare vitium ſolet, aſſeuerare, non ABSTINENTIAE te ſolum myſtam, ſed arbitrum quoque fuiſſe; & cuius conſpectum ſic licentia odiſſet, vt etiam fugeret. magnarum hæc prærogatiua virtutum eſt. Catone coram Floralia ſpectare olim Romani theatri propudioſa mollities erubuit. abeuntem plauſu proſequebatur populus; qui terrarum orbem cùm debellaſſet, continentiæ tamen Catonianæ ſubdere collum non dubitauit. Eadem animi quæ corporis in RVBENIO moderatio fuit. non auaritia humani animi vehementiſſima peſtis modicis lætam infecerat mentem; non praui ambitus exitiabile malum ſuâ virtute contentam infeſtabat. Aberat inuidię latens venenum, & ſic exulceratæ contentionis euitabat prælia, vt ſine inimicitiâ vixiſſe, ſine æmulatione diſceſſiſſe, nos interioris notæ amici eius audeamus affirmare.

Tacitus. Modeſtia, *quæ nec ſummis mortalium ſpernenda eſt, & à Diis æſtimatur*, vel ſola hoc præmium merebatur. Si enim diſcordiarum ortus examines, & inuidiæ faces per ſummos imoſque volitantes conſideres, arrogantia mater illos dedit, pertinaciæ flabellum has accendit. Noſter in tantum modeſtus erat, vt huic vni eius virtuti ſæpè amici iraſcerentur. Ego non ſemel, (fateri quàm excuſare culpam malo) ſibi noxiam, aliis inutilem (ſic arbitrabar) ſubmiſſionem caſtigare haut dubitaui. Ille verò patienter audire, maiori adhuc modeſtiâ modeſtiam excuſare ſolebat. Serò, & niſi cùm defunctum deſiderare cœpimus, in optimo viro perfectæ huius virtutis indolem notauimus. Nulla animi moderatio æquè fuco obnoxia eſt: vtque margaritarum ſplendorem vitrum imitari ſolerter ſolet, ſic admodum Modeſtiæ adfinis ignauia erit, niſi ſaluberrimam hanc partem, quæ mereantur potiùs quàm adfectent laudem, actiones comitentur.

Tam illuſtri per ſe ornamento quantum ERVDITIONIS ab eminentiâ decus accedere ſolet! Non ſic egreſſa ad ſolem corpora

pora vmbrarum opacitas ſequitur, quàm oſtentationis periculum eruditionis conſcientiæ adhæret. tale noſter non euaſerat tantùm, ſed raro nimis exemplo, famæ à cupiditate, quæ vt ſuprema tunica poſtremò exuitur, liber agebat. Aſpici alij gaudent, digitoque monſtrari, hic ſubmittere ſe, & neſciri malebat. Ingenium alij producere ſtudent, nominiſque claritudinem editis litterarum monumentis aſſequi conantur; ægrè electiſſimos accuratiſſimæ eruditionis libellos, carminumque guſtum, antiquorum gloriæ comparandum, vix tandem amicorum importunitati conceſſit. Ceteras ingenij dotes percenſere, ad conſolationem feſtinanti haut vacat; neque, ſi vacet, poſſem. pro me maximi viri, omni cum æternitate duraturum præconium exaudiatur: *Doctrina varia eſt in Græcis Latiniſque, ſtilus in vtraque oratione, proſâ & vorſâ, elegans, & famæ etiam producendæ, notitia antiquitatum & hiſtoriarum.* Lipſius. Quod verbis addam nihil habeo, adfectu acclamo: Felix cum paucis vixiſti (ô nunc felicior anima!) tanti elogij claritudine præſtantiaque. interfuiſti immortalitati tuæ quâ nunc frueris, te nulla ſilebunt tempora, nulla ſuperuenientis ætatis obliuio obruet.

Si longiùs iero, Panegyrim contexam neceſſe eſt: ad nos redeo, teque aſpicio Rubenianæ animæ alteram partem. nam ab iſtis ſolatium nos accipere decet, quæ plebeiis luctibus ærumnarum longam materiam ſubminiſtrarent. Hunc enim, quem ſic fata

*Omnibus ornatum voluere excellere rebus,*

eadem immaturo fato ſubduxerunt. Poſſemus non longè petitis rationibus, tragicis acquieſcere choris;

*Fatis agimur, cedite fatis.*
*Non ſollicitæ poſſunt curæ*
*Mutare rati ſtamina fuſi.*

Sed hanc quoque ex neceſſitate patientiam vulgares ſibi norunt aptare conſolationes. Altiùs eamus, & quaſi cæleſtibus aſſiſtentes conſeſſibus, ſupremæ legis ſententiam intrepidè talibus verbis conceptam exaudiamus: PHILIPPVS RVBENIVS, poſtquam annos vixit triginta & octo inoffenſâ valetudine, famâ integrâ, ingenio optimo, iam maritus & pater, amicitiis, munere, ſtatu domi foriſque felix, placidè & quaſi è ſomno res

deſerat humanas. Hanc decretorij iudicij irreuocabilem legem, optimi fratris tui expunctio, mi PETRE-PAVLLE, ſecuta eſt. Quidquid illi ex voto dum vixit prouenerat, luctum noſtrum inſtruit; quidquid moriendo optabile accidit, lacrymas noſtras elicit. diſpari ſanè adfectu felicitatem illius proſequimur. Duo etiam, dum conſolationem admittimus, libera luctui noſtro manere volumus, quòd *immaturè*, quòd *improuisè* ereptus ſit. Cum his oportet congrediamur: vtque curatio quæ in altum deſcenderunt vulnera perſequi ſolet, & medicinam maximè reluctantibus facere; ſic aduerſus refractaria, & hæc dolori ſuo incumbentia, mollibus primùm auxiliis, ſi loco non ceſſerint, vel ignem ferrumque minitantibus remediis agamus. Ante omnia mœroris noſtri cauſſam, tam coniuncti hominis fatum eſſe vt patet; ita illiúſne vicem an noſtram doleamus, haut liquidò conſtat. Eheu! inquimus, miſerandam illius ſortem deflemus, illum dura rapuit neceſſitas immerentem; ah ante diem ſuum occidit infelix! Tales in ſpeciem querelas iam ſolers luctus adferre nouit. Si verò incautum deprehendas, & priuſquam ſe conſulere poſſit,

Lucret. *—— veræ voces tunc demum pectore ab imo*
*Eiiciuntur; & eripitur perſona, manet res.*

Nouitate luctus confecta mater, ô miſeram me! clamat; non filium, ſed vitæ auxilium, conſilium, ſolatium amiſi; ah perij! Etiam dum canos ſuos pater vellit, ſe miſerabilem dicit; ſe ſuamque deſtitutam ætatem eſſe, grauiter lamentatur. Si per omnium recenter quiritantium eiulatus ieris, idem dicent. vt alium lugeant, ſe aſpiciunt; neque mœſtitiam inſtruere poſſunt, niſi cum damno incommodoque ſuo coniunctam eſſe meminerint. Ecce in receſſu poſitam protraho fraudem, remotoque ſipario nudam hanc oſtendo lugentium ſcenam. Omnes hi qui cariſſimorum etiam exceſſus tam pertinaciter lugent, ſuam cauſſam agunt. Nemo alienis malis diu indulgere poteſt; aut ſi conatur, ſe obſeruat, atque in officio oculos continet. ex omnibus turbati animi affectibus ſolùm ambitio luctum inuaſit. vultum, veſtem, domum mutamus, ne minùs quàm moribus neceſſum eſt, triſtes eſſe videamur. Sine pudore iram profitemur, amorem etiam ad gloriam oſtentamus; at ſi mortuum deflemus,

mus, mentiri nos conſuetudo iubet, cùm lacrymas, quas nobis impendimus, alteri imputamus.

Ab huius triſtitiæ turpitudine ingenuus noſter vt recedat dolor, tua meaq́ue in defunctum pietas, illiuſq́ue viciſſim erga nos dum vixit exigit caritas. hoc poſtquam conſecuti fuerimus, ſolum dolori noſtro ſupererit ex defuncti miſeratione argumentum: Quòd ſcilicet in flore tantæ indolis extinctus ſit, quòd ſumma talibus virtutibus non defuiſſent. Sed quæſo, quid iſta ad mortuum pertinent? *Pertinuerunt* (*vt ille ait) *cùm moreretur, pertinent ad nos qui ſuperſumus*. Viden' & fatentis teſtimonium? ſemel frater tuus, vnoque laborantis vitæ momento infelix fuit; ſemper nos erimus, quia ſuperſtites. Sed age, quoniam iam palàm, vt anteà oſtendimus, conſtare volumus noſtrâ nos cauſsâ triſtes non eſſe, ſed IMMATVRE extincti, cariſſimique nobis capitis ſortem deflere; hoc agamus, vt etiam pro defuncto nobis luctum eripiamus, & ne ingenti cum ingratitudine, beatâ quiete compoſito felicitatem exprobrare videamur. Si enim hoc graue illi eueniſſe, inexpectatum, & niſi vis maior intuliſſet intolerabile, adfectus noſtri verbis exclamamus; nónne notam optimo & immerenti, labem candidiſſimo inferimus? Satis enim conſtat Romanorum doctiſſimi ſententiâ, *eos optimè vixiſſe, non qui diutiſsimè vixerunt, ſed qui modeſtiſsimè*. cumq́ue fratris tui præcipua laus Modeſtia ſit, cauendum nobis eſt, ne intemperantiæ noſtræ noxam iniuriamq́ue innoxio impingamus. Faceſſat igitur ſi non improba, ſanè imprudens querela; eumq́ue qui in omnibus moderationem amauit & expreſſit, numquam erga imminentem cunctis mortalitatem tam impotentibus inſtruamus deſideriis. Sed potiùs non immaturam maturo mortem, neque ſapientiæ ſtudiis deditiſſimo miſeram eueniſſe, optimâ cum ratione perſequamur. Maturitatem, ab ipſo ſemente ætatis, feſtinata licet narratio curſim aſſequatur. Tecum nactus parentes ornatiſſimos fuerat. illum eruditione dignitateq́ue clarum, adhuc pueri extuliſtis: hanc ſupra ſexum prudentem, pænè ſupra matrem veſtrorum amãtem, ὁ μακαρίτης noſter, te abſente, ante triennium compoſuit. A teneris ingenij bonitatem animi indoles exſerebat. annos ingenium ſuperabat; ſed hoc iterùm morum ſuauitas, & multarum gratia virtutum commendabat. Qui ſpectabili ſitu

*Plin. Secundus in epiſtolis.

Varronis.



Digitized by Google

foroque imminentem domum exædificat, areæ omnes angulos cum curâ pariterque diſponit; ſic aduerſus anguſtioris vitæ iacturam, præcocem indolem negligere non debui. Cum ruditate multi annis pluſculis præliantur; aliis vitæ partem iuuentutis illecebræ ſubduxerunt. Diutiùs vixiſſe, qui citò ad virtutem ſe contulit, ſatis conſtat. Adoleſcentiam, & cum eâ perfectionem optimæ inſtitutionis, noſter aſſecutus vix erat, cùm magni Præſidis RICHARDOTI in contubernium allectus, breuique tanti viri paternum adfectum meritus, duobus eius cum filiis, IVSTO LIPSIO, ad vberiorem animi cultum capeſſendum, quaſi de manu traderetur. Huic quàm acceptus per quadriennium adhæſerit, nemo ignorare poteſt, niſi qui temporibus noſtris Socratem illum vixiſſe neſciuerit. Me eiuſdem contubernij tunc quoque felicitas habebat; ortumque inter nos ex ſimilitudine votorum ſtudiorumque hoc ſanctiſſimæ amicitiæ fœdus, quod nec mortis triſte diuortium ſeparare potuit. In Italiam, ne quid poſt ſcientiam deeſſet ad ſumma omnia nato, ſemel profectus, iterumque cum propoſito prolixioris abſentiæ cùm ab Ill^mo è COLVMNENSIVM familiâ Cardin. ASCANIO honeſtâ liberalitate inuitaretur. Romæ itaque tecum, pluſquam fraternâ conſuetudine agentem, & procul à profanis curis eruditiſſimo Muſarum otio incubantem, S. P. Q. Antuerpienſis tamquam vacuum occupauit, & ad honeſtiſſimam in Rep. functionem benigniter euocauit. Egregiam ſanè laudem de auguſtæ vrbis iudicio, & quia merebatur, accepit; viciſſimque plenâ manu conferentibus reddidit. Dubium enim eſſe non poterat, ipſos plurimis virtutibus abundare; qui alienas raro ſæculi exemplo inquirerent vltrò atque aduocarent. Mox in defuncti Ioannis Bochij locum, qui vrbi à Secretis fuerat, aſſumptus, ah! compendioſæ etiam adminiſtrationis induſtriâ, promiſcuam bonorum omnium beniuolentiam nactus erat. Lectiſſimæ dein coniugis copulâ felix, prole auctior, omniumque votorum ſummam aſſecutus, quantulum illud eſt, quod annorum pauculorum ſucceſſione acquirere potuiſſet?

O (iterùm imbecillitas noſtra ſuggerit) auxiſſet hæc illi Deus bona! quandoque dignitate, gloriâ, opulentiâ ornatum patria ciuem, ſoboles parentem habuiſſent, qui nunc infauſtè mediis

ſucceſ-

ſucceſſibus ereptus,citò nimis ſuos deſeruit. Ergo infelix,cui nihil in vitâ aduerſi accidit,niſi vt felix moreretur? O nos ſæpè falſos,cùm futurorum euentus lætis ſemper atque optatiſſimis metimur ſucceſſibus! Fruſtrà ſecuritatem ſuam, æratâ dum ſecant æquora puppe, vectores prædicant: vno momento tempeſtates diem abſcondunt, atque terrarum in conſpectu lamentabili nauem inuoluere naufragio poſſunt: tunc diis maris grates gratias dicant,cùm fidam intra ſtationem recepti, profundo morſu nauem anchora alligauit; tunc fidere Neptuno incipiant,cùm læti atque coronati in terram deſcendunt: ſic beatus dici

*Ante obitum nemo ſupremáque funera debet.*

Tunc felix eſſe frater tuus cœpit,cùm vltrà fieri non potuit.Tota quæ hunc finem præuortit, fragilis & caduca felicitas eſt, & *omnis fortunæ blandientis cum periculo nitor*. Certius nullum futuræ tempeſtatis indicium ſcientiſſimi nautæ, quàm nimiò ſibi indulgentem ſerenitatem habent. hæc incautos decipit; vbi luſerunt nauigia, ſorbentur. non aliter aduerſitas diu ex voto fluentem proſperitatem excipere ſolet. Si exempla reſpicimus, nulla tam ſui negligens ætas fuit, quæ notiſſimæ veritatis teſtimonia neglexerit.

Dionyſius Corinthi,Perſeus in triumpho, Seianus in Gemoniis,trita hiſtoricis,celebrata ſæculis nomina ſunt. Citeriora,neque temporibus diſſimilia præſentibus vel argumento incongrua,paucis attingam. Iuſtiniano Imperatori noſtro(ita maximè videtur,ſiue religionem ſpecto, ſiue leges forumque cogito) familiaris admodum atque ante alios carus IOANNES CAPPADOX vixit. Hic enim omnia erat. idem patricius, idem Prætorio Præfectus, idem Conſul ordinarius. diu etiam fuerat; atque eum conſtantiùs ſecuriuſque ſtare omnes arbitrabantur quàm vt cadere poſſet. Sed ô infidæ ſortis plenum contumeliæ exemplum! Solâ primùm ex ſuſpicione,omni gratiâ, dignitate, cunctiſque fortunis exuitur. Cizycum dein tantâ cum inopiâ exulatum miſſus, vt vitæ in remedium ſacerdotium aſſumere coactus fuerit. Quid huic ſupereſſe quis exiſtimet quod eripiatur? iteratâ notatus ſuſpicione in morte Epiſcopi Cizyceni, carceri mancipatur; & ne ſupremum aduerſitatis ludibrium deſideretur, mendicimonij ignotiſſimâ ignobiliſſimaq; pœnâ damnatur.

natur. Ecce, cuius nuper, vno minor Ioue, potentiâ cum ſummâ maieſtate excelſiſſimè floruerat, cuius tamquam ab oraculo regnaque & vrbes pendebant, is per Aſiam Græciamque miſerabiliter circumducitur, atque oſtiatim ſtipem mendicare compellitur. Haut ſublimiùs ſtetit, verùm atrociùs multò cecidit PETRVS CANDIANVS, ipſe quoque nigræ nouercantiſque fortunæ lamentabile ſpectaculum. Venetorum togatæ Reip. Princeps, ætate admodum adoleſcens, ob ſingulares animi corporiſque dotes electus fuit; tantaque initiò moderatione atque æquitate eminuit, vt nemo iuueni obueniſſe locum indignaretur quem ſenes ambire ſolent. Verùm felicitatis ſuæ dum magnitudinem non capit aut menſuram egreditur, Principatu abire, in exilium ire, Patrum ſeuero iudicio (inter quos patris adhuc ſui ſuperſtitis ſententiam ſuſtinuit) compellitur. Sed ab huius mox morte reuocatus, & vrbe & primariæ in eâ dignitatis maieſtate redonatur. Rexit, malo ſuo nimiùm felix, tantâ iterùm cum laude, vt qui eum anteà damnauerant, illo abſente non PETRVM exulaſſe, ſed Remp. iudicauerint. Ecquid huius conditione felicius, ſi proſperitatem attendis; aut miſerius, ſi aduerſa conſideras? Nam è ſublimi illo potentiæ & ciuilis beniuolentiæ ſolio, aut fortunæ inconſtantiâ, vel morum vitæque offenſionibus ſecundùm deturbatus, in ſe concitati populi internecinum odium incitauit. quod in tantum aduerſus modò amiciſſimum dominum inualuit, vt latentem incendio perſequi non dubitauerint. Euadere poſticâ miſerabilis manu filiolum trahens, conatur; ſed fruſtrà: nam furentium in manus illapſus, (ô miſerum dictu!) non capitur modò, ſed Penthei in modum cum puero laceratur: tantaq; in defunctum rabies extitit, vt truncum cadauer in macellum illatum non humanis menſis, ſed caninis conati fuerint parare epulis. Tertium infortunatiſſimæ fortunæ exemplum, curia non procul ſita & præſens ſuggerat ætas. BARNABAM BRISSONIVM dignitate clarum, eruditione cum paucis illuſtrem, Gallia, & in eâ vrbium vrbs Lutetia, numquam ſine lacrymis memorabit. O funeſtiſſimorum temporum piaculare nomen! cauſſam indigniſſimæ necis non indagito; ſed cùm paucorum iudicio damnatum fuiſſe, & talem tantumque in malam iuiſſe

crucem recogito, cumulatiſſimæ veritatis teſtimonio inſtructus, ad inſtituti noſtri ſolatium redeo.

Age hos, eiuſdemque ſortis ſexcentos paſſim in hiſtoriis obuios expende, nónne omnibus hiſce aliquando mortem ſuccurrere potuiſſe adfirmabis? idem de tanto ex feliciſſimis infelicium coràm numero dicemus, ſi oculis magis quàm auribus fidem adhibere decreuimus. Sanè beatos etiam nunc ſingulæ vrbes plurimos haberent, niſi hos ſenectus miſeros reddidiſſet. Multos ſua vitia perdiderũt, quoſdam aliena. Hic priuatis actionibus par erat, per ambitionem ex optimo in peſſimum ſtatum delapſus eſt. Pecuniæ modum ille neſciuit, plus patrimonij viribus imperauit quàm ferre potuerunt. Iſtum auaritia, humani animi vehementiſſima peſtis, dum locupletem facere ſtudet, ad ſtipem redegit. Omnibus hiſce quandoq; vitæ opportunus exitus ſuccurrere potuit. Sed remoueamus à noſtro omnem infortunij à ſe occaſionem; & innatam naturæ benignitate virtutem, liberalium ſtudiorum acceſſione ornatam, ſic prædicemus, vt à ſuperuenientis longiſſimæque ætatis morâ periculum euenire nullum potuiſſe iudicemus: numquam tamen alienæ culpæ aduerſitatem euaſiſſet. viuus aliquando ſæculi huius contumelias ſuſtinuiſſet, quas mortui quoque ferre coguntur. Adde inuidentiam, æmulationes, calumnias: nam has, *melior quo quiſque, hoc ſæpiùs ferre conſueuit*. Nemo gratuitò virtutem poſſidet. pauci ſunt qui cęleſtis DIVAE lucem ferre poſſunt. vt ab oculis ægri Solem horreſcunt; ſic imbuti prauis artibus, optimorum morum ſplendorem ſuſtinere nequeunt. Si conferamus igitur haut adiectæ ætatis commoda cum tot periculorum incommodis, alterum ex immaturo obitu doloris noſtri fulcrum concidet; ſine quo germanum iſtud de improuiſâ morte lamentum quàm titubet, prorſum conſideremus. Seneca ad Polyb.

Quòd *improuiſè* raptus ſit, iuſtum luctum nobis adferret, niſi recenter tunc ſacris expiatus, & ſic ſemper vixiſſet, vt ſine periculo (ô noſtrum votum!) deſubitò migrare potuerit. Ceterùm εὐθανασίας opportunitate, quod vnum in morte malum atq; metuendum eſt, eius ſcilicet ſenſum euaſit. Pænè eſt vt illum dicam non mori, qui ſic deſinit. cùm enim tranſitus in vitam mors ſit, & per beatiſſimam Chriſtianæ pietatis Fidem nos in gaudium repo-

nat ſuprema illa dies, quid optabilius homini euenire poteſt, quàm citra diræ functionis anxietates, inenarrabilibus æternitatis inferi lætitiis? Ab hiſce virilis animi ſolatiis paululùm recedentibus, hæ femineæ iterùm molleſque querelæ oboriuntur: Non vltimum vale per tantam ſibi caritatem coniunctis dixit, non ſupremum ſuauium inter ſingultus, lacrymaſque ſtillantes, amabiliſſimæ vxori dedit. non cordi infantulam vnicam appreſſit, & lugubribus commendauit verbis. Nos verè deficientem animam fouere alloquiis, ad occaſum declinantia tractim lumina obſeruare non potuimus. Adde reliquas effeminatarum cum morientibus deliciarum blanditias. triſtia morientium ſupplicia, viuorum amariſſima ſolatia ſunt. Sanè ineptus eſt, qui à morientibus etiam viuentibus moleſta requirit officia. Nemo cum feſtinatione peregrinantem ad otioſorum trahit occupationes, fauſta tranſeuntibus apprecamur, & ſaluos ire optamus. Idem debuimus nos, & fecimus.

Quid igitur reliquum, vnde luctum noſtrum ex defuncti ſorte inſtruamus? Si non intempeſtiuè abiit, qui vitæ ſpatium nactus in quo animi ingeniiq́ue virtutes omnes explicaret; nec feſtinatò ereptus, qui aduerſus hos caſus ſapientiæ præceptis diu animum indurauerat: ſupereſt, vt ſi luctum extendimus, fateamur noſtram nos infelicitatem deflere. Ecce à quo refugeramus, ad hanc relabimur ingratitudinis notam. Igitur non poſſimus deinceps hunc fouere dolorem, niſi ingrati ſimul iniuriiq́ue ſimus aduerſus benificentiam ſummam. Nec merenti, neque exigenti, qui momentaneum vltrò beneficium confert, nónne repetendi ſibi ius liberum ſeruat? Æquius in fratre illud ferre debemus, quod omnibus nobis imminet. hac conditione vſuram lucis accepimus, vt gratuitò infuſam citra querelam reddamus. Nemo ſe natum aliâ lege cogitet. inſcij vitam accepimus; pro beneficio conuitium reddimus, ſi repetenti moram nectimus, & nequidquam profuturis lamentis extendere conamur, quod noſtro ex arbitrio numquam deſinit. Seruulis ſubditiſq́ue iraſcimur, ſi indulgentiâ noſtrâ abutantur; nobis natura meritò, ſi aduerſus immutabilem legem, ridendam viuendi cupiditatem prorogamus. Quin potiùs nos contumaciter erigimus, & cæcis mortalitatis ludibriis, etiam cùm deſiiſſe videtur, virtutis immor-

immortalitatem exprobramus. Xenophon, Socraticæ diſciplinæ aureum germen, auditâ filij morte nec ingemuit quidem. poſtquam verò fortiter in acie agentem occubuiſſe intellexit, Deorum quibus faciebat aram tangens, atque ſacrorum fidem implorans, maiorem ſe ex filij virtute voluptatem, quàm ex morte mœrorem percipere affirmauit. Quod inter prælij aduerſa cadentis fortitudo ſolatium dedit, nobis multarum virtutum conſummata probitas negabit? Adde ingenij laudes, quæ vt viuum protulerunt, ſic defunctum numquam celebrare deſinent. Supereſſe fratrem tuum optimâ ſui parte, quâ nec interitum timet, ſed toto venturæ ætatis ſpatio fruetur, dicamus. Editis ſtudiorum paucis ſed duraturis monumentis, ab æternitate adoptatus eſt. Laudabunt poſteri ingenij amœnitatem, eruditionis elegantiam; & cùm in vitam moreſque inquirent, gaudebunt aduerſus obliuionem ſtare cognitione ſuâ digniſſimum nomen. Augebit hanc gratiam maximi viri immortalitas; nullus enim gnatum ſuum pater magis dilexit, quàm iudicio atque amore RVBENIVM ſuum inclytus LIPSIVS complexus fuit. nihilo minùs ergo noſter ignotari poterit, quàm ſileri ille cuius adhuc viuentis famam tanto applauſu præſens ſæculum poſteritati dedicauit. De tuo igitur germano ſecuri, nobis digniſſimam ex bonorum omnium deſiderio conſolationem imperemus. Omnes hi qui tecum lugent, de tali tibi fratre gratulantur. Verùm beniuolentiæ breue teſtimonium luctus eſt; diu deſiderari niſi ſumma poſſunt. imò optatiſſimorum cùm finis adeſt, incipit fructus. omne enim gaudium volucre eſt, neque honeſtæ etiam rei voluptatem metiri animus dum fruitur poteſt. ſuccedit memoria, quæ ſtabili recordationis ſuauitate mentem perfundit, & in illius delectationis poſſeſſionem nos mittit quæ deinceps eripi non poteſt. Age, totum nunc fratrem tuum complectere & poſſide. morum eius candorem, vitæ laudabiliter actæ tenorem recenſe. vt nihil requiras, pueritiæ innocentiam, adoleſcentiæ iucunditatem, & ad quam peruenerat virilis decentiæ ingenuam maturitatem, examina. Si ioci occurrent, amabis innoxiam hilaritatem: ſi ſeria, inuenies indefeſſam ſedulitatem. Poſt hanc animi figuram, corporis imago occurret. ille vultus adſpectu mitis, pudoris purpurâ ſic tinctus, vt in obuios intrà latentis honeſtatis

ſemper ſigna ſpargeret, numquam te ſine conſolatione dimitteret. Sed heus, dum ſimulachrum coniunctiſſimi hominis memoriæ oculis recolo, atque præproperâ canitie perſperſum caput aſpicio, quàm benigniter feſtinatæ ſenectutis hiſce indiciis nobiſcum natura egerit conſidero. Obuiàm iam tunc mœrori noſtro iuit; dumque fata emendare non poteſt, vt vel lacrymis occurreret, oculis fucum facere inſtituit. Imponamus nobis, & quem caneſcentem amiſimus, ſenem fuiſſe nobis perſuadeamus. Nec à corpore tantùm hoc ſolatium pendet. Age, hos ſenes circumſpice, magnam vrbem examina; vnum mihi ſuggere, à quo humanitatis atque elegantioris eruditionis in ſtudiis diſcere aliquid frater tuus potuiſſet. Si igitur annos ſeponimus, dotes æſtimamus, omnes ætate ſuperauit, qui nobis primam intra iuuentam occidiſſe videtur.

Habes quæ ad luctum ſedandum non compoſitæ atque ornatæ orationis oſtentatio, ſed amoris atque beniuolentiæ teſtatiſſimum exarauit ſtudium. Tu ſi animum, RVBENI dulciſſime, adfectumque amantis perpendis, præſtiti quod amicus debet, imò poteſt. *In amicis enim non res quæritur, ſed voluntas; quia alterum ab inimicis ſæpè præbetur, alterum ſola caritas tribuit.* Non igitur vt ingenium probarem, amicum laudaui; ſed quia quod ſummum habui, meritiſſimo tribuere debui, ſcribendi facultatem, ingeniique aliquantum laborem impendi. Ah fateor! tu meliorem fratrem cùm nullis votis optare potuiſſes, ego candidioris fidei atque integritatis ſodalem, contubernalem, amicum numquam habiturus ſum. Supereſt, vt deſiderio ſufficiat ſolatium ex neceſſitate durum, ingloriumque, aut per virtutis æſtimationem cum ratione quæſitum. Si nihil horum prodeſſet, ipſum qui præceſſit ſecuturi audiamus. *Quem adfectio requirit luctum, mihi impendiſtis. Ceterùm neque ſortem meam dolor decet, neque ignaui queſtus veſtram firmitatem. Vixi vt vidiſtis, imò potiùs ſpectatiſſimè florui. quæ perire citò ætas debebat, feſtinauit. ſic lilia, ſic roſæ, violæque, ſic quidquid ad ſummam gratiam citiſſimè prouehitur, ad fidem ſuum currit. Sed ânne aliud humana poſtulant vota, quàm vt optima ſtatim eueniant? quæ pauciſſimi, per tot diſcrimina rerum, vltimis ſenectutis vix aſſequuntur annis, mihi Deus, necdum adoleſcentiam egreſſo, contulerat. Si me infelicem inge-*

D.Hieronym.

*ingemiſcitis , proſperitatem omnem deflete quæ maturè prouenit. Aurum tamen & gemmæ , quæque ſuſpicere cupiditas ſolet , nec multa ſunt , nec mole placent. quidquid in aceruum excreſcit & horrea vincit , vilitatem copiâ facit. Si annos prætereo , quæ obtigerunt bona enumero , ſatis vixi : at ſi pericula mortalium , poſtquam euaſi , examino ; lætus ſanè atque lubens ,*

*—Spes, vota, timorem,*
*Sopitus placido fine, relinquo aliis.*



Digitized by Google

# IN OBITVM
## CLARISSIMI VIRI
# PHILIPPI RVBENI I. C.
## S. P. Q. ANTVERP. A SECRETIS
## ELEGIA,

Ad Clariſſimum V. IOANNEM BRANTIVM I. C.
eidem S. P. Q. Antuerp. ab Actis.

*ERGO iterùm ad fletus, ac lamentabile carmen,*
*Et vocat ad mæſtos Mors properata rogos!*
*Sic eſt. ô ſortem inuiſam! quid triſtia gaudes*
*Funera funeribus accumulare nouis?*
*Siccine perpetuis damnantur fletibus ora?*
*Et memori luctu pectora crebra ſonant?*
*Vix Grudios poſtes liquit funeſta cupreſſus,*
*Dilia vix feſſum ſuſtulit amne caput:*
*Vix lacrymis ſiccati oculi; ſedet ebria planctu*
*Muſa priùs grauibus docta vacare modis,*
*Dum gemit, & IVSTI recolit funebria LIPSI,*
*Quem pridem fato Mors properante tulit.*
*Cuius ad interitum melioris ſemina vitæ,*
*Et periêre tuæ Belgica deliciæ.*
*Cuius ad interitum dulces Heliconis alumnæ*
*Ruperunt placidæ fœdera priſca lyræ.*
*Quas velut è LIPSI rediuiuus funere Phœnix*
*RVBENIVS, ſolitum reddere cogit opus:*
*Dum quos Lipſiaco cumularat flumine riuos,*
*Munificâ gaudet fundere poſſe manu.*
*Hinc Græco pariter, Latioque aſſurgit in æſtu*
*Promit & ingenij tot monimenta ſui.*

*Nam*

*Nam Sophiam, & gemini numeroſa volumina Iuris,*
*Et Phœbi & doctæ Pallados auctus ope,*
*Hauſerat, vt quidquid cæcis latet vſque tenebris*
*Contectum, facili redderet eloquio.*
*Teſtantur* *SELECTA *graui modulata cothurno,* * Electa Phil. Rub.
*Sera vetuſtatem quæ monimenta colent.*
*Illius incoctum generoſo pectus honeſto,*
*Cultáque Pieriјs verba diſerta modis,*
*Et Grudiј, & magni quondam ſtupuêre Quirites,*
*Et ſtupuit Procerum nobilis aula virûm.*
*At ſortem immitem rerum! dum digna parantur*
*Præmia, & emerito creſcit honoris apex:*
*Atque ſuo gaudet felix Antuerpia vate,*
*Et ciui applaudunt cuncta theatra nouo:*
*Ecce, velut mediâ Phœbe tellure laborans*
*Deficit, & fratris lumine caſſa manet;*
*Sic diræ ſubito percuſſus vulnere mortis,*
RVBENIVS *patriæ fidus honórque ſuæ*
*Occidit; & noſtri generis contagia ſpernens,*
*Conſcendit niuei lucida templa poli.*
*Parce igitur querulos Antuerpia fundere luctus,*
*Nec toto in fletus pectore triſtis abi.*
*Nam cui credideras ſupremi arcana Senatus,*
*Nunc meliore ſui parte beatus agit.*
*Inter Cælicolas (ſuadet Pietáſque, Fidéſque*
*Nota viri) æterna veſcitur ambroſiâ.*
*Et tu qui reliquos inter cultiſſime* BRANTI
*Doctrinæ radio ſplendidiore nites,*
*Cuius & ingenium, & vigil experientia Legum,*
*Viuet, & æternos pagina ſcripta dies;*
*Parce ſuperuacuum lacrymis vrgere ſepulchrum,*
*Parcito lugubres fundere ab ore ſonos.*
*Ante diem ſubitâ quem ploras morte peremptum,*
RVBENIVS *animæ portio magna tuæ:*

*Quem*

*Quem tibi Muſa frequens, niueúſque in pectore candor,*
*Et ſtudia, & longus conciliauit amor:*
*Pactáque quem pridem ſocialis fœdera lecti*
*Inter & affines conſtituêre tuos:*
*Ecce ſerenati factus nouus incola cæli,*
*Tutus in elyſijs pace beatur agris.*
*Scilicet à tenui pendent mortalia filo,*
*Et reducis vitæ clauſa adamante via eſt.*
*Ergo dum cineres tellurem, & ſpiritus æthra*
*Incolet, vt maneat poſtuma fama viri,*
*Quod facis, emeritæ peragas præconia laudis;*
*Nominis vt viuat gloria magna ſui.*
*Et ſi fortè latent perituris inſita chartis*
*Scripta, quibus nuper dedita lima fuit:*
*Inuida quæ vetuit Lacheſis committere prælo,*
*Nullus vt à ſero funere creſcat honos:*
*Fac precor vt veniant optati ad luminis auras,*
*Et volitent latè docta per ora virûm.*
*Dumque nequis lacrymis properata retexere fata,*
*Hoc age, vt Affinem fama loquatur anus.*
*Fac etiam vt Fratris Frater poſt fata ſuperſtes,*
*Aemula cui cælo dextera, mensque data eſt,*
*Quâ poterit, certâ ſollers arte exprimat ora,*
*Et Frater Fratris viuat in effigie:*
*Dumque hic arte ſuâ, ſuperéſtque in imagine Frater,*
*Alteri ab alterius munere ſurget honos.*

*Erat Sotorius Io. Brant. I.

*Aſterius Latinè redditus.

*Petrus Paulus Rubenius, Pictor illuſtris.

Mœrens parentabat Laurentius Beyerlinck,
S. T. L. Canonicus & Archipresbyter
Eccleſ. Cathedr. Antuerpienſ.

ÆTER-

# ÆTERNIS MANIBVS
## clariſſimi & præſtantiſſimi Viri
# PHILIPPI RVBENI I.
## ELEGEIA.

*ET meritò, quia tot vates ploramus ademtos,*
*Barbaries toto figit in orbe pedem:*
*Omniáque à Pindo ſe Numina declinarunt,*
*Suſtinet & magnam Cynthius inuidiam.*
*Intereà rapidis vehitur Mors alta quadrigis,*
*Et Lacheſis grandeis fertur habere manus.*
*Ah! habuit certè, cùm te noua cura Deorum,*
*Primáque Nympharum gloria Theſpiadum,*
*Suſtulit ex oculis, & funere merſit acerbo,*
RVBENI, *ô animæ portio magna meæ,*
*Florentem ſtudij palmis, ætate virentem,*
*Et vixdum teneri limina coniugij*
*Ingreſſum, & primos carpentem à coniuge fructus.*
*Talis erat toto luctus in Idalio;*
*Cùm Paphie gemuit Cynaræi vulnus amici,*
*Et iuuenile nocens ruperat inguen aper.*
*Vernabant roſeæ dubiâ lanugine malæ,*
*Et flos purpureis vndique temporibus*
*Serpebat placidè: qualem ſub origine primâ*
*Vidimus intactam picta per arua roſam,*
*Aut mollem in pratis Narciſſi ſurgere florem,*
*Quem neque ſol ardens, nec fera ſtrinxit hiems.*
*Quem poſtquam rabies dentis percuſſit aprugni,*
*Languidus acclini decubuit capite.*
*Non illi Veneris blandi auxiliantur amores,*
*Nec de ſidereis baſia ſumpta labris.*

*Quid tua Dircæis tibi nunc Sapientia chartis*
*Profuit, aut Phœbi dicere poſſe vias?*
*Aut germana ſibi vſurpantis lumina Phœbes,*
*Nocturno quoties pallida inerrat equo?*
*Quid benè Romuleo ſignatos Conſule Faſtos*
*Callere, & quidquid nobilis Hiſtoria*
*Ritè Mycenæis illeuit prouida ſcriptis?*
*Siue alio atque alio clarus honore venis?*
*Tu licet Heptapylas diuino carmine Thebas,*
*Belláque pro Thebis non benè geſta canas;*
*Laomedonteosque dolos, & Pergama Graiâ*
*Per duo vix tandem ſubruta luſtra manu,*
*Et Telamoniadæ furias, profugúmque per omne*
*Dulichium memores carmine Carpathium,*
*Duráque multa viæ, duríque aſperrima belli;*
*Nullo ſollicites carmine Perſephonam.*
*Lex manet, & rigido fortes adamante Tabellæ,*
*Quas non vlli hominum diffugere atque Deûm eſt.*
*Sæpè Deûm genitor læſos plorauit amores,*
*Et vacuâ doluit nil ſupereſſe colu:*
*Sæpè tuam fleſti ſubreptam Delie curam, &*
*Thiodamantei nobilis ardor Hylæ.*
*Scilicet eſt ipſos ea gloria lædere Diuos.*
*Funere quis læſos non putet eſſe tuo,*
RVBENI, *Charitum & Muſarum intacta voluptas,*
*Et Phœbo Inachium nobilis ante Linum,*
*Orpheaque, & quantum genuerunt aurea Vatum*
*Tempora, cùm ingenij plurima laurus erat?*
*At nunc barbaria eſt opibus præferre Camœnas,*
*Et nudum Aoniæ colligere artis opus.*
*Te tamen inuiti quamuis ſtupuere canentem,*
*Et tua peruicit barbara corda lyra;*
*Sæpè etiam ad cantum Nereïdes obſtupefactæ*
*Optarúnt iſtas tangere poſſe manus,*

*Langui-*

*Languidáque infuſo decerpere brachia collo,*
*Et patrijs totum ſurripere æquoribus.*
*Ipſe nec vndiſono manſit Portumnus in antro,*
*Tritonéſque vagis inſiluere vadis,*
*Diuino quotiens mulcens modulamine* SCALDIM
*Feciſti celeres lentiùs ire rateis:*
*Blandáque nobilibus ſurrepens verſibus Echo*
*Cephiſi veteres eleuat inde faces.*
*Omnia plauſerunt, Diuique hominéſque, canenti*
*Ruráque, & Aduaticæ nobile flumen aquæ,*
*Et blandæ volucres, & denſæ robora ſiluæ,*
*Et Tybris, & Tybridi proxima* ROMA *ſuo.*
*Hos quoque in Iliacæ mulſiſti gramine ripæ,*
LIPSIADEN *magnos cùm pia cura Deos*
*Poſceret: O magnæ cuſtos fidiſſime Romæ,*
*Cuius ſancta meos prænatat vnda pedes:*
*Vosque ô Tyrrheni colles, & Martia Romæ*
*Mœnia, Romuleæ condita lacte lupæ,*
*Hoſpes ad innocuas ſi non feci impius aras,*
*Si nihil arcanis poſcere ſupplicijs*
*Vos vmquam placuit, mihi me nunc reddite, nam me*
*Surpuit ah! quondam* LIPSIVS *ipſe mihi.*
*Aut mihi* LIPSIADEN *veſtris adducite muris,*
*(Quod, Diui, potiùs diſcupio & voueo)*
*Et vouet ipſe cupitque; ſed illum ninguida cautes*
*Detinet extremis horrida littoribus.*
*Siue valetudo venientem infauſta moratur,*
*Et dulci tenuem ſubmouet Italiâ.*
*Quòd ſi magna peto, patriæ me reddite terræ,*
LIPSIADAE *vt liceat rurſus amore frui.*
*Hæc miſer aërijs iactabat commoda ventis.*
*Illum ſed longâ tabe ſoluta dies*
*DIs miſcet patrijs, longoque abſoluit amore.*
*Fallor: & à tumulo fortior exit amor.*

*Ergo tuam,* LIPSI, *voluiſti adiungere curam,*
*Vt tecum magno lætus in Elyſio*
*Erraret. geminos ea nunc viridaria* MANEIS
*Æternis iunctos ſepoſuêre loco.*

IVSTI RYCQVI Gandenſis.

PIIS MANIBVS
# PHILIPPI RVBENI
## S. P. Q. A. A SECRETIS
LVDOVICVS NONIVS
PARENTAT.

ERGO *immaturo potuiſti tollere leto*
*Delicias Phœbi ſacras, doctæque Mineruæ,*
*Impia Mors! vixdum funeſto poſte notarat*
*Perſephone, & furuis caput hoc damnauerat vmbris:*
*Ah! properata nimis, Parcarum dira ſatelles,*
*Præcipitas Fati nutus, ac iuſſa capeſſis.*
*Inuida Mors! cur Belgarum ſic ſtinguere Ocellum*
RVBENIVM *acceleras primæuo in veris honore,*
*Cùm pateris viles animas, fæcemque popelli,*
*Vltima deſpectæ percurrere tempora vitæ?*
*Temporis exiguum ſic florum gratia vernat,*
*Ac tenerum amittunt fugitiuâ ætate decorem;*
*Seu gelidi incubuit cælo violentia Cori,*
*Seu rapidi Titanis equis incanduit æther:*
*Sed lappæ tribulique, & noxia germina paſſim*
*Egelidas poſſunt hiemes perferre, vel æſtus.*
*Crudeles Parcæ! quænam, ah, quæ ſæua lubido*
*Carpere vos ſubijt, vix ſeptem luſtra ferentem?*
*Non ſancti mores, blandæque modeſtia frontis,*
*Non vitæ integritas, potuerunt ſiſtere fata*

*Imma-*

*Immatura nimis, atque exorare ſenectam?*
*Quid iuuat Aonidum dio maduiſſe liquore?*
*Quid Themidos hauſiſſe ſacræ præcepta* PHILIPPE?
LIPSIADÆ *aut magno ſtudium impendiſſe tot annis,*
*Ac totiens doctis noctem euigilaſſe Camœnis?*
*Pierij ſi cura gregis te nulla remordet,*
*Phœbe pater, doctiſque negas ſuccurrere alumnis?*
*Scilicet auxilium ſuperùm cultoribus adfert*
*Quiſque ſuis, faciliſque exaudit vota clientum.*
*Æacidem in dubio verſantem turbine leti*
*Mulciber eripuit, multùm obluctante Scamandro:*
*Dardanium potuit denſâ caligine ſeptum*
*Paſtorem Cytherea ſuum ſubducere bello.*
*Quid? lacerum Hippolytum valido medicamine ab Orco*
*Aſclepius rurſus Dite indignante reduxit.*
*Debuerat ægro medicus ſuccurrere Pæan,*
*Atque ſalutiferis morbum depellere ſuccis.*
*Vos decuit Muſæ Parcarum obſiſtere iuſſis,*
*Vos decuit veſtro Libitinam auertere Myſtæ.*
*Sed quid ego hæc, luctu nequidquam oppreſſus acerbo,*
*Conquerar? aut ſperem lacrymis inflectere Diuos,*
*Si noſtras haurire ſolent ſurdâ aure querellas?*
*Heu fera ſors hominum, ſæuique iniuria fati!*
*Optima quæque cadunt primo intercepta ſub æuo,*
*Nec patitur Numen ſeros attingere ſoles.*
*Sic rapuit iuuenem mors imperioſa Tibullum,*
*Sic rapuit iuuenem Ciuilia bella tonantem,*
*Sic Macedum Regem, ne totum vinceret orbem,*
*Abſtulit hora nocens, & funere merſit iniquo.*
*Quid memorem Titum, Romanæ gaudia pubis,*
*Innumeroſque alios, Lacheſis queis improba vitæ*
*Stamina diſſoluit, florenteiſque abſtulit annos?*
*Sic viſum eſt ſuperis, nec fas inuertere iuſſa*
*Aſpera fatorum, rigido deſcripta adamante.*

*Ergo tuam,* LIPSI, *voluiſti adiungere curam,*
*Vt tecum magno lætus in Elyſio*
*Erraret. geminos ea nunc viridaria* MANEIS
*Æternis iunctos ſepoſuêre loco.*

IVSTI RYCQVI Gandenſis.

PIIS MANIBVS
# PHILIPPI RVBENI
## S. P. Q. A. A SECRETIS
LVDOVICVS NONIVS
PARENTAT.

ERGO *immaturo potuiſti tollere leto*
*Delicias Phœbi ſacras, doctæque Mineruæ,*
*Impia Mors! vixdum funeſto poſte notarat*
*Perſephone, & furuis caput hoc damnauerat vmbris:*
*Ah! properata nimis, Parcarum dira ſatelles,*
*Præcipitas Fati nutus, ac iuſſa capeſſis.*
*Inuida Mors! cur Belgarum ſic ſtinguere Ocellum*
RVBENIVM *acceleras primæuo in veris honore,*
*Cùm pateris viles animas, fæcemque popelli,*
*Vltima deſpectæ percurrere tempora vitæ?*
*Temporis exiguum ſic florum gratia vernat,*
*Ac tenerum amittunt fugitiuâ ætate decorem;*
*Seu gelidi incubuit cælo violentia Cori,*
*Seu rapidi Titanis equis incanduit æther:*
*Sed lappæ tribulique, & noxia germina paſſim*
*Egelidas poſſunt hiemes perferre, vel æſtus.*
*Crudeles Parcæ! quænam, ah, quæ ſæua lubido*
*Carpere vos ſubijt, vix ſeptem luſtra ferentem?*
*Non ſancti mores, blandæque modeſtia frontis,*
*Non vitæ integritas, potuerunt ſiſtere fata*

*Imma-*

*Immatura nimis, atque exorare ſenectam?*
*Quid iuuat Aonidum dio maduiſſe liquore?*
*Quid Themidos hauſiſſe ſacræ præcepta* PHILIPPE?
LIPSIADÆ *aut magno ſtudium impendiſſe tot annis,*
*Ac totiens doctis noctem euigilaſſe Camœnis?*
*Pierij ſi cura gregis te nulla remordet,*
*Phœbe pater, doctiſque negas ſuccurrere alumnis?*
*Scilicet auxilium ſuperùm cultoribus adfert*
*Quiſque ſuis, facilíſque exaudit vota clientum.*
*Æacidem in dubio verſantem turbine leti*
*Mulciber eripuit, multùm obluctante Scamandro:*
*Dardanium potuit denſâ caligine ſeptum*
*Paſtorem Cytherea ſuum ſubducere bello.*
*Quid? lacerum Hippolytum valido medicamine ab Orco*
*Aſclepius rurſus Dite indignante reduxit.*
*Debuerat ægro medicus ſuccurrere Pæan,*
*Atque ſalutiferis morbum depellere ſuccis.*
*Vos decuit Muſæ Parcarum obſiſtere iuſſis,*
*Vos decuit veſtro Libitinam auertere Myſtæ.*
*Sed quid ego hæc, luctu nequidquam oppreſſus acerbo,*
*Conquerar? aut ſperem lacrymis inflectere Diuos,*
*Si noſtras haurire ſolent ſurdâ aure querellas?*
*Heu fera ſors hominum, ſæuique iniuria fati!*
*Optima quæque cadunt primo intercepta ſub æuo,*
*Nec patitur Numen ſeros attingere ſoles.*
*Sic rapuit iuuenem mors imperioſa Tibullum,*
*Sic rapuit iuuenem Ciuilia bella tonantem,*
*Sic Macedūm Regem, ne totum vinceret orbem,*
*Abſtulit hora nocens, & funere merſit iniquo.*
*Quid memorem Titum, Romanæ gaudia pubis,*
*Innumeróſque alios, Lacheſis queis improba vitæ*
*Stamina diſſoluit, florenteiſque abſtulit annos?*
*Sic viſum eſt ſuperis, nec fas inuertere iuſſa*
*Aſpera fatorum, rigido deſcripta adamante.*

*Si tibi conceſſos naturæ legibus annos,*
*Et ſenij metas attingere fata dediſſent,*
*Quem te ſpectaſſet ſæclum? quos dædala fœtus*
*Mens tua fudiſſet? teſtantur id aurea ſcripta,*
*Aurea ſcripta nimis Phœbo prognata ſecundo.*
ELECTA *inprimis, ſtupuit quæ doctior orbis,*
*Seu veterum inquiris mores, mendiſque repurgas*
*Scripta vetuſtatis, felici indagine mentis.*
*Quas tua ſublimi deducta* POEMATA *filo*
*Ingenij teſtantur opes? tua poſtuma proles*
ASTERIVS, *Latij per te donatus honore,*
*Quid Graio ſermone vales Latioque, recludit.*
*Quid moror ambages? teſtis vel maximus ille*
LIPSIVS, *Aoniæ decus immortale cohortis,*
*Cui ſimilem vix priſca dabunt, vel ſæcla nepotum,*
*Ipſa licet Senecas iactet, magnóſque Catones*
*Roma ſuos, Anytique reum Theſeïa tellus.*
LIPSIVS, *admirans ductum meliore metallo*
*Pectus, & ingenium Muſarum dotibus auctum,*
*Te ſucceſſorem voluit magnæ eſſe Cathedræ,*
*Vt Grudiûm impleres doctis ſermonibus aures.*
*Sed quamuis ſecura ſui mens inclita poſſet*
*Ad tantum ſpirare decus, prurigine laudis:*
*Ipſa tamen virtus, votique modeſtia rara,*
*Reſpuit oblatum conſtanti pectore honorem.*
*Has animi propter dotes, ac dona Mineruæ,*
*Te dominæ quamuis luſtrantem mœnia Romæ,*
*Ambit honor ſpretus nequidquam, atque otia pellit.*
*Abſentem Aduaticus te exciuit ſponte Senatus,*
*Vt populi commiſſa tuæ Tabularia curæ*
*Suſciperes, Patrúmque ſimul ſecreta verenda.*
*Iam tibi ſecurum dederant pia numina portum,*
*Iam certus telluris eras; mors gaudia tanta*
*Inuidit Patriæ, nec ſpes adoleſcere paſſa eſt.*

*Macte*

Digitized by Google

*Macte tamen Muſis nimiùm dilecte* PHILIPPE,
*Non Erebi ignauas totus rapiere ſub vmbras,*
*Nobiliore tui ſed viues parte ſuperſtes:*
*Et Famæ ingentis ſubnixus præpete pennâ,*
*Docta per ora virûm multâ cum laude ferêris;*
*Bellerephontei donec ſacra vena caballi*
*Fundet aquas; donec Parnaſſia vellera crines*
*Obnubent Vatum, ſacratáque tempora lingent.*
*Hic ſanctæ virtutis honos, hæc vera laborum*
*Præmia, quæ numquam poterit læſiſſe vetuſtas.*

AETERNIS MANIBVS
CL. ET DOCTISSIMI VIRI
PHILIPPI RVBENI
S. P. Q. ANTVERP. A SECRETIS.

RVBENIVM *poſtquam rapuerunt impia Fata,*
*Fleuerunt niuei circum caua flumina cygni.*
*Infecun dacarent promiſſis frugibus arua,*
*Et mala creſcentes rubigo exedit ariſtas.*
*Nil niſi triſte ſonant & ſiluę & paſcua & amnes.*
*Creuerunt lacrymis vndæ, creuêre fluenta,*
*Et flos deſtituit languentes aridus herbas.*
*Deſtituêre ſui morientia prata colores:*
*Quæque priùs dulci complebant omnia cantu,*
*Demiſſis mœſtæ pennis ſiluêre volucres.*
*Optima quæque rapit diri inclementia fati.*
*Auſonij populi te flent, & Bethis, & Indus,*
*Et Latium: & toto diuiſos orbe Britannos*
*Illacrymaſſe ferunt. tu nos quoque reſpice flentes.*
*Ah dolor! ah moriens rupiſti gaudia noſtra.*
*Iam mihi ſola ſuper miſerandæ tædia vitæ,*
*Iam requies ablata omnis: tua funera triſtes*

Heu

*Heu nobis, Orbíque ſimul liquêre dolores.*
*Aduaticæ patriæ decus immortale fuiſti.*
*Tu nunc Elyſiâ lætus ſpatiaris in aulâ,*
RVBENI, *& frueris dulci æternúmque fruêris.*
*Non illic litui, non Martia claſſica poſſunt*
*Æternam placidæ mentis turbare quietem.*
*Oſſa beata, precor, tutâ requieſcite in vrnâ.*
*Vos mecum, ô docti, benè olentes ſpargite flores,*
*Aſſyrio ſtillet venerabilis vrna liquore.*

II.

RVBENIVS *iacet hîc, de quo tibi dicere fas eſt,*
*Laudato dici quidquid ab ore poteſt.*

Franciſcus Svveertius F. Antuerpienſis
amico opt.max.cum lacrymis poſ.

## PHILIPPI RVBENI EPITAPHION.

HIC *eſt* RVBENI *quidquid ex humo venit,*
*Homo ſub humo, ſuâque terra ſub terrâ.*
*At alta mens, ſolíque celſa contemptrix,*
*Virtúſque rara, & eruditio rara,*
*Romana penna, Tullij æmulus ſermo,*
*Propertiano párque pectini pecten.*
*Et magna, meritis ſed tamen minor fama,*
*Ille, ille denique, ille,* RVBENIVS *verus,*
*Non ceſpite hoc, brutóque clauditur ſaxo,*
*Per, ille, Graia fertur atque Romana,*
*Per ora Ibera, Galla, pérque Germana,*
*Antuerpianis & geretur in labris,*
*Antuerpianis & legetur in libris,*
*Dum ſtabit vrbs, dum corniger fluet Scaldis.*
*Nunc hoc habete carmen, & domum ferte.*
RVBENIVS *hîc eſt, hîc* RVBENIVS *non eſt.*

Amico mœſtus cecinit
Bernardus Bauhuſius è Soc. IESV.

ALLO-

# ALLOQVIVM
## AD EXIMIVM VIRVM
# PETRVM PAVLLVM RVBENIVM
### SVPER OBITV FRATRIS EIVS
## PHILIPPI RVBENI.

*QVÆ prima vox erumpet è cordis ſinu?*
*Quali dolores ſoler alloquio tuos,*
*O dulce pectus, inter æui lumina*
*Non vile nomen, non humillimum decus?*
*Mens hæret anceps, tantus inſedit meis*
*Mœror medullis. Frater vnicus tibi,*
*Mihi ſodalis charus in fratris modum,*
*Leto oppetiuit ante maturum diem*
*Terris ademptus, ordinique cælitum*
*Adſcriptus auget aſtra ſidus aureum.*
*Si fas Deo lugere mortalem foret*
*(Namque & marina filium luxit Thetis,*
*Et purpurans Aurora Memnoni ſuo*
*Fecit parental, vera ſi vates canunt)*
*Sed ſi Deo lugere mortalem foret,*
*Apollo leſſum lacrymabilem cie,*
*Plorate Muſæ, veſter occidit lepos,*
*Feſtiuitatis & venuſtatum pater,*
*Alumnus ille Gratiarum, quem ſinu*
*Suo educauit alma doctrinæ ſeges*
*Louanium, Iuſtiſque ſæculi iubar:*
*Vt eſſet omni laude virtutum grauis,*
*Opéſque mentis viuidæ communibus*
*Bonis voueret, vt probum ciuem decet*
*Virúmque fortem, ceu reapſe præſtitit,*
*Nec paſſus eſt ſquallere torpenti ſitu*

*Tranſmiſſa cælo dona pectoris ſui.*
*Nunc curſu in ipſo gloriæ dum patriam*
*Ornare tendit indole, & manu, & fide;*
*Proterua Parca, quæ diurnare inuidet*
*Heroïcâ virtute præſtantes viros,*
*Extinxit hocce lumen, vt flos, quem grauis*
*Afflauit aura, molle declinat caput.*
*Quare dolori ſponte ſuffragor tuo,*
*Nec tam fero me corde progenuit parens,*
*Vt hoc pium culpare munus audeam.*
*Quin ipſa lex humanitatis admonet,*
*Fratérque vinclo iunctus haud ſolubili,*
*Vt huius eſſe particeps culpæ velim.*
*Tu iuſta fratri, nos amico ſoluimus.*
*Tu frater illi ſorte naſcendi datus:*
*Doctrina, virtus, gratia & ſuadæ lepos*
*Fuère cauſſa cur amaremus virum.*
*Legunt amicos, frater obtigit tibi.*
*Fortuna quippe filio aſſignat patrem,*
*Ratio & voluntas ius amicitiæ regunt.*
*Communis eſt iactura, mæror publicus.*
*Tu propior ortu, me tamen ſocium feres*
*Luctus: ad omnes quippe, quos amor tenet*
*Virtutis altæ, pertinet tantus dolor.*
*Ergo Philippum perpes occupat ſopor?*
*Ergo Philippus ille noſter heu videt*
*Inuiſa viuis regna, funerum domos,*
*Haud ipſe iam videndus? ô caſum grauem!*
*Ergo tacet vox illa, Suadelæ lepos,*
*Sophiæ medulla, rore melleo fluens,*
*Quæ rapere fulmen potuit irato Ioui?*
*Flos vrbium, ſidusque Belgarum nitens*
*Anuerſa crines ſolue. non paruum decus,*
*Non pœnitendus ciuis atque inglorius*

*Deceſſit,*

*Deceſſit, ex quo liquit heu!* RVBENIVS
*Vitale lumen. mors acerba, mors fera*
*Cur abgregaſti tam truci diuortio*
*Prædulce fratrum par, & exemplum recens*
*Fidei vetuſtæ? cur gemello Caſtorem*
*Polluce fraudas? non decebat hoc tuis*
*Licere fuſis, fata ſi vocantibus*
*Juſtis adeſſent. ſed rigor cæli graues*
*Exercet iras cum nocente ſæculo,*
*Quòd dona paruipendit aut neſcit ſua,*
*Dum fruitur. at carendo diſcunt inuidi*
*Crimen ſuum, damnique magnitudinem.*
*Sic orbitatis fulmine ictus ſcit pater*
*Quâ charitate quóve cenſu filius*
*Sit æſtimandus. ſic valetudo mala*
*Monſtrat ſalutis arbitrari proſperæ*
*Diuina dona; quippe mortis inſtar eſt*
*Durantis vſque vita morborum ſcatens.*
*Nunc ſemper altis imminens virtutibus*
*Nouerca Parca, Parca ineluctabilis,*
*Crudelis, importuna, flecti neſcia,*
*Priuauit orbem pignore hoc lectiſſimo,*
*Nihîlque liquit pignore è tanto ſuper,*
*Quàm quod caducum terra vindicat ſibi.*
*Vah quod nefas locutus ore ſum meo?*
*Nil in piorum ſanguinem morti licet,*
*Quos ſacrat æuo Fama contemptrix rogi,*
*Noménque ſæclis audiendum poſteris.*
*Hac parte viuit frater in terris tuus,*
*Viuétque donec litteris honos erit.*
*Terreſtre corpus terra conſumit putris,*
*At aura cæli redditur cælo patri.*
*Quapropter etſi nil dolere non ſinunt*
*Natura quos inſeuit affectus pijs:*

*Tamen dolendi ſit precor tandem modus,*
*Nec luctu inani fratris additi polo*
*Manes laceſſe, ne magis tuam vicem*
*Queri loquantur, quàm beati commodo*
*Gaudere. felix ille, nos flendi ſumus,*
*Quos lacrymarum vallis hæc mæſtos tenet,*
*Vitam trahentes inter anxios metus,*
*Dum fluctuamur hoc in infami freto,*
*Velut minuta nauis in magno mari.*
*Vita illa, quam nos heic homulli ducimus,*
*Vera eſt imago mortis, imò mors mera,*
*Spiránſque funus, & cadauer ambulans.*
*Hinc, ſicut è lugente campo, tendimus*
*Quietiores ad beatorum domos.*
*Quâ nunc receptus ſede germanus tuus*
*Curas inanes deſpicit mortalium,*
*Longóſque luctus, & volucre gaudium,*
*Semperque multo temperatas ſpes metu.*
*Ceu paſtor alto ſpectat è rupis iugo*
*Ventos furentes, atque Neptuni minas.*
*Nunc ſempiterni fruitur adſpectu Patris,*
*Corámque cernit omnis auctorem boni,*
*Timore ſpéque maior, & fide haud egens,*
*Soláque plenus charitate concipit*
*Preces Deo, quem Virgo-mater edidit*
*In lucis oras carne mortali ſatum,*
*Qui regnat vſque cum Parente & Spiritu,*
*Triplex, & idem Numen vnicum, Deus.*
*Nauim reflecto: plura ſcrutari nefas.*
*Hæc ſint leuando vulneri ſolatia,*
*Quod altè adactum pectori inſidet tuo.*
*Hæc continenter ruminare nos decet,*
*Vti feramus æquiter mortalia,*
*Curáſque ſecum quas vehit vita labos.*

*Sic nec ſecundis efferemur flatibus,*
*Nec deprimemur aſperis euentibus,*
*Vtramque docti fortiter ſortem pati.*
*Nunc te ſuprema gentis humanæ ſalus,*
*Rex Matre-ſemper-virgine ac Deo ſate*
*Supplex adoro, veneror, & prece inuoco,*
*Nobis vt adſis vltimo in certamine*
*Fauens bonuſque, gratiámque des tuam,*
*Ne cùm tremenda venerit mortis dies*
*Fato obſequi grauemur, vtque protinus*
*Piaculari ſanguine abluti tuo*
*Mereamur intereſſe cæleſtum choro.*

D. B.

## IAMBVS FVNEBRIS
## IN OBITVM
## Cl^mi Doctiſſimique Viri
## PHILIPPI RVBENI.

VETAT *fluentis ſæculi velocitas*
*Sperare magnum; termino heu nimis breui*
*Clauduntur anni; tempori tempus deeſt,*
*Vitæque vita. Si quid incipias graue,*
*Si quid virile, præuenit præceps dies,*
*Fatique dura lex ineuitabilis.*
*Humana vita fumus, vmbræ ſomnium,*
*Mortis theatrum, mera curarum lues.*
*Hæc dum lugubri mente mecum diſputo,*
*Tacitoque noſtram pondero ſortem miſer,*
*Nouus heu! repentè rumor, & luctus recens*
*Aures inerrat, pectori fletus nouos,*

*Nouas inurens temporis mœſti notas.*
*Iacet heu peremptus morte* RVBENVS, *mihi,*
*Sociis, amicis, coniugi, ô duram vicem!*
*Patriæque multùm flebilis iacet ſuæ.*
*Hic ille magnis ſemper acceptus viris,*
*Themidos ſacerdos, Gratiarum corculum,*
*Muſarum alumnus, eloquentiæ decus,*
*Humanitatis lumen, arbiter boni,*
*Aequique cuſtos, tutor oppreſſis reis,*
*Iacet heu peremptus ille* RVBENVS *iacet.*
*Hunc ad Secretum munus Vrbis inclytæ*
*Euexit Eruditio, non ambitus,*
*Non fraus, nec vllorum ære corruptus fauor.*
*Virtus ſat amplum eſt ipſa præmium ſibi.*
*Ah non ferenda mortis atræ regula,*
*Acerbiore ſemper in bonos ruens*
*Ictu! quid illud? ridet immensùm malus,*
*Sui Deorumque immemor gaudens ſibi*
*Viuit vigetque: ſæuit in probos modò*
*Letale fulmen, inuidum mortalibus;*
*Vulgi furentis impiis parcens focis,*
*Meliora ſæpè limina infeſtat nece.*
*Sed cur inani proſequor fletu virum?*
*Pugnare Diuis arduum. quoquò trahant,*
*Sequi neceſſum eſt. ſponte nemo vmquam ſuâ*
*Vitam peregit. ille ter felix mihi,*
*Qui quod caueri non poteſt, numquam timet.*

Mœſtus poſui

Ezandus Santenus.

IN

# IN OBITVM PHILIPPI RVBENI

## EPIGRAMMA.

*QVID vanis functum lacrymis oneratis amici?*
*Mens cælo ſupereſt, inclyta Fama ſolo.*
*Ingenium Scriptis, Animus Virtute ſuperſtes:*
*Dextera, nec vultum, Fratris abiſſe ſinit.*
*Tantùm lingua ſilet: quam mox lectiſſima proles*
*Soluerit, officium prompta ſubire patris.*

Balthaſar Moretus.

CEN-

Digitized by Google

# CENSVRA.

HÆC Philippi RubenI I. C. Carmina ſelectiora, amœna ſunt, & quæ hanc ſelectiſſ. Amicorum in eiuſdem obitum inopinatum Pietatem, ſolutâ pariter ac vinctâ oratione elicuerunt, digna. quare tam hæc, quàm illa, ad gratam viri Clariſſ. memoriam prælo opportunè committentur. Ita cenſui

*Laur. Beyerlinck, S. Theol. Licentiatus,*
*Canon. & Archipresbyter Antuerp.*
*librorumq́ Cenſor.*

PHI-

Digitized by Google

PHILIPPI RVBENI

# ORATIONES

ET

# EPISTOLAE

SELECTIORES.



Digitized by Google

## Ioannes Brantivs Lectori.

TERTIVM *te alloquor, mi Lector, ſed tribus verbis. Intereà dum* PHILIPPI RVBENI *Carmina, & Amicorum in ipſum defunctum Pietas, typis excuduntur; eiuſdem Orationes & Epiſtolas inſpicere viſum eſt: nec dicam dolo, ſic me affecerunt, vt neque rectè neque pro bono facturus mihi videar, ſi ex iis ſelectiores aliquas publico inuiderem. Itaque libentiſſimis nobis in lucem prodeunt. nam & hac, niſi fallimur, ratione, quod inter alia defuncti Elogia,* IVSTI LIPSI *verbis teſtati ſumus*, vtrauis oratione ſiue ſcriptione diſertum *fuiſſe*, ſolutâ & nexâ;

Id ita eſſe vt credas, rem tibi auctorem damus.

*tum in paucis illis interiorem Rubenium, hoc eſt, egregia eius animi bona tamquàm in ſpeculo contemplari liceat: ex vtriſque enim, Oratione inquam & Epiſtolâ (ſi Demetrio credimus) videre ac noſcere eſt mores ſcriptoris. Tantum eſt. vale, & benè rem gere.*

LAV-

# LAVDATIO FVNEBRIS
# PHILIPPI II.
# HISPANIÆ REGIS.

SI putarem hodiernâ die ſic mihi fore dicendum, vt magnitudini iacturæ, quam fecimus, parem in animos Auditorum affectum inducere deberem, timerem ſummopere, nec in hoc loco mihi locum arbitrarer. Sed erigit me nonnihil atque recreat (ſi verbũ hoc in pręſentiâ fas eſt vſurpare) quòd omnes ſuâ ſponte ſic commotos animaduertam, vt incitatione nequaquam opus eſſe videatur. Nam quocumque oculi inciderint, ad quamcumq; partem aures ſe arrexerint, omnia ſummi doloris veſtigia reperiunt: lacrymis omnium genæ madent, omnia planctibus gemitibuſque circumſonant, vndique querelæ & lamentationes exaudiuntur. Sed vt eadem vnda modò tollit, modò deprimit; ita quod antè paullò me ſubleuabat, idem me rurſus it deiectum. Dolorem intelligo veſtrum, Auditores: qui cùm ſit tantus, vt ei nulla fieri poſſit acceſſio, non dubito, quin vnicuique veſtrûm in memoriam plura redigat, quàm à nobis adferri poſſint; ac proinde futurum, vt nihil à me noui, nihil quod non anteà mente conceperitis, audiatis. Quamobrem, Auditores, quoniam tam iniquâ conditione verba ſum facturus, æquum eſt, vt neq; vos iniquos mihi præbeatis, neque vitio vertatis, ſi magnitudini rerum orationis genus non reſpondet. Siquidem ſemper non modò veniâ, ſed & laude non indigni ſunt habiti, qui magna cùm fuiſſent aggreſſi, magnis conatibus exciderunt. Quid porrò magis arduum, quid maiore cum difficultate coniunctum, quàm omnibus planum facere, quem Regem amiſerimus, quibus virtutibus præditum, quâ temperantiâ, quâ manſuetudine, iuſtitiâ, clementiâ, quâ prudentiâ, conſtantiâ, in Deum pietate.

Nam alia quidem innumera, quæ, cùm alij laudantur, in me-



Digitized by Google

dium adferri ſolent, ſilentio tacitus prætcribo. Tacebo patriam Hiſpaniam, illam armis viriſque nobilem, illam Romanis gentium dominis olim terribilem, illam antiquorum vnam ſcriptis memoratam; quæ tamen non tantum alumno ſuo ſplendoris dare potuit, quantum ab eo accepit. Non referam vetuſtiſſimam illam, & ipſi propè mundo coæuam, gentem AVSTRIACAM, quæ tot Reges, Imperatores, Heroas produxit, & ad orbis Imperium miſit Rodolphos illos, Carolos, Maximilianos. Non commemorabitur maternum genus, Ferdinandus ille prudens, & Iſabella feminarum omnium decus; imò non femina, ſed vero verbo Heroina. Tranſeo formæ gratiam atque dignitatem, quæ dubium faciebat, vtrùm eum magis hominum mentibus virtus, an oculis vultus inſinuaret. Omitto res militares & bella per eum feliciter geſta, victoriaſque reportatas, & Imperij terminos infinitis terrarum ſpatiis prolatos: non quòd ea non ingentem laudis ſegetem ac materiem ſubminiſtrent; ſed quòd mihi propoſitum ſit Regem ipſum laudare, non Regis facta. Prætermitto magnitudinem atque potentiam, quâ non ſolùm huius æui Principes, ſed Cyrum, ſed Alexandrum, ſed Cæſarem Iulium longè vicit. Nouam mihi propono dicendi legem, vt cùm omnia videar omittere quæ laudabilia ſunt, doceam alia tamen fuiſſe laudabiliora. Quæ igitur illa fuerunt? Virtutes tuæ, Maxime Regum: & ea quæ non maioribus, ſed tibi; non fortunæ, ſed animo tuo debebas.

Nam primùm, quid eſt prædicatione dignius, quàm illa tua, quæ virtus in magnis tam clara quàm rara eſt, animi moderatio ſingularis? quid maiorem habet admirationem, quàm quòd in iſto faſtigio rerum, cùm tibi tot vrbes, tot regiones, tot inſulæ, tot flumina parérent; cùm totus ſe tibi ſubmitteret, tuoque nutu regeretur Oceanus; cùm & Meridies & Occidens, & numeroſiſſimæ nationes, ad quas anteà ne ipſius quidem famæ quamlibet præpetes alæ peruolarant, te colerent ac venerarentur; cùm neminem denique mortalium non infra te conſtitutum tamquam ex altiſſimâ quadam arce deſpiceres; mens tua nec facta ſit elatior aut inſolentior? Quando vel fando auditum vel vllis proditum monumentis, ſceptra & opes animos non feciſſe? Cuius pectus non extulit ſuperbiæ pennis illa pennata Dea? Communis humani

mani ingenij lex eſt, vt arrogantia ſit indiſcreta felicium pediſſequa. Sed ab eâ Rex noſter fuit eximius, qui quanto fortuna eius eſſet pręſtantior, tanto de ſe demiſſiùs ſentiebat; & non minùs hominem ſe, quàm hominibus præeſſe meminerat: atque adeò cunctis ſeſe Principem, ſingulis parem exhibebat; nec imminui vel vulgari maieſtatem Regiam exiſtimabat, ſi vel infimę ſortis hominibus ſe communicaret. Quem enim ille ſuo prohibuit affatu? quem adire cupientem non intra limen modò, ſed ipſa penetralia Palatinæ domus admiſit? quem non hilari blandóque vultu excepit? cuius vota petitioneſque non patienter auſcultauit? quis non reſponſum eius vt oraculum accepit, & licet commeritus (quod rarò tamen contigit) repulſam, non tulit vt ſui numinis cõſcientiam? Quotuſquiſq; potentium, bonę Deus, hac in parte non fallitur inanis gloriæ quadam vmbrâ! O praua & inſcia veræ maieſtatis ambitio, quæ dignitatem atque reuerentiam potiùs ex admiſſionum difficultate, contractione frontis, elatoque ſupercilio quęrit, quàm facilitate, manſuetudine, comitate. Iam autem in cultu tam moderatus, vt in Rege priuatus videretur: ſciebat nempe, multo ſpecioſius eſſe magiſque Regium, animum habere virtutibus decoratum, quàm corpus veſtibus exornatum. Sed & in victu tam modicus & frugalis, vt quidquid corpori daret, ad neceſſitatem & valetudinem, nihil ad luxum aut voluptatem referret, epulæque Regis menſis communibus eſſent parciores. Eat nunc ſui vetuſtas oſtentatrix, ſuoſque iactet Curios atque Coruncanos: omne vicit frugalitatis exemplum Rex Philippus. quippe cui nihil ex iſtâ laude detrahat inopia temporaque deliciis inimica, ſed magnum addat cumulum & omnis omnium rerum vbertas, & ſæculum cùm aliorum vitiorum, tum luxus fecundiſſimum.

Verùm enimuerò ne velut in ſterili ieiunaque materiâ eamdem laudis ſpeciem amplificare videamur, ad liberalitatem trãſeamus. Senſerunt hanc omnium gentium omniſque generis homines; at præcipuè quos aliqua calamitas opis indigos fecerat: experti ſunt exules, viduæ, pupilli, ciues, peregrini: in omnes enim munificentiam ſuam exercebat, & quidem adeò largiter, vt à prolixâ beneficaque naturâ perſuaſum ei videretur, nihil vel firmiùs poſſidere, quàm quod aut miſeris aut merentibus

erogaſſet;vel magis frui, quàm quo illi,quibus donauerat, fruerentur. Vlláne ſatis oratione prædicabimus tot, non dico mirificas ſubſtructionum moles fabricatas, aut iniectos indignantis Oceani fluctibus pontes,aut edita montium in planiciem deducta faſtigia; ſed in vſum ſacrorum, & ad optima ſtudia diſciplinamque magnificas extructas ædes, ac luculentis reditibus aucta collegia? Iuſtáne laude celebrari poteſt, omnium artium atque linguarum voluminibus refertam comparaſſe bibliothecam, egregiam & Doctorum eruditione celebrem inſtituiſſe Academiam, Hiſpaniam denique omnem priùs rudem & illitteratam omni repleſſe genere litterarum? O veri Principis, eas promouere artes,ſine quibus neque Regna diu ſtare,neque ſubditi florentes eſſe poſſint aut beati!

Liberalitati comes erat clementia, cùm omnibus hominibus, tum Regibus decora virtus. Verùm neſcio, clementiámne magis mirer an iuſtitiam. Nam vtraque in Rege noſtro ſic eminebat, vt vnaquæque pectus eius atque animum quaſi gratiſſimum aliquod domicilium delegiſſe videretur. Alteram ita colebat, vt alterius quoque rationem haberet, virtuteſque ſpecie diſpares prudentiâ coniungeret: in lenitatem tamen pronior, & criminum grauitatem cum hominum infirmitate componés, à iuſtitiæ terminis nonnumquam ſecedebat,numquam diſcedebat. Et cùm nullâ re magis delectaretur quàm ſalutem hominibus dando, ad exemplum ſummi illius Iouis,qui non ad ſingula mortalium delicta flammam vltricem iaculatur, ſæpiùs erat pœnitentiâ quàm pœnâ contentus. Hinc igitur illa ſuſpiria, hinc illæ lacrymæ & ſingultus, hinc miſerabiles illæ voces parentem non dominum deſiderantium; niſi fortè particulam vehementiſſimi doloris ad proprij diſcriminis metum putemus deriuandum. Omnes enim ſciunt, omnes tenent, qui modò non planè rerum ignari ſunt, Regis prudentiæ tribuendum (audite hoc, audite mortalium omnium impudentiſſimi, qui Regem vt omnium malorum auctorem criminari non deſinitis) quòd non omnino nos abſorbuerint horribiles illæ ac fatales,quæ per tot annorum ſpatia nos exagitant, tempeſtates. Et ſanè quis ambigat,eum qui præter naturæ ipſius habitum propè diuinum, vſum habuit negotiorum maximum, gubernandi fuiſſe peritiſſimum? O vtinam

nam

nam illa penetralia ſacriq́ue parietes, qui ſecretorum eius conſiliorum & cum prudentiſſimis viris de Republicâ colloquiorum conſcij fuerunt, ſalutares eius poſſent commemorare ſententias! quàm arcana de adminiſtratione Reipublicæ monita, quàm vtilia præclaraq́ue dogmata ſuggererent! Iudicaremus profectò, quidquid conſilij dediſſet, aliquo cæleſti mentis afflatu profudiſſe.

Ad hæc accedebat immotum quoddam robur, & incredibilis animi firmitudo, quâ omnia humana deſpiciebat, quâ res aduerſas non ſeciùs ac ſecundas perferebat, quâ velut ſcopulo quodam aſſilientes huius procelloſi maris vndas repellebat, quâ magnam hanc Imperij molem, quemadmodũ ſupremus ille mundi Rector Deus, qui vaſtam huius vniuerſi machinam concutit & mouet ipſe immotus, tranquillè ſedateq́ue gubernabat.

Atque hæc quidem breuiter quaſi punctis quibuſdam ſignaui; reliquum eſt, vt Pietatem leuiter attingam, quæ coniuncta cum incredibili quodam ſtudio quà tuendæ, quà propagandæ Religionis, in iſto virtutum choro ceu lucidiſſimum aliquod ſidus enitebat. Priuata quidem & interior vita ſanctiſſimorũ hominum vitam æquabat; ea verò quæ publicè pietatis cauſsâ geſſit, tam illuſtria fuerunt, vt omnes omnium Regum victorias, trophæa, triumphos obnubilent, ipſiq́ue multò glorioſiſſimum illud non Aſiatici vel Africani, ſed PII cognomẽtum debeatur. Te, te Belgica appello, cuius ille ſalutis gratiâ cum acerrimis Catholicę religionis hoſtibus, quot annos regnauit, totidem continenter bella geſſit. Te, te extrema Barbaries obteſtor, voſq́ue mutæ regiones & ſola terrarum vltimarum, quibus ille craſſiſſimas & pluſquam Cimmerias tenebras clariſſimâ luce, vaniſſimas ſuperſtitiones veri Numinis veneratione commutauit. Te denique Gallia, quam inprimis nominatam oportuit, imploro: cuius ille rationes ſuis præuertit, quamq́ue fruſtrà ab aliis petieras, opem tulit. At quo tempore tulit? quo tum ad ſua recipienda, tum ad fines regni proferendos à fatis & occaſione inuitari videbatur. O rem memorabilem, dignamq́ue cuius prædicatione omnium ſæculorum ingenia fatigentur! O factum egregium, & poſt hominum memoriam inauditum! aliena commoda propriis anteferre! Superiora fortè cum aliis quibuſdam, ſed pau-

pauciſſimis,communia tibi fuerunt,Heros inclyte;(te enim,vbi vbi es, alloquimur) hoc, hoc quantumcumque eſt, propriè tuum eſt; in huius ſocietatem gloriæ venire poteſt nemo. Itaque Te Diua Religio ceteris vnum omnibus, quotquot exſtitêre, propugnatoribus anteferat, ac ſi de meritis ſingulorum interrogetur, in hunc fermè modum verba faciat: Laudo te Conſtantine, qui Romam orbis terræ caput, meoſque cultores & miniſtros, à tyrannide ſæuiſſimorum hominum aſſeruiſti: magni te facio Carole, tuumque nepotem Magnum, qui reliquam aduerſariorum multitudinem ex omnibus Galliæ finibus fugaſtis, eieciſtis, exterminaſtis: plurimum tibi tribuo, fortiſſime Dux Gotifrede, qui Palæſtinam & loca Dei ſacratiſſimis quondam calcata veſtigiis ab oppreſſione immanium barbarorum atque infeſtiſſimorum Chriſtiani nominis hoſtium vindicaſti. Plurimum, inquam, vobis tribuo; verumtamen (ne indignemini) Philippum II. omnibus antepono. Vos enim (dico quod res eſt) non mihi tantùm, ſed vobis etiam conſuluiſtis, ac priuatum aliquod ex mei defenſione compendium & ſperaſtis & conſecuti eſtis: hic autem adeò ſuam non aſpexit vtilitatem, vt eam potiùs negligeret, mihique vel maximo cum detrimento præſtò ſemper eſſet.

Quid vultis amplius, Auditores? an exſpectatis, vt extremum eius actum & pulcherrimam ad cæleſtem illam domum emigrationem exponam? Reuerentius fuerit hæc integra illibataque cogitationibus veſtris reſeruare, quàm carptim breuiterque perſtringere, &, vt Poëta ſcribit, ingenij culpâ deterere. Niſi verò curſim & indiſertè commemorari placet, in acerbiſſimis totius corporis cruciatibus conſuetam animi conſtantiam, æquabilitatem, magnitudinem retinuiſſe, & ad vltimum vitæ ſpiritum produxiſſe. An mediocris erat animi, imminente fatali illâ horâ nullam doloris, nullam perturbationis, nullam triſtitiæ ſignificationem dediſſe? vulgatúmne exemplum eſt, multis ante obitum diebus iuxta lectum, in quo decumberet, poſitum habuiſſe feretrum, ſibiq; poſt mortẽ cùm pompâ funebri, tum ſollemnibus ad conſeruationẽ vnguentis & odoribus prorſus interdixiſſe? An quidquam inſignius illâ supremâ, & vt ſperamus, efficaci ad filium exhortatione, cùm eum inprimis virtutem bonamque men-

mentem colere,& miſeriarum humanæ gentis,oſtenſo tenui ſuo iam que moribundo corpuſculo,memorem eſſe iuſſit? O virum, vt in omni vitâ, ſic in exitu admirabilem! O miſeros homines, quibus talem fata Principem rapuerunt! O infelices terras, quibus cæli tantæ virtutis domicilium inuiderunt! Illáne benignitas extincta eſt? Illa clementia interiit? Illa pietas leto ſuccubuit? Illud robur, illa conſtantia ſuperata? Corruit illud columen Religionis Chriſtianæ? O rem luctuoſam & acerbam, omnibuſq; deflendam nationibus! Tuum nunc eſt, vt à te incipiam, ô Belgica, ingemiſcere, flere, lamentari: tuum eſt, omnes,vt ita dicam, habenas dolori laxare, tuum eſt. Quid enim exſpectandum tibi cenſes illo erepto penituſque ſublato, cuius olim præſentiâ, quâ firma ſteteras & inconcuſſa, tibi leuiter tantùm ſubductâ,non aliter quàm terra ſolet ventis aut aquis ſubter immiſſis interuulsâ ſui ſoliditate vacillare, nutabas ac penè conciderasr? O florens aliquando cunctiſque terris beatior Hiſpania, quàm altum per latus tui Regis vulnus accepiſti? at cuius Regis? ſummâ lenitate,ſummâ iuſtitiâ,ſummo conſilio, ſummâ pietate, omnibus rebus ſummis; cuius ſapientiâ firmiter nitebaris, in cuius ſinu tamquam parentis amantiſſimi molliter & ſecurè quieſcebas. O nationes longinquæ atque barbaræ, quibus vel denſiſſimæ fœdiſſimorum errorum nubes nondum depulſæ ſunt, vel noua Chriſtianæ Religionis lux affulſit, quid vobis ſpei ſupereſt, amiſſo tam beneuolo, tam ſolicito veſtræ ſalutis procuratore? O vos cuiuſcumque generis homines, quibus ille perfugium & portus erat, quid nunc vobis animi ſuſcipiendum exiſtimatis? O durum & grauem Catholicorum omnium caſum, qui defenſorem tam impigrum ac potentem, qui vobis tamquam murus & propugnaculum,hoſtibus terror erat,perdidiſtis. Nullius vmquam mors pluribus lacrymis fuit deploranda;nullius immortalitas maioribus votis exoptanda. Verùm quid agimus? quid cruciamur, cùm & nihil querelæ profuturæ ſint,& credibile ſit D.Philippi cælo receptam mentem omnique lætitiâ cumulatam moleſtè laturam alios ita mortem eius dolere,quam ille tam fortiter atque intrepidè ſuſtinuit. Reuocemus aliquando animum, aliudque piis defuncti manibus acceptius præſtemus officium. Litteris proditum eſt,apud Gallos antiqui-

tus obtinuiſſe conſuetudinem, vt quæcumque viuis cordi fuiſſe arbitrarentur, in ignem vnà conijcerent & cremarent. Nos contrà faciamus. Quæ Princeps noſter optimus, dum hac mortali ſtatione fungeretur, maximè diligebat, ea ſemper vt retineamus enitamur; à quibus alienum fuiſſe conſtat, ea penitus exſtinguamus, atque eadem humo quâ corpus eius conregitur, obruamus. Amauit ille nihil vehementiùs virtute; vitiis nihil magis odit. Idem nobis ſit animus, idem ſtudium, vt vitium omneſque res turpes, à quibus ille abhorrebat, auerſemur ac vitemus; virtutem aliaque honeſta omnia, quæ in amoribus habebat, ardenti ſtudio proſequamur, ſemperq; conſeruemus. Id erit affectui, quem erga defunctum præferimus, conſentaneum; ipſique (ſi quis eſt beatorum mentibus eorum quæ geruntur in terris ſenſus) longè iucundiſſimum, quoniam & vtilitatis noſtræ fuit ſtudioſiſſimus, & in alio ſuâ quiſque naturâ delectatur.

## LAVS M. T. CICERONIS.

QVAE res in dicendo duæ maximè ſunt optabiles, hæ nobis ambæ deſunt, ingenium & exercitatio. quorum alterum V.C. vereor; alterum metuo. Tarditas ingenij ne mihi ſuggerat orationem, & ineptam & inconcinnam, non parùm commoueor. Infrequens dicendi conſuetudo ne faciat, vt cùm alia multa peccem, tum certè timore, quem mihi natura pudorque meus attribuit, vel ſæpiùs hæſitem, vel planè obmuteſcam, ſummopere pertimeſco. Illud quoque nobis accedit incommodum, quod cùm illi, qui ante me dixerunt, Eloquentiæ præſtantiam Imitationiſque prædicarunt: neceſſariò mihi qui ſuccederem, de laudibus M. Tullij Ciceronis, id eſt, Eloquentiæ parentis Oratorumque coryphæi, fuit diſſerendum. Quæ materia cùm tam vaga ſit ac latè patens, vt difficilius ſit exitum quàm principium inuenire, non magis conuenit mihi, qui nec doctrinâ nec vſu quidquam poſſum, quàm Solis currus Phaëtonti. Quæ quo plura ſunt V.C. eo te, & hos tuos contubernales, meoſque te duce commilitones (quod vos oro atque obſecro) procliuiori meliorique mente noſtra verba audire oportebit: noſtramque tenuitatem æquitate



Digitized by Google

veſtrâ ſubleuare. Ego, quò breuiori velificatione in portum ex hoc alto redeam, ſicut Geographę, qui cùm orbem terræ penicillo delineant, non omnia loca breuis tabellæ anguſtiis comprehendunt, multa quæ commemorari poſſent, ſilentio prætcribo. Virtutes, ceteraſque animi dotes, quarum omnium in eo quaſi conſenſus quidam concentuſq; fuit, paucis recenſebo. Eloquentiæ præcipuè inſiſtam, doceboque cùm nihil eorum quæ ſummum efficiunt Oratorem, in M. Tullio deſideretur, ad culmen illum ſupremumque facultatis Oratoriæ verticem pertigiſſe.

Communi doctorum hominum ſententiâ conſtitutum eſt, ex multâ tantùm eruditione, ex pluribus artibus, ex omnium pænè rerum ſcientiâ exundare illam admirabilem eloquentiam: neque Oratoris vim & facultatem, vti ceterarum rerum, anguſtis regionibus ac terminis definiri: ſed eum eſſe Oratorem, qui Philoſophiæ ſcientiâ pectus impleri t, leges & ciuilem prudentiam, vt minimùm, delibarit, antiquitatis & hiſtoriæ notitiâ ſit ornatus, qui de omnibus rebus ad perſuadendum aptè ſcienterque dicere cum voluptate audientium poſſit: qui denique vir bonus ſit & ſingulari quadam innocentiâ, fide, conſtantiâ, probitate. Quis igitur huic viro principatum Eloquentiæ non deferat, quem nihil fugit eorum, quorũ humanus capax eſſe poteſt animus, qui circulum illum & orbem liberalium diſciplinarum, quem Græci ἐγκυκλοπαιδείαν vocant, & omnem omnium artium varietatem admirabili quadam immortalis ingenij felicitate complexus eſt? Nam, vt hinc incipiam, quis illo Philoſophiæ ſcientior aut fuit, aut eſſe debuit, qui propter inſignia tanti mox euaſuri viri documenta, & igniculos quos puer diuini iaciebat ingenij, de ipſo propè nutricis ſinu cùm aliis ad virtutem magiſtris, tum maximè ſapientiæ ſtudioſis & probatis ſpectatiſque moribus, traditus fuit informandus? qui, cùm infirmam ineuntis ætatulæ teneritatem robur adoleſcentiæ excepiſſet, & in illo quaſi flexu ætatis eſſet, in quo plurimi vel vitiorum illecebris cupiditatumque lenociniis ad metas hærent, vel vitæ liberioris impulſu de viâ deiiciuntur, nihil de incredibili diſcendi cupidine remittens, quamquam Romę & apud Philonem Academicum & apud Diodorum Stoicum omnes Philoſophiæ partes imbiberat, Athenas ad ipſum quaſi fontem commigrauit.

uit. neque his contentus doctoribus quorum ei copia Athenis contigerat, Rhodum adiit, Achaiam luſtrauit, Aſiam peragrauit. Quantam eum illic, Deus bone, cùm & in locis & cum hominibus doctrinæ fertiliſſimis, atque inprimis Poſidonio tanti nominis viro verſaretur, ſementem virtutis atque ſcientiæ feciſſe putabimus? quantam reconditarum & abſtruſarum artium notitiam accepiſſe, quæ de Deo, de naturâ humanâ, de vitâ, de moribus, de vi virtutum prauitateque vitiorum didiciſſe, quo denique rerum pulcherrimarum, vt ita dicam, penu inſtructum rediiſſe cenſebimus? Teſtis eſt meſſis illa præclara pulcherrimique fructus, qui poſteà ex iſtis ſeminibus prouenerunt. Teſtes ſcripta tot egregia & æterna præcellentis ingenij monumenta, quæ non abſque ſingulari fatorum benignitate ad hodiernam vſque lucem conſeruata, nullam eſſe rem oſtendunt in ſtudio ſapientiæ poſitam, quæ ſcientiam illius fugere potuerit.

Iam verò Ius ciuile, καὶ τῆς φιλοσοφίας τὸ πολιτικὸν, quòd non dico libarit, ſed penitus exhauſerit, quid opus eſt longis demonſtrare ſermonibus? Et quòd Q. Mutio Scæuolæ, quem Iuriſperitorum eloquentiſſimum, eloquentium Iuriſperitiſſimum appellabant, operam dederit, & quæ ſcripſit ad Trebatium, atque, vt alias omittam, vna pro Cæcinâ ſatis ſuperque nos docet oratio, Iuris ciuilis fuiſſe doctiſſimum. Quinetiam auctoritates non deſunt, & quidem Scriptorum veterum memoriarũ diligentiſſimorum, tantum in hoc ſtudio promouiſſe, vt librum de Iure ciuili in artem redigendo à ſe compoſitum poſteris reliquerit. At in tractatione Reipub. ciuilibuſque negotiis ita mihi quidem excelluiſſe videtur, vt ſi neminem cum eo conferendum dicam, non ineptè dicam. Declarat illa non ab humano concepta ingenio, ſed cælo lapſa epiſtola, quâ complexus eſt omnia quæ præſtari debent ab iis, qui magnis prouinciis ſummo cum imperio præſunt. Atque vtinam mihi liceret eumdem vſurpare ſermonem de diuino illo opere, quod (heu fatum rei publicæ miſerum & acerbum!) vel iniuriâ temporum, vel incuriâ maiorum periiſſe ſemper ipſæ Litteræ querentur ac dolebunt. Sed, vt relinquam hoc votum, quod eſt, vt Græcus ait vates, δημώλιον, declarant illæ aureæ ad Pomponium Atticum epiſtolæ, quibus tam prudenter de ſtatu Reipub. diſſerit, oſtenditque prudentiam quodammodò

eſſe

eſſe diuinationem. Etenim quis vnquam vates, quis hariolus, quis haruſpex aut conſulendis oraculis, aut obſeruandis auium cantu & volatu, aut inſpiciendis pecudum fibris tam certò futura præſciuit atque præmonuit, quàm vnâ rerum omnium indagatrice prudentiâ M. Tullius? qui maximos illos & decumanos ciuilium bellorum fluctus, quibus Romanum imperium iactatum fuit ac pænè ſubmerſum, & finem eorum euentumque multùm antè, tamquam è ſpeculâ proſpexit ac prædixit: quique non ea modò quæ viuo ſe acciderunt, præuidit; ſed etiam quæ poſt mortem ſuam vſuuenerunt, cecinit atque diuinauit. Declarat illa nefaria coniuratio per ipſum oppreſſa, Reipublicęque nauis in maximis turbinibus ac tempeſtatibus ab eo gubernata, ſaluaque in portu collocata. Hæc, hæc, vt opinor, Marce Tulli, prudentia cauſſa fuit, cur te, quo tamquam Atlante cælum Reſpublica nitebatur, furore atque violentiâ conſceleratiſſimorum ciuium à cuſtodiâ remoto atque eiecto, Senatui Populoque Romano Sol excidiſſe è mundo videretur. Hæc, inquam, cauſſa fuit, cur idem ille populus atque Italia tota tuo diſceſſu velut pręſenti Reipub. pernicie commoueretur; neque priùs à metu reſpiraret, quàm de tuâ reuerſione cognouiſſet; reuertẽtem ſuis quaſi humeris in orbem reportaret; reuerſum, vt id ſignum quod cælo delapſum Veſtæ cuſtodiis continebatur, quo ſaluo ſaluus eſſet futurus, conſeruandum iudicaret.

Patet igitur, Auditores, Ciceronem adminiſtrationis Reipub. & quod conſequitur, antiquitatis & hiſtoriæ fuiſſe peritiſſimum. Quemadmodum enim intelligentia Geometriæ non niſi præceptis numerorum & Arithmetices rationibus adquiritur; ita ciuilis hæc prudentia non niſi pręuiâ vetuſtatis rerumque geſtarum cognitione cõparatur. quin, quod ille apud Platonem Ægyptius ſacerdos Soloni dixiſſe fertur, ſemper pueri ſunt, qui, quod ante ſe factum eſt, ignorant. Sed quid ego de hac re plura diſputem? quaſi verò diſceptatione res egeat, neque ipſa Ciceronis ſcripta (ſæpiùs eorum teſtimoniis vtor, quòd vt tinnitu numi, ſic ex ſcriptis hominum ingenium doctrinaque cognoſcantur) abundè ſignificent, imò clament, hiſtoriam & Latinam & Græcam, omneſque Poëtarum fabulas præclarè tenuiſſe.

Agè verò, qualis in dicendo fuerit, conſiderate. Litteris proditum

tum eſt, cùm in inſulâ Rhodo, quò ad capeſſendum maiorem ingenij cultum conceſſerat, coram Apollonio Rhodio multiſq; Rhetoribus Græcè declamaſſet, ceteris omnibus eum collaudantibus, vnum Apollonium cogitabundum, vultuque ad triſtiorem habitum mutato nullum planè verbum emiſiſſe, ſed attonitum obſtupefactumque conticuiſſe, donec indignante iam Cicerone in has voces erumperet: Non modò te laudo Cicero; verùm etiam admiror. Sed miſeret me Græciæ, cui tu ſapientiæ eloquentiæque laudem, quam ſolam ei fortuna tot cladibus reliquam fecerat, rapis, & in Italiam transfers. Magna ſanè laus, non ab adulatore profecta; ſed ab eo, qui tam excellens Italiæ bonum ſubinuideret, vi veritatis extorta: non ab aliquo parui pretij homine prolata, ſed à grauiſſimo tum Philoſopho tum Oratore. Cùm cauſſam Q. Ligarij apud Cæſarem agendam ſuſcepiſſet, D. Cæſarem amicis dixiſſe ferunt, Ciceronem operam perdere, quòd omnino ſibi firmum atque decretum eſſet in hominem & perniciosum & inimicum, quem toties in gratiam receperat, animaduertere. Verùm vbi paullò pòſt orantem audire cœperat, repentè è veſtigio ſic commotus eſt, vt mutato identidem colore varios præ ſe ferret affectus, ac demum loco illo de prœlio Pharſalico diuinitus inducto, non ampliùs ſui compos, lapſis de manu libellis exiluit, contraque præiudicium ſuum & omnium, Ligario crimen omne condonauit. O rem admirabilem, ac propemodum incredibilem! ô verè flexanimam & omnium reginam rerum orationem Ciceronis! Magnum illum excelſumque animum, quem non armatę hoſtium acies, non horridæ maris tempeſtates, non ipſum Fatum tantillum mouere potuiſſent, M. T. Ciceronis oratio de ſtatu deiecit, & tamquam è cardinibus euulſum aliò tranſuerſum tulit. Quòd ſi nobiliſſimus artifex Parrhaſius omnibus admirabilis videatur, quia tam egregiè naturam imitatus erat, vt ipſum falleret Zeuſim æmulum & aduerſarium ſuum: quanti Ciceronem facere debemus, qui Cæſaris animum, Cæſaris, inquam, illius, qui palàm cum eo de eloquentiæ gloriâ contendebat, vi orationis expugnauit? Sed ſi fortè minùs hoc factum miramini, quòd apud Cæſarem, id eſt, ipſam humanitatem & clementiam; ponite vobis ob oculos teterrimam illam coniurationem, atque cogi-

cogitate quemadmodum Catilinam furentem audaciâ,& Vrbis conflagrationem atque ſcelus anhelantem, quem nec maiorum dignitas frangere, nec à flagitio patriæ pietas, nec à præcipite amentiâ ratio potuit auocare, vehementiâ orationis diſruptum Vrbe eiecerit. quemadmodum contra Tribunicios illos impetus & furores Agrarias leges diſſuaſerit, plebemq́; propriis reluctari commodis coëgerit. quemadmodum M. Antonium omnibus graue ſeruitutis iugum imponere conantem perpetuis in ſenatu orationibus contuderit, fregerit, labefactarit: quemadmodum conſulem,& eâ auctoritate conſulem, homo priuatus, armatum inermis è ciuitate exturbandum, exturbatum hoſtem à Senatu populoque Rom. iudicandum, iudicatum quaſi Spartacum aliquem aut archipiratam bello perſequendum procurarit. Et cuiquam dubium erit, quin M. Tullius (quod non ſemel ab aduerſariis obiectum ei fuit) in iudiciis verè regnarit, atque animorum habenas ita tenuerit, vt quemcumque affectum res & cauſſa poſtularet, eum dicendo poſſet vel excitare vel ſedare?

Iam verò virtuti eius quæ poteſt par oratio inueniri? quis eſt vel ingenio tam prȩſtanti, vel facultate dicendi tantâ, qui quod ille re præſtitit, id verbis aſſequatur? Non enim hæ ſolùm, quas recenſuimus, ſcientiæ in oratore quærendæ ſunt: ſed vt è diuerſis ſonis conſtat chorus, ſuauiſſimaque redditur harmonia; ſic è variarum cùm diſciplinarum tum virtutum mixturâ conſtat eloquentia. Ac primùm quantâ innocentiâ debent eſſe oratores? quantâ deinde omnibus in rebus temperantiâ? quantâ fide? quantâ humanitate? quantâ animi magnitudine? quæ tanta ſunt in hoc vno, quanta in omnibus reliquis oratoribus, quos vel Grȩca vel Latina ſuſpexit antiquitas, non fuerunt. Num ille, ſicut Demoſthenes aliquis, addictam pretio fidem & adſtrictam mercede linguam habuit, obuolutoque gutture in concionem prodiit? num ille, quemadmodum infauſtum illud Gracchorum par, aut L. Druſus, linguâ ſuâ quaſi flabello ſeditionis concionem ventilauit? num ille (excipio contra Antonium patriæ bonorumque omnium hoſtem) belli ciuilis hortator ac velut lituus vmquam fuit? num ille potentiâ ad impotentiam abuſus, eloquentiam quaſi machinam ad euertendas bonorum opes adhibuit? num ille Periclem aut Piſiſtratum imitatus, ſibi regnum,

gnum, patriæ ſeruitutem quæſiuit? Nihil ſimile Ciceronis: qui numquam vllâ in re ab religione officij declinauit: qui neque inflecti gratiâ,neque perfringi potentiâ,neque corrumpi cupiditate poterat: qui,quod in ſummâ poteſtate difficillimum eſt,rerum omnium modum ſeruabat, modeſtiæque primos ordines ducebat: qui vim eloquentiæ gratiamque non improborum audaciæ, ſed miſerorum hominum neceſſitati atque ſaluti condonabat: qui tamquam altis defixa radicibus rupes pro bonis contra malos,quibus perpetuum indixerat bellum, ſtabat: qui cùm ita decerneret,nihil eſſe in vitâ magnopere expetendum niſi laudem atque honeſtatem, nihil autem eſſe glorioſius quàm de patriâ benè mereri, totum ſe Reipublicæ dabat; in eâ omnia ſua ponebat & quaſi conſecrabat: eius pericula ſuo periculo expetebat, nullumque pro eâ laborem, nullam vitæ dimicationem refugiebat. Quoties enim dum patriæ præcipitanti ſubuenire conatur, nefariorum hominum manus vix effugit? quoties ille flammam in patriam paratam excepit, ſoluſque pro patriâ exarſit? quoties ab amicis admonitus vt ſui rationem haberet,nec ita ſeſe perditum iret? Moriar,moriar,inquit,ego:ciues mei ſint incolumes,ſint felices, ſint beati: floreat hæc Reſpublica: ſtet hæc ciuitas præclata,mihiq; chariſſima, quoquo modo de me actum fuerit. Optatiſſimis pacis & otij temporibus ciues mei, ſi mihi cum illis non licet, ſine me ipſi perfruantur; ego pro multis peream potiùs,quàm cum multis: eum ſpiritum, quem neceſſitati debeo,patriæ potiùs donem,quàm reſeruem naturæ.

O virum ſexcentis coronis ciuicis, ſexcentis ſtatuis inauratis dignum! ô clariſſimum ætatum omnium omniſque memoriæ lumen! ô rarum atque vnicum virtutis & doctrinæ ſpecimen! Et hæc tanta virtus eam hauſit iniuſtiſſimam calamitatem? hic vir ſanctiſſimus(rem indignam,dij immortales,atque omnium indigniſſimam!) date ceruicem debuit inimicorum crudelitati nefariæ? hoc

*Os dignum æterno tinctum quod fulgeat auro,*

in cuius labris perſuadêdi Dea ſeſſitauit,in illis ipſis Roſtris, vbi toties & publicam ciuitatis & priuatam ciuium ſalutem tantâ cum laude defenderat, & hæc dextera quæ tam diuina poſteris monumenta exarauerat, à reliquo corpore abſciſa, ludibrium peſſi-

peſſimis fuêre latronibus? O ſpectaculum illud non modò Senatui Populoq; Romano, ſed Roſtris etiam ipſis & foro luctuoſum! Verumtamen nihil egiſti M. Antoni, nihil egiſti: non poteſt turpis mors accidere forti viro, nec miſera ſapienti. Rapuiſti tu M. Ciceroni, iam in id euecto ſupra quod aſcendi non poterat, huius vſuram lucis, quam paulò pòſt vel acta decurſaque iam ætas, vel ipſe ſibi ſuâ manu eſſet erepturus, ne ciuitatem liberam à ſe ſeruatam, te Principe, ſeruientem aſpiceret. Famæ verò celebritatem nominiſque ſplendorem adeò non abſtuliſti, vt longè clariorem illuſtrioremque reddideris. Ille pro mortali conditione vitæ immortalitatem conſecutus, viuit viuetque quamdiu litteræ (ſemper autem eæ diuinâ quadam prouidentiâ erunt) quæ tantum ei debent quantum nemini: neque ceſſabit poſteritas omnium ſæculorum illius in te ſcripta mirari, tuum in illum ſcelus execrari.

Sed longiùs ab inſtituto digredior, & abripior velut æſtu quodam amoris in hunc virum ſingularis. At quem virum? Ingenij & doctrinę principem, ſine exemplo maximum: qui in tantum laudandus eſt, in quantum intelligi virtus & doctrina poſſunt. qui veram eloquentiæ formam & imaginem, quam nullus vmquam vidit, vidit: nec modò vidit, ſed adumbrauit: adumbrauit? imò penitus effinxit, effigurauit, expreſſit. Qui conſecutus vim Demoſthenis, copiam Platonis, iucunditatem Iſocratis, apud poſteros adeptus eſt, vt Cicero non hominis, ſed eloquentiæ nomen habeatur. quo in vno Philoſophiæ, legum, hiſtoriæ, gerendæque Reip. plena cognitio, & tot denique taleſq; ſcientiæ & virtutes, quot & quales perfecta & naturâ & induſtriâ mortalis conditio recipit, fuerunt. Hunc igitur non diligamus? non admiremur? non omni veneratione digniſſimũ iudicemus? non vt ſpeculum quod intueamur, ſemper ante oculos habeamus? non vt Helycen aut Cynoſuram, ad quam vniuerſa vitæ ratio ſtudiorumque curſus dirigatur, ſuſpiciamus? Atqui ſic à ſummis hominibus eruditiſſimiſque accepimus, omnibus qui res excelſas expetunt, & ad eloquentiæ laudem contendunt, eius itineribus eſſe gradiendum, profeciſſeque ſatis illum cui placere M. Tullius incœperit. Quæ cùm ita ſint, Auditores, ſit ſanctum apud nos & auguſtum cæleſtis huius viri nomen, hunc vt omnium

nium præſtantiſſimum in primis colamus & veneremur, quodque maximè è re noſtrâ fuerit, omni ſtudio & contentione ſequamur, imitemur, exprimamus.

## ENCOMIVM ANNIBALIS.

QVI Annibalis dicta ac facta ſcripsêre, inter alia memoriæ prodiderunt, eum à Scipione interrogatum, quos potiſſimùm viros in re militari præ ceteris excelluiſſe cenſeret, primas Alexandro Macedoni, ſecundas Epirotæ Pyrrho, tertias ſibi detuliſſe. Modeſtus ſanè diſſignator Annibal; ſed apud rectos Iudices hoc ipſo maior, quò ſibi minùs arrogaret, aliis locũ aſſignauit, quem ipſe iure merito capere debuiſſet. Etenim ſi quis eum cum illis contendat, ſuiſq; ponderibus diligenter examinet, ipsâ re comperiet, præſtantiæ libram in eum inclinare. Ego quidem id in præſentiâ facere conſtitui, ſed breuiter ac ſummatim; & quoniam præſcriptum dicẽdi ſpatium in anguſtum me cogit, miſſis aliis, Annibalis dumtaxat laudes attingam; ac probra, quibus nonnulli, tamquam fuci in optimum quemque inuolantes, velut aculeis tantum virum confodere & lancinare non dubitant, obiter confutabo. Vos tantùm oro & obteſtor, Auditores, ne tantæ virtutis commemorationem indignam veſtrâ attentione & beneuolentiâ iudicetis.

Inter inclytos bello duces, quos fecunda virtutum ſæcula protulerunt, nullus meo quidem animo, peritiam rei militaris maiorem & habuit & habere debuit, quàm magnus iſte Carthaginienſium Imperator. Hic enim è pueritiæ diſciplinâ ad exercitum & in militiæ diſciplinam profectus, optimum atque capaciſſimum ingenium abſolutâ rerum militarium ſcientiâ percoluit: hic cùm adhuc verſaretur in contubernio ſummi ducis, tantam apud omnes virtutis opinionem excitauit, vt quamquam æui immaturus, imperij maturus haberetur, ac ſummum dignationis gradum feſtinatis adeptus honoribus, & cuius modò miles fuerat, eiuſdem ſucceſſor factus, nihil luxui ludoque ætatis indulſit; ſed conſilio belli bellum celerrimè iungens, Romanos omnibus eâ tempeſtate formidabiles inuaſit, bellumque geſſit, omnium quæ geſta ſunt vmquam, & ſpatio temporis & magnitudine cladium maximè memorabile: hic denique non

vno militiæ genere, ſed cùm terreſtri tum nauali, cùm proſperis tum aduerſis exercitatus, quæ ſumpſerat pænè puer, non niſi ſenex arma depoſuit.

Iam verò quis poſſit ex omni cohorte ducum, quos maximi fecit antiquitas, & hiſtoriarum ſcena repræſentat, Annibali conſilio par inueniri? Hîc ei ſponte ſuâ cedit Pyrrhus, dat manum Alexander, ſubmittunt faſces omnes omnium ætatum Imperatores, atque adeò ſummæ laudis prærogatiuam concedunt. Non enim ampliùs eſt inter mortales certamen, viréſne corporis, an virtutes animi ſint in bello potiores. Suſtulit hoc vadum dubitationis Annibal, dum ea quæ nullâ vi potuiſſent, ingenio perfecit. Neque porrò deſiderabantur ab eo, vel in ſuſcipiendis rebus audacia, vel in exequendis induſtria. Iunxerat atque miſcuerat res diuerſas, & plerumque ſeiunctas, in deliberando prudentiam, in aggrediundo periculorum deſpicientiam. Ipſe muros animosè ſubibat, prœlium princeps inibat, prœlio poſtremus excedebat: conſilio dux erat, miles exemplo. Patientiâ certè laboriſque tolerantiâ milites non ſolùm æquauit, verùm etiam longè poſt ſe reliquit. Ipſe omnes caſtrenſium munerum numeros obire, æſtatem atque hiemem iuxtà pati, ſub grauium armorum onere longam ſæpè viam conficere, poſtremus ad tentorium ſe conferre, nec requiem corpori, niſi poſt omnes dare.

Quantum autem ab omni tum luxu tum ebrietate abhorruiſſe credendum eſt, quem legimus non modò cùm eum Italia Romano tonantem bello contremeret, ſed etiam cùm otioſo feriatoque ferro Carthago ſuſpiceret (rem memorabilem, Dij immortales, & in viro militari inauditam!) numquam vel cubantem cœnaſſe, vel plus ſextario vini indulſiſſe? Ad hæc quàm rarâ caſtitate & pudicitiâ fuiſſe oportet, qui tot inter formoſas & illuſtres captiuas, in quas belli iure licebat quod libebat, tam religiosè & conſtanter eam coluit, vt, quemadmodum eleganter Abbreuiator Trogi, *in Africâ natum quis negaret*? Cùm hæc perpendimus, Auditores, an cuiquam mirum videbitur, quod alioqui ſummam haberet admirationem, tantam eius apud milites fuiſſe auctoritatem, vt cùm exercitum duxerit miſtum ex colluuione variarum gentium, cui ſæpè ſtipendium, ſæpè commeatus deerant, nec vmquam ad ſeditionem ventum ſit, nec in-

ſidiæ ei paratæ, cùm neutrum tamen hoſtes intentatum reliquiſſent? Patriæ quæ de eo fuerit ſpes & exſpectatio, ſatis ipſa ſuperque declarauit, non antè ſe victam confeſſa, quàm poſt Annibalem victum, vt omninò velut Atlante cælum, Annibale ſuo Carthago nixa fuiſſe videatur. Quis Romanorum autem, id eſt hoſtium, ſenſus & opinio, ſatis ex eo conſtat, quòd quamdiu ſpirauit Annibal, à metu reſpirare non potuêre: & licet in diſſitiſſimis locis priuatam ille vitam coleret, fatum eius neceſſarium & à naturâ iam imminens ſummo ſcelere occuparunt.

Hactenus narrata ſunt, quæ rebus gerendis quaſi viam muniebant; nunc ad eas ipſas gradum proferamus. Quâ dignum prædicatione, quòd emenſus tam immenſa terrarum ſpatia, Punica primus arma in Italiam intulerit? O facundiâ pollens Græcia, quæ tuorum geſta Principum amplificare ſolita, Iäſonem, ob non ita longinquum in Colchos traiectum, ad cælum vſque laudibus prouexiſti; quâ dignitate deſcriberes magnanimum hunc Heroa medias perfringentem Alpes, & per illas fabuloſæ altitudinis niues in Italiam, quam ab Africâ plurimæ gentes & infinita propè vaſtitas interiacentis ſoli diſterminat, tantam & hominum & belluarum multitudinem rapientem? quâ verborum amplitudine celebrares Ticinum, Trebiam, Traſimenum, ceteraque tot Conſulum & Imperatorum famoſa funeribus loca? quibus coloribus depingeres patentes illos Cannarum campos Romano ſanguine redundantes, ſpumantemque cruentis gurgitibus Aufidum, & contantes vndas vix eluctatis cadaueribus euoluentem? Longum & arduum eſſet, omnia recenſere: ſatis erit dicere, Romanam Rempublicam numquam aut grauioribus affectam cladibus, aut in artiori ſalutis exitiique verſatam eſſe confinio.

At non vſquequaque res lætæ & prolixæ. Fortuna, quem pronior comitata fuerat, tandem velut fatigata deſtituit. nam hæ voces eorum, qui tamquam ſepiæ & loligines tantum vitæ ſplendorem obſcurare pugnant & contendunt: quaſi verò non ſuis quiſque bonis cenſeri debeat, ac cæcutientis illius Deæ dona momentum aliquod adferant ad laudem aut culpam. Vt hiſtrionem nemo pluris ideò facit, quòd in ſcenam habitu viri ſummatis aut Regis prodierit: ita neque propter ea quæ fortuiti

ſunt

Digitized by Google

ſunt muneris, nec in noſtrâ poteſtate, maior eſt quiſquam aut minor iudicandus: imò potiores illi, qui fortunæ alternantis vices experti, ſecundarum ambiguarumque rerum peritiam iunxerunt. Apud Zamam omnia præſtiterat Annibal, ac vel ipſius confeſſione Scipionis, neque meliùs acies inſtrui, neque fortiùs pugnari potuiſſet. Verùm obſtabat Genius Romanæ gentis, & illud immobili Prouidentiæ decreto deſtinatum orbis Imperium. At fuit inhumanus, crudelis. Inhumanus ille, qui vel in hoſtes humanitatis obſeruantiſſimus, cęſorumque cadauera non modò ſepulturæ mandari, ſed & oſſa in patriam reportari curauit? Crudelis, crudelis inquam ille, qui captiuos illis temporibus & moribus ſub coronâ vendi ſolitos, ad ſuos abſque pretio remiſit? Verùm ita ſit (videte quid vobis largiar) deflexerit interdum aliquantum à clementiæ metis; quis id quæſo miretur, in eum hoſtem, qui vulnera tam grauia patriæ eius inflixerat, in cuius odium eum quà mandati paterni reuerentia, quà ſanctiſſima religio ſacramenti, vehementes ſanè ſtimuli, ſine intermiſſione incitabant? Poſtremò de fraude & perfidiâ quod obiiciunt, non tam id in eo culpandum, quàm vitio gentis condonandum. Accuſatur fides Punica, ſed & Gręcanica: Gallis probro datur leuitas, Hiſpanis faſtus & arrogantia, Germanis ebrietas & ferocia; ad ſummam, vnicuique nationi vitiorum aliquæ maculæ & labes, quæ naturaliter inſitæ velut næui notæque in corporibus, non facilè elui poſſunt. Sed finis ſit: neque enim plura recipit huius oratiunculæ modus, & hæc quæ diximus, inſtituto noſtro ſufficere arbitramur. Reliquum eſt, Auditores, vt nos hunc Ducem, qui ita bellicis ad plenum artibus abundauit, vt omnium conceſſu parem habuerit neminem; qui, quod in primis difficillimum, manu ſtrenuus, conſilio bonus erat, qui fortitudine, vigilantiâ, patientiâ, temperantiâ fuit admirabili, tamq; multas numero totque inſignes de Romanis victorias reportauit, non tam teſtimonij ſui pondere, quod imminuit modeſtia, quàm meritorum magnitudine metientes in primo dignitatis ordine collocemus. At vos egregij mirmillones, qui fortiſſimi latus Imperatoris temerè petitis, abiicite, abiicite haſtas: eludet ille omnes petitiones veſtras, & quam ſemel palmam commeruit, in hoc ampliſſimo mundi amphitheatro ſemper obtinebit.

# AD
# ALBERTVM ARCHIDVCEM AVSTRIÆ BELGIIQ. PRINCIPEM EX HISPANIA REDVCEM
# GRATVLATIO.

POSTQVAM iucundiſſima tui reditus fama, SERME PRINCEPS, Louanienſem tuam Academiam adflauit, nihil priùs ſibi faciundum cenſuit, quàm vt nos alumnos ſuos ad CELSITVD. tuam allegaret, ad debitum gratulationis officium obeundum, & in quantum ex iſto tam optato nuntio laxata ſit gaudium, renuntiandum. Neque enim ampliùs capere ſe poterat lætitiæ vis, quæ cunctorum animos inundauit; ſed quemadmodum,

——— *aggeribus ruptis cùm ſpumeus amnis*
*Exit, & oppoſitas euincit gurgite moles,*

dedignata pectorum clauſtra, foràs erumpere & prodire geſtiebat. Sed & ipſum Athenæum exſultare, & tantum-non à ſedibus commouere ſe videbatur: ac ſi natura pateretur, coràm hîc ſe ſiſteret, ad gaudium ſuum & obſequium declarandum. Nunc verò, quod vnum poteſt, per nos tibi gratulatur, Princeps optatiſſime, quòd ſaluus, quòd incolumis, quòd voti compos ad tuos redieris: & gratulatur nòn ore tantùm ac ſummo pectore, ſed corde, ſed intimis ſenſibus; non communi vulgatoque more, ſed nouo, ſed inuſitato, ſed proprio quodam genere gratulandi.

Nam etſi ſæpenumerò perinſignes lætitiæ cauſſas habuerimus, ex quo tu velut Iupiter quidam Soſpitator, deſperatis & vltimè affectis rebus noſtris opem ferre cœpiſti; nullæ tamen vel iuſtiores vel grauiores exſtitere, quàm eæ quas hoc tempore exorata numina nobis dederunt. Multùm profectò tuus ad nos acceſſus, ceu noui cuiuſdam ſolis exortus, qui caliginem atque noctem illam temporum diſcuteret, omnes exhilarauerat. Plurimùm nos recrearant feliciſſima tui imperij auſpicia, & in ipſo vel aditu, quamquam nihil non abs te exſpectabamus, omnium

tamen

tamen exſpectatione maiores illuſtrioreſque victoriæ. Multò denique maximâ nos voluptate perfuderat cùm promiſſa ſummi Regis affinitas, SERENISSIMAEQ. ISABELLAE connubium, tum ſperata veſtri propagatio generis atque perpetuitas. Mirificum iſta nobis & incredibile quoddam gaudium attulerant: ſed ſi, quod res eſt, dicamus, immaturum atque præcox. Tantum enim à faſtigio felicitatis aberat, vt vix tum quaſi gradus atque aditus ad eam iactus fuiſſe videatur. Nam quanta, Deus immortalis, tibi reſtabat laborum atque periculorum moles ſubeunda! quanta nobis curarum & dolorum acerbitas haurienda! Longum erat ſuſcipiendum iter, ingens terrarum vaſtitas peragranda, *magnum*, vt Poëtæ verbis vtar, *maris æquor arandum*. Quæ ſanè omnia cùm in maximo metu nobis eſſent (nam in te quidem hic cadere non poteſt) tum etiam quòd remotarum gentium externorumque Principum incertæ fidei committenda tua ſalus foret. Verùm benè ſe res habet. Vt gratiorem facit tepentis Zephyri lenitatem hiemantis Boreæ aſperitas: ita quò quiſque grauiùs ingemuit diſtracto te & auulſo, hoc magis nunc exſultat reſtituto. Nunc cuique rurſus incipit huius vitæ hæc lux & huius cæli ſpiritus eſſe iucundus: nunc omnes omnia ſe conſecutos, omniaque cum tuo reditu reddita ſibi putant, & verè putant. Sicut enim illa celebris ac Diis olim inuentoribus adſcripta Panacea, quibuſlibet humani corporis morbis remedium eſſe præſentarium perhibetur: ita Princeps, non minùs virtute quàm dignatione ceteris præſtans, omnibus ſubditorum vulneribus facilè medetur. Talis porrò quin iam immortali Numinis beneficio nobis contigerit, cui dubium aut obſcurum eſſe poteſt, ſi modò meminerit originis tuæ; gentis inquam AVSTRIACAE, quæ meritiſſimò ſeminarium optimorum Principum indigitetur? Rapitur quippe ad ſimilitudinem ſuorum præſtans quæque natura, perque laudum paternarum vias ire gaudet. Verùm aliis imagines ac natales pro meritis ſint, quos aliena tantùm claritas illuminat; tu non minùs proprio quàm auito fulgore nites, te virtus tua nullo confinio vitiorum inumbrata in cælum tollit. Hæc magnum illum Regem, cuius nomen in æternitatem ibit, ita pulchritudinis ſuæ excellentiâ cepit, vt non modò cariſſimam ſibi filiam, virginem ſummæ ſpei, ſuique

ſexus

ſexus decus & ornamentum, quam multi Reges appeterent, ambirent, vni tibi nec vxorio nec petenti nuptum daret; ſed etiam hereditariis Belgij regionibus & antiquiſſimo patrimonio conceſſis, quaſi partiarium principatus honorem deferret.

Dabit hîc mihi veniam, laudatiſſime Princeps, ille virtutum tuarum quaſi chorus, ſi leuiter ad hunc modum prætereimus, neque recenſendis ſingularum laudibus immoramur. Non cogito Panegyricum, & apud alios potiùs omnes, quàm apud te laudes tuas prædicarim. Non enim me fugit, vſu plerumque venire, vt quò quis laude dignior ſit, hoc minùs ſuarum prædicatione laudum afficiatur: & quemadmodum quò directiùs non ferit radiis ſuis magnum illud mundi lumen, hoc vmbram noſtri minorem iacimus; ita quò magis cuiuſque mentem ſapientiæ ſol illuſtrat, hoc modeſtiùs de ſe ſentiat, hoc externis vaniſque rerum minùs efferatur. Quid autem de prudentiâ dicam, aliiſque quibus tam largiter abundas artibus imperandi? Declarat admirabilis illa tui caritas in omnium animis, qui deguſtarunt (ſi fas ita loqui) illud validiſſimum imperij tui philtrum. Siquidem is ſolùm amorem conſequitur, qui meretur: nec vmquam vlli poteſtati regnum hoc contingat, vt ab inuitis eum extorquere & mentibus etiam imperare poſſit. Teſtes igitur illæ Luſitanorum in tuâ profectione lacrymæ, cùm illis decoræ tum tibi glorioſæ, quas ignis ille amoris, quo in te exarſerant, vbertim elicuit. Quid de noſtris in illo tui diuortio dicam? Piaculum ſit hunc niueum præſentium gaudiorum candorem triſtium commemoratione fuſcare. Quin & ipſæ res affirmant, multaque tuo ductu benè præclareque geſta, in quibus eximia tua prouidentia conſilioque par effectus apparuit. Sunt in recenti memoriâ cunctorumque animis obuerſantur Caletum, Hulſtum, Ardria; notumque nimis eſt omnibus, quantum ad expugnationem munitiſſimorum opidorum in præſentiâ tuâ fuerit momentum.

O nos igitur beatos, quibus eiuſmodi Principem Deus donauit! donauit inquam qui noſter propriè ſit, quemque non vt olim immenſo terrarum interiectu diſiunctum ad viciniorem cæli plagam conuerſi, ſed cominus vel in publico vel in ipſo Palatinæ domus ſecreto venerabundi ſalutemus. O diem lætiſſimum & verè natalem huius regionis, qui tantæ felicitatis auſpex

&

& auctor! O lucem clariſſimam, & in Faſtis alicuius eximiæ notæ adiectione ſignandam, quâ geminum hoc & ſalutare ſidus alluxit, quod ſuccedaneam hiemi ſerenitatem denuntiat, quod certam ſpem oſtendit, poſituros aliquando ventos, ceſſura cælo nubila, tandemque fluctuantem Reip. nauem portum, vbi conſiſtat, inuenturam, quod otium, requietem, proſperitatem, nouum denique fatum mortalibus pollicetur. Feliciſſimum verò Principem, ſubditos nactum tales, qui nutibus tuis obſequentur, &, ſi neceſſe erit, ſe liberoſque ſuos pro ſalute tuâ deuouebunt: quem nobilis iſta laurus manet, & omnium pulcherrimus titulus, vt diſtractos Belgarum populos, & quidquid aliquando cohærebat, coniugaſſe rurſus, vnoque pacis amplexu tenuiſſe prædiceris.

Quare meritò, meritò tibi gratulatur, Princeps eminentiſſime, & in te ſibi Louanienſis Academia, non quantum effari, ſed quantum ne concipere quidem poteſt; non quantum reliqui, ſed quantum nulli; accedentibus nimirum ad communes haſce lætitiæ cauſſas etiam priuatis, quòd certè fore confidat, vt exulantes relegataſque diſciplinas ad priſtinam ſedem poſtliminiò reducas, vtque extincta litterarum ſtudia rurſus accendas. Id exoptat, id annixè te rogat. Illud verò Deum Opt. Max. omni votorum nuncupatione depoſcit, vt CELSITVDINI TVAE, ſereniſſimæque ISABELLAE conſorti tuæ Principique noſtræ, tum aduentum hunc fortunet, tum quidquid in poſterum agetis, cogitabitis; & in hac ſtatione mortali longiſſimè vos ſeruet, ac ſucceſſores quàm ſeriſſimos irruptâ ſerie largiatur.

## DE LAVDIBVS IVRISPRVDENTIÆ.

CVM mihi prouinciam declamandi mandatam intelligerem, Auditores optimi, quidnam & huius auctoritate loci, veſtriſque dignum auribus, & meæ quàm maximè congruens imbecillitati tractandum ſuſciperem, diu multumque dubitaui. Sciebam enim ad auditores omni liberali doctrinâ politiſſimos, quemadmodum vos eſtis, nihil commune, nihil tralatitium, nihil in promptu poſitum afferri debere; ſed noua, ſed rara, ſed omni artificio labo-

rata. Simul illud non prӕteribat, mei nequaquam eſſe vel ingenij vel eruditionis, quӕ video quàm ſint exigua, difficilem & ab oculis vulgi remotam amplecti materiem, ſicut olim à viris in oratoriâ facultate prӕſtantibus,aut exercitationis aut oſtentationis cauſsâ factitatum eſſe conſtat. Nam litteris proditum eſt, Gorgiam Leontinum Helenӕ, Glauconem iniuſtitiӕ, Iſocratem Buſiridis, Phauorinum Therſitis & quartanӕ, Lucianum muſcӕ, Syneſium caluitij laudes decantaſſe. Conueniebant hӕc ſcilicet illis, quibus ob vbertatem ingenij, copiamque dicendi mirabilem, difficile non erat, vt in prouerbio eſt, facere vel ex muſcâ elephantum, vel ex arce cloacam: mihi verò conſcio meӕ cùm tenuitatis & inſcitiӕ, & quàm non dico parua, ſed omnino nulla ſit in nobis & facultas dicendi & exercitatio, tum cogitanti quàm turpe ſit id profiteri, quod implere non poſſis; diuerſa longè ratio fuit ineunda, deligendaque non ardua, ſed procliuis, non obſcura, ſed perſpicua, non ambigua, ſed certa, non eiuſmodi denique materia, quӕ ſummum ingenium ſummamque deſideret eloquentiam, ſed talis omnino, quӕ propter excellentiam prӕſtantiamque nec orationis ſplendore nec verborum indigens ornamentis, homini quamlibet infanti atque indiſerto ſuppeditet argumenta. Hӕc dum attentè conſidero, meoque diligenter, quod aiunt, me pede metior, nihil viſum accommodatius, quàm Iuriſprudentiӕ laudes prӕdicare, quòd hӕ tales ac tantӕ ſint, vt iis non dicam exornandis, ſed enarrandis nemini deeſſe poſſit oratio: tum etiam quòd in quibus artibus ſtudium operamq; collocare cœperimus, eӕ ſuo quodammodò iure à nobis expoſcere videantur, vt ſuis, non alienis prӕconiis induſtriӕ laboriſque noſtri primum quaſi fructum dedicemus. Et quamquam ſperare vix debeo, quidquam allaturum me, quod nouitate audientium animos teneat, cùm iis in rebus mea verſatura ſit oratio, quibus nullӕ frequentiùs agitantur; tamen me recreat & conſolatur, A. O. veſtra ſingularis cùm humanitas tum ſapientia, quibus ſuggerentibus memineritis, non omnia ſimul ab omnibus colligi, ſed ſemper aliquas velut ſpicas iis qui ſequuntur, ſupereſſe; deinde in declamationibus non ita ſtudioſè noua requiri, ſicut in cantilenis, quibus nouitas, vt ait Telemachus, gratiam conciliat. Oſtendemus igitur primò, quàm eximia ſit legalis

lis ſcientiæ dignitas, deinde quantum ex eâ tum delectationis tum vtilitatis capiatur, & quàm neceſſaria ſit eius cognitio ad ſalutem ciuium ciuitatumque incolumitatem, vitamque hominum quietam & beatam; poſtremò rationes eorum, ſi rationes appellandæ ſint, ac non potiùs inanes quædam voces odio maleuolentiaque expreſſæ, qui reprehenſionis aculeos in præclariſſimam Iuris artem emittunt, refutare conabimur. Quæ dum paucis exequar, A. O. etiam atque etiam vos rogo, ne parui temporis attentionem mihi denegetis.

Multum valet ad vnamquamque rem æſtimandam momentoque ſuo ponderandam, vnde ducat originem, quóſve habeat auctores inueſtigare; idque cenſetur ſiue laudis ſiue vituperij quaſi fons & caput. Quod cùm ita ſit, quod eſt ingenium tantum, quæ tanta dicendi facultas & copia, quæ Iuriſprudentiæ dignitatem aliquâ ex parte poſſit explicare? Non enim ab hominibus excogitata, non Æſculapij vel Machaonis eſt inuentum, à quibus Medicina ſua repetit primordia; non Hermetem iactat aut Pythagoram, quos Philoſophia prædicat & oſtentat; non Æacum aut Rhadamanthum, quos apud inferos Poëtæ ius dicere comminiſcuntur, ſibi vendicat auctores: verùm illum huius vniuerſitatis parentem ac opificem Deum. Ille ſapientiæ ciuilis inuentor, ille præcipuus legum auctor & architectus, ab illo copioſiſſimo fonte ſcientia Iuris promanauit. Nam, vt omittam, quòd his etiam naturis, quæ ſine animis ſunt, occultus quidam ineſt Iuſtitiæ ſenſus, vt certam inter ſeſe communionem & ſocietatem admirandâ cum æquabilitate tueantur: vt prætercam, quòd elementa ſedes ac regiones à naturâ datas & attributas conſtanter obtineant, ſuiſque contenta terminis nec vmquam fines, quos ipſis Deus aſſignauit, vel tantillum excedere, nec in aliena domicilia conentur irrumpere: vt taceam de quadripartitâ tempeſtatum varietate, quâ diſtinctus eſt annus, & immutabili quadam lege ſtatis temporibus immutatur: vt ſileam de minutiſſimis beſtiolis, apibus, formicis, huiuſque generis inſectis, quæ tacito naturæ inſtinctu, vt ait Poëta,

*—— magnis agitant ſub legibus æuum.*

Vt hæc, inquam, omnia prætermittam, quis non videt, Iuris originem à cælo fluxiſſe, cùm Deus Opt. Max. eius initia & quaſi

rudimenta mortalium animis informarit? Quamquam enim omnium rerum bonarum à Deo principia ducantur, & iuxta Philoſophorum dogmata cunctarum virtutum & ſcientiarum occultæ quædam notiones animis noſtris innatæ ſint: tamen illarum adumbratæ dumtaxat, non expreſſæ nobis obuerſantur imagines. At iuſti & æqui certiſſimam Deus regulam mentibus noſtris impreſſit & inſigniuit, quam velut Helicen aut Cynoſuram nautæ, ſic Iuriſconſulti ſuſpiciunt: ad quam, vt ad obruſam leges à ſe conditas explorant & examinant: à quâ ſi vel tranſuerſum, vt dicitur, vnguem diſceſſerint, non ęquitatis, ſed iniquitatis ſunt doctores. Hinc illæ non ſcriptæ, ſed natæ leges, quas non à magiſtris accepimus, ſed cum lacte nutricis ſuximus; ad quas non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus; ne cui damnum inferatur, vt nemo cum alterius iacturâ locupletetur, vt pacta ſeruentur, & aliæ complures, quibus homines in primâ mundi ætate, &, vt ita dicam, tyrocinio, iuſtum & ius coluerunt: donec eiſdem poſteri reiectis atque repudiatis, & igniculis primæui luminis exſtinctis, ad omne vitiorum genus prolaberentur. Tum videlicet Deus vt errantes in viam reduceret à quâ declinarant, quibuſdam ſacri Spiritus afflatu ſuggeſſit, vt eam, quæ cordibus aufugerat, legem æternis litterarum monumentis conſignarent. Suggeſſit? imò diuinâ voce præiuit, (ô præclaram Iuriſprudentię laudem!) quæ ſcriptis mandari placebat ad memoriam ſempiternam: ſcilicet ei lucem intueri nefas eſſe, qui hominem occidiſſet, furti crimen modò dupli, modò quadrupli pœnâ multandum, damnum quomodo reſarciendum, itemque quid iuris in depoſito, pignore, commodato, ceteriſque contractibus eſſet ſtatuendum. Et quiſquam reperietur ore tam duro, tam ferreo, qui Iuris diſciplinam, cuius ipſemet Deus inuentor, doctor, interpres eſſe voluit, deſpicatui ducere non vereatur? O ſummam hominum impudentiam!

Quamquam autem ſcientiæ legalis dignitatem diuini numinis abundè commendet & illuſtret auctoritas; non minimam tamen ei facit acceſſionem communis hominis exiſtimatio. Cuius rei non obſcurum eſt indicium, quòd omnium artium, quarum ope ſupra vulgus aſcendimus, nulla ſuos cultores aut in ampliori collocet dignitatis gradu, aut maioribus augeat diuitiis.

tiis. Teſtes ſunt illi, (vt omittam Lycurgum, Solonem, alioſque quamplurimos, qui nobiliſſimis Græciæ ciuitatibus imperarunt) illi, inquam, Sulpitij, Caſſij, Labeones, Aquilij: qui quo loco Romæ fuerint, nemo ignorat. Teſtes illa ſingulorum ferè ſæculorum lumina Iuliani, Pomponij, Papiniani, Vlpiani, multique prætereà, de quibus breuitatis cauſsâ taceo, quos orbis terræ Principes in oculis habuerunt: quos non modò præcipuorum munerum honoribus decorarunt, verùm ſibi quoque ſocios velut Atlantes ad ſuſtinendam tanti imperij molem aſſumpſerunt, vnoſque iudicarunt dignos, quibus liberorum tutelam commendarent. Quid de Mutio Scæuolâ dicam? cuius domus, vt apud Ciceronem legimus, totius erat vrbis oraculum. Sed quid foris & ab antiquis exempla petimus, cùm & domeſticis & recentibus abundemus? Vos, vos appello, viri clariſſimi, qui clauum huius Reipub. tenetis: quibus gradibus ad tantum honoris faſtigium aſcendiſtis? Iuriſprudentiâ. quâ viâ, quibus itineribus ad tantam magnitudinem perueniſtis? Iuriſprudentiâ. quibus artibus ac ſtudiis id acceptum fertis? Iuriſprudentiæ. Verùm ſi quis argumentis potiùs quàm exemplis moueatur, hic animaduertat velim, cùm Magiſtratibus & poteſtatibus tractatio rerum forenſium & Iuris dicendi munus incumbat, ad hæc autem obeunda neceſſariò Iuris notitia requiratur; omnino ſequi, Magiſtratus & Præfecturas, atque adeò ſummos cuiuſque loci honores ad Iuriſconſultos eſſe deferendos.

Puto iam conſtare inter omnes, ſummam eſſe Iuriſprudentiæ dignitatem, ſummam amplitudinem. Quòd ſi quis eam, quæ ex leuioribus diſciplinis percipitur, voluptatem & amœnitatem quærat, ne eam quidem in feraciſſimis hiſce campis fruſtrà deſiderauerit. Nam ſiue antiquitatis cognitione delectemur, quæ pars litterarum vberiorem & fructuoſiorem diſcendi ſegetem & materiem in hoc genere ſuppeditat? Niſi fortè pluris ſit cognoſcere quibus caligis, quibus ſoleis aut crepidis maiores vſi fuerint, quàm omnes omnium ſapientum, Principum, Regum leges ac decreta, quis modus Ius dicendi, qui ritus nuptiarum, quæ formulæ diuortij, iuriſiurandi, contractuum, aliaque permulta: quorum intelligentiam niſi ex hoc fonte hauſerimus, ſexcentis in locis antiquorum ſcriptorum hærebimus: ſiue puritate

ritate ſermonis capiamur, quid antiquorum Iuriſconſultorum reſponſis mundius, nitidius, caſtius? hanc propriam ipſorum laudem eſſe,ideoque non immeritò proprietatis verborum retinentiſſimos ab Agellio vocitari facillimè videbit, quicumque eorum ſcripta vel per tranſennam, vt dici ſolet,adſpexerit: ſiue ſubtilitatibus & acuminibus magis afficimur, vnde ſubtiliores, vnde ſcitu digniores controuerſias, quàm à legibus repetere poterimus?quæ diſtinctiones tam varias, tot ( vt Iuriſconſultorum more loquar)limitationes,tantam caſuum diſſimilitudinem(qui tam multiplices & diuerſi ſunt, vt euentus rerum)quæ facta denique hominum vniuerſa comprehendunt. Quæ ſunt omnia permagna: verùm illud maximum, quòd cùm aliæ diſciplinæ ſolam ſpectent vel cognitionem, vel delectationem; hæc ad Iuſtitiam,omnium dominam & reginam virtutum, dirigatur.

Magnum eſt ſanè, rerum humanarum principia cauſſaſque noſſe; recondita naturæ miracula mentis acie penetrare, præclarum; orbis terræ ſitum, admirandam cæli conſtructionem, globorum cæleſtium varios curſus, formas, magnitudines, interualla ſcientiâ comprehenſa tenere, peregregium; illa verò quam in hæc inferiora vim habeant, quídve ſtellarum conſpirationes effecturæ ſint, prædicere, propè diuinum: ſed profectò, quod ne vel illi quidẽ ipſi qui verſantur in eiuſmodi diſciplinis, negauerint, eorũ in quibus Iuriſconſultorũ exercetur induſtria, & vtilior cognitio eſt,& pernicioſior ignoratio. Quod ſi neq; res ipſa neque quotidiana ſatis ſuperque nobis experientia declararet, tamen vel grauiſſimo Ciceronis teſtimonio comprobatur: qui Iuris ciuilis fontes, XII. inquam tabulas,omnium Philoſophorum ſcriptis omnibus audet non conferre,ſed anteferre: *Fremant*, inquit, *omnes licet: bibliothecas meherculè omnium Philoſophorum vnus mihi videtur* XII. *tab. libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit, & auctoritatis pondere & vtilitatis magnitudine ſuperare.* O magnificum Iuris elogium! quo certè ſummus ille tum Philoſophus tum Orator non eſſet vſus, niſi probè cognitum habuiſſet, quantum hæc agendarum rerum peritia ceteris artibus,quæ meditandarum ſunt,eſſet fructuoſior,& quantum plus incommodorum ex huius quàm illarum neglectu in humanum genus redundaret. Etenim,vt eas inter ſe conferamus, illæ priua-

tum

tum dumtaxat bonum reſpiciunt; hæc & in publicis ſimul & priuatis excellit officiis, & ad vtilitatem Reip. pertinet vniuerſæ: illæ pacis & otij ſunt alumnæ; huius alumnæ pax & otium: illis earumque doctoribus quòd aliquæ nationes caruerint, non minùs propterea feliciter aut in bellis aut in pace Rempublicam adminiſtrarunt; ſine Iure & I C^tis^ nulla fuit benè conſtituta ciuitas, nulla natio florens, nullum imperium ſtabile ac diuturnum: illis docti fortaſſis homines & litterati redduntur; hac etiam probiores efficimur: hac domitas habere libidines, coërcere cupiditates, noſtra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abſtinere docemur: hæc neminem lædit, ius ſuum vnicuique tribuit, æquum ab iniquo, licitum ab illicito diſcernit: hæc quæ facienda ſunt iubet, prohibetque contraria: hæc litibus ac diſſidiis finem imponit, ac inter ciues concordiam parit: &, vt vno verbo dicam, hæc vitam hominum tranquillam facit & beatam. Beatam dico: quoniam ſi legum bono careremus, vita non optanda, ſed fugienda; lux iſta non iucunda, ſed acerba nobis foret. Nam ſi miſeros ducimus viatores, quòd in ſiluis locíſve parum tutis aliquando verſentur; quanto miſerior eſſet omnium noſtrûm conditio, ſi legum ac Iuris præſidio deſtituti, nullo tempore, nullo loco eſſemus ſecuri: ſi non vrbe, non domo, non parietibus aduerſus inimicorum iniurias tegeremur: ſi nihil tam clauſum, neque tam reconditum haberemus, quod non audaciæ improborum apertiſſimum promptiſſimumque eſſet: ſi quemadmodum illi Syracuſarum tyranno, gladius vaginâ vacuus ceruicibus noſtris ſemper impendere videretur. Vita non vita, ſed carnificina quædam eſſet, in quâ bonis perpetuùm & capitis & fortunarum diſcrimen à ſceleratis & nefariis immineret. Quàm multos enim fore credimus metu pœnarum ſublato, qui mille effuſionum modis patrimonia ſua exhaurirent, vt aliena inuaderent; qui dum eſſet quod raperent, quod auferrent, nihil ſibi defuturum arbitrarentur: quàm multos etiam qui nullis à parentibus acceptis facultatibus copias & fortunas aliorum ad prædam ſibi proponerent, tantumque habere ſe putarent, quantum per vim auferre poſſent. Quid? niſi leges delinquentibus ſupplicia conſtituiſſent, quot adulteria, ſtupra, corruptelæ patrarentur? quot inceſtis, quot nefariis & flagitioſis nuptiis naturæ

turæ leges violarentur? denique quod flagitium inuenitur tam fœdum, aut ſcelus tam atrox & immane, quod homines impunitatis ſpe, quæ peccandi maxima eſt illecebra, committere vererentur?

Sed hîc aliquorum ſermones exaudire videor: Quid ais? an ſi leges non eſſent, idcircò delicta non vindicarentur? an omnia fierent impunè? Probè ſanè: quaſi verò ſine legibus adeò diligenter, iuſtè, conſiderateque pro qualitate criminum, ac non potiùs (quod rarò tamen accideret) ardore quodam & impetu multitudinis in reos animaduerteretur: quaſi non more iudiciorum & iuxta certas præſcriptiones & Iuris regulas, quàm affectibus atque clamoribus ignaræ plebeculæ ſententiam ferri præſtet. Alij verecundiores (ſi Diis placet) legibus opus eſſe non eunt infitias, Iuriſconſultis eſſe negant. His nobis tacentibus ipſæ, natura ſi ferret, leges ita loquerentur: Homines amentiſſimi, quid agitis? vóſne Iuriſconſultos quibus vitam & ſpiritum ducitis, quibus incolumes tranquillè beateque viuitis, nullius vtilitatis eſſe cenſetis? nónne hos præmiis afficiendos, non omni cultu ac reuerentiâ dignos arbitramini? quid tandem impedit vos? an quia ſufficere nos, atque adeò ſuperfluam Iuriſconſultorum operam exiſtimatis? Næ vos eorum ſimiles eſtis, qui volunt vno collyrio omnium oculos curare. At non vno ſtatu conſiſtimus: pro temporum moribus, pro Rerumpublicarum generibus, & pro vtilitatum præſentium rationibus vitiorumque, quibus medendum eſt, mutari atque flecti nos oportet: quin vt facies cæli & maris, ita nos rerum & fortunæ tempeſtatibus variamur. An quod adeò perſpicuæ videmur, vt à quouis intelligi queamus? At non ita dilucidæ ſumus, quin interpretibus egeamus, iiſque nonnumquam tenebras offundamus. An hunc honorem inuidetis? præclaram nobis refertis gratiam, cùm eos, quibus poſt Deum alteram ortus noſtri gratiam debemus, quorum cura & diligentia ſartas tectas à temporum ac barbarorum iniuriis nos conſeruauit, qui nobis explicandis & corrigendis ita ſe totos addicunt, vt numquam otioſum ſpiritum ducant, propriaſque rationes poſtmittant, eos nuſquam conſiſtere, & ex finibus humanæ naturæ exterminari cupiatis. Quid? cùm nulla ſit diſciplina tam humilis & abiecta, quæ ſuos non habeat myſtas; nos ſolæ

ſolæ videmur nullos meritæ ſacerdotes ac miniſtros? an aliquem de fæce populi, vel ab aratris ad ſubſellia tranſire vultis? eorum illotis manibus ſacras conſtitutiones tractari deſideratis? His ergo ſanctiſſimis Legum vocibus & eorum hominum, qui idem ſentiunt, mentibus quid reſpondetis? quid ſiletis? quid obmuteſcitis?

Verùm nimis vrgeo: remittam aliquid, atque etiam concedam (videte quid vobis largiar) abſque Legibus puniri ſontes poſſe: proptereáne parum in eis commodi poſitum putatis? cùm alioqui nulla fœdera iudiciáve, nullæ ſtipulationes, nulla pacta aut conuenta non infirmari aut conuelli poſſent: cùm omnium fortunæ in dubium reuocarentur: cùm nihil eſſet, quod quiſquam ſe habere certum, aut à parentibus accepturum, aut relicturum liberis arbitraretur. Quid enim refert prædia, domos, poſſeſſiones à parentibus relictas, aut aliâ quauis ratione habere benè partas, ſi parum exploratum ſit, quæ optimo iure tua ſunt, ea liceátne retinere? ſi parùm confirmatum ius? ſi neque malorum cupiditati ſpes omnis præciſa, neque litigioſorum inſidiis & fallaciis aditus præcluſus? quid, inquam, prodeſt fundum poſſidere, ſi nulla deſcripta ſint Iura finium, agrorum, itinerum, ſed omnia miſta, confuſa, perturbata? Maioribus certè beneficiis à Iure & Legibus afficimur, quàm ab iis, à quibus hereditatem accipimus. Nam vt mihi fundus acquiratur, alicuius teſtamento fieri poteſt: ne perueniat ad alium, ne per fraudem alienetur, ſine Iure ciuili caueri non poteſt. Domus à patre relinqui poteſt: at vſucapio domus, hoc eſt, finis ſollicitudinis atque periculi litium non à patre, ſed à Legibus tribuitur. Quid? de pupillis & impuberibus, qui per ætatem nec ſeſe defendere, nec ſua tueri queunt, quàm malè ageretur, niſi rationibus eorum de tutoribus à Iuriſconſultis prouiſum atque conſultum eſſet? quantum denuò periculum, niſi tutorum dolos tam diligenter præcauiſſent? quot modis iſti miſelli, quorum ætas iniuriis opportuna eſt, veteratorum fraudibus circumuenirentur, deciperentur, ſpoliarentur? Nam ſi nunc etiam, cùm tam variis cautionibus & remediis tutorum improbitati occurratur, in eâ parte (prô dolor!) adeò grauiter peccetur; quid quæſo eſſet, ſi nec ſatiſdare, nec rationem reddere cogerentur? Quid? ſi pater fi-

 lium

lium ſine cauſsâ poſſet exheredare, (poſſet autem, niſi leges vetuiſſent) quoties ei vanum aliquem adulatorem hereditatumque captatorem præferret? quoties debitâ ſibi ſucceſſione liberi priuarentur? quoties bonis iam poſſeſſis tamquam è naufragio nudi expellerentur? quantum rurſus liberorum in parentes amori & στοργῇ decederet? quoties, ne locus extraneorum heredum inſtitutioni daretur, filius neceſſarium parentis fatum præueniret, eique lucem adimeret, propter quem ſuauiſſimam hanc lucem aſpexerat?

Videre vos opinor, Auditores, quàm ſe latus orationi meæ campus oſtendat, ſi quæcumque hoc loco ſeſe offerunt, perſequi, & in ſingulis inſiſtere atque immorari velim. Cùm enim nulla ſit ætas hominum & conditio, quæ legum auxilio maiorem in modum non indigeat, in quo potiſſimùm ab his adiuuemur, in medium adducere, perq; omnes ætatum & ordinum gradus diſcurrere liceret. Sed reliqua conſultò prætereo, cùm quòd occurrũt vnicuiq; veſtrûm, tum quòd mihi non tam vt copiam & varietatem conſecter, laborandum eſt, quàm vt effugiam ſatietatem. Atque hęc in rebus priuatis: quid in publicis? quàm hîc etiam excellens Iuriſcõſultorum officium? ciuitates, regna, imperia, quid aliud quàm eorum doctrina aut initio fundauit ac cõſtituit, aut poſteà tot ſæcula conſeruauit? Quis neſcit cùm homines fuſi per agros beſtiarum more vagarẽtur, & victu ferino ſibi vitam propagarent, nec ratione animi quidquam, ſed pleraque viribus corporis adminiſtrarent, extitiſſe viros quoſdã altâ mente præditos, Iuriſque ſcientiâ diuinitus inſtructos, qui diſperſos vnum in locum congregarunt, eoſque ex ferocitate illâ ad iuſtitiam atque manſuetudinem tranſtulerunt, mœnibuſque ſeptos Legum vinculis copularunt? Ex hoc patet, tum quoque ex eo, quòd ciuitas definitur hominum multitudo certis inter ſe legibus coniuncta, Iuriſconſultos vrbium fundamenta ieciſſe: per eoſdem quòd contineantur & conſeruentur, tam manifeſtum eſt, quàm quod manifeſtiſſimum. Id loquuntur omnium populorum faſti & annales: id notum faciunt omnium Regum commentarij: id teſtantur omnium ſæculorum hiſtoriæ: quæ nihil frequentiùs nobis ob oculos ponunt, quàm huius vrbis excidium, iſtius imperij occaſum, illius gentis interitum, cùm aliis de cauſſis, tum

hac

hac præcipuè, quòd legiſlatorum inſtituta contempſerant. Hîc animaduertimus, celebrem illam & nobilem Spartam non antè vinci, capi, expugnari potuiſſe, quàm ab optimâ Lycurgi ſui diſciplinâ defeciſſet. Illic Græciæ lumen & ornamentum Athenas, ſimulatque ſapientiſſimi Solonis præcepta reliquerant, à virtute pariter & fortunâ relictas videmus. Alibi cernere eſt cunctarum dominum ac victorem gentium Populum Romanum

*In ſua victrici conuerſum vulnera dextrâ,*

belliſque ciuilibus miſerè pereuntem, quia pernicioſi & peſtiferi ciues ſalutares illas Leges, quibus Reſpublica ſteterat ſub illis veteribus Africanis, Maximis, Paullis, Scipionibus, labefactare & conuellere conabantur.

Pluribus hæc probarem exemplis, cùm ex veteri tum ex recenti memoriâ repetitis, ſi quàm facile tam neceſſarium eſſet. Sed quid iis opus in hoc argumento luce clariori? Fingite voſmetipſi (liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ, & quæ volunt ſic intuentur, vt ea cernimus quæ videmus;) fingite igitur animis imaginem alicuius vrbis, vbi nulla ſit εὐνομία, vbi non Iure, non more iudiciorum, non diſceptando controuerſiæ decidantur; ſed vi, ſed armis, ſed decertando: vbi nullum oppreſſis perfugium & auxilium, vbi libera pateat ſceleribus via: cuiuſmodi quæſo eſſet illa ciuitas? numquid omnium domicilium & officina flagitiorum? Præſtaret mehercules apud Anthropophagos commorari, vel in deſertiſſimâ ſolitudine inter feras & immanes beluas ætatem agere, quàm intra muros tam incompoſitæ ciuitatis. Quis dubitaret quin tali Reipub. ſi Reſpublica dici poſſet, ruina iam immineret? Non enim ex auium cantu & volatu, non inſpiciendis pecudum fibris, non explicandis hariolorum carminibus, non, vt quidam volunt, ex certâ temporum & annorum computatione, vel aſtrorum conſtitutione, rerum publicarum conuerſiones & vrbium excidia prænoſcuntur: ſed alia ſunt ſigna quæ minus habent vel obſcuritatis vel erroris: qui gentem aut ciuitatem intellexerit ex legem, aut Iura quibus olim floruerat, nihili facientem, is demum eius euerſionem & exitium certiſſimè prouidebit. Quare ſapienter Perſæ eum ex regiis liberis, qui natu maximus erat, quique in ſpem regni educabatur, cùm aliis in artibus, tum in Iure potiſſimùm eruditum

curabant. Pædaliorum quoque gentem etſi cetera barbaram, tamen hoc minimè barbaram memoriæ proditum eſt, nihil aliud Deos quàm Iuſtitiam rogare ſolitam: quòd eam ſi conſequeretur, ſeſe ac Rempub. felices fore putaret. Ac præclarè M. Tullius Leges vrbis animam, Solon anchoram eſſe dixerunt. Sicut enim corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine Lege ſuis partibus vt neruis ac ſanguine & membris vti non poteſt: vtque nauis anchoris deſtituta ventis & fluctibus ſuccumbit, & vel in altum abripitur, vel ad ſaxa confringitur; ſic vrbs quæ leges non habet, tempeſtatibus ſeditionum ac diſcordiarum obtemperare cogitur, iiſque tandem velut æſtu quodam abſorbetur.

Prô Deum immortalem! quæ ſcientia igitur eſt, ſi hæc non eſt, cùm vtilis, tum neceſſaria? O felicitatis omnis Iuriſprudentia conciliatrix! ô bonorum omnium procreatrix, malorum expultrix, vitæ gubernatrix! quid ſine te non modò nos, ſed omnino vita hominum eſſe potuiſſet? Tu vrbes condidiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ conuocaſti, & ex feris & immanibus mites & manſuetos reddidiſti: tu eos inter ſe primò domicilijs, deinde Iuris & Legum communione colligaſti. Quid igitur priùs facere, quid cogitare, in quo elaborare debemus, quàm vt laudes tuas, quantum animo conniti, quantum ingenio contendere poſſumus, celebremus? Et tamen non deſunt, qui, tantum abeſt, vt debitum honorem tibi præſtent, vt etiam te maledictis inceſſant & vituperent. Vituperare quiſquam vitæ parentem & hoc parricidio ſe contaminare audet, & vſque adeò ingratus eſſe, vt eam pedibus terere cupiat, quam ad cælum tollere deberet? Sed, vt opinor, hic error, & hæc imperitorum animis obiecta caligo eſt, quòd auguſtum Iuriſconſulti nomen pragmatici quidam vſurpent & circumforanei rabulæ, qui nihil minùs quàm Iuriſconſulti ſunt: quos quidem Ammianus Marcellinus velut in tabellâ nobis exhibet, dum æui ſui cauſſidicos hoc modo deſcribit: Alij *ſeminando diuerſa iurgia, per vadimonia mille iactantur, viduarum poſtes & orborum limina deterentes, & auidi inter diſcordantes amicos aut propinquos vel affines ſimultatum, ob leuia ſcrinij receptacula odia ſtruentes infeſta.* Alij *Iuris profeſſi ſcientiam, velut vinculis ori impoſitis reticente iugi ſilentio, vmbrarum ſunt ſimiles propriarum. Hi velut fata natalitia præmonſtrantes, aut Sibyllæ oracu-*

*oraculorum interpretes, vultus grauitate ad habitum compoſitâ triſtiorem, ipſum quoque venditant quod oſcitantur. Hi vt altiùs videantur iura callere, Trebatium loquuntur, & Ceſellium, & Alfenum, & Auruncorum Sicanorumque iam diu leges ignotas, cum Euandri matre abhinc ſæculis obrutas multis: & ſi voluntate matrem tuam finxeris occidiſſe, multas tibi ſuffragantes abſolutionem lectiones reconditas pollicentur, ſi te nummatum ſenſerint.* Alij *inter ſollicitudines Iudicum per multa diſtentas, inreſolubili nexu vincientes negotia, laborant vt omnis quies litibus implicetur, & nodoſis quæſtionibus de induſtriâ iudicia circumſcribunt.* His pluribuſque verbis ab Ammiano depinguntur: quibus quòd valdè conſentanei ſint quorumdam noſtri temporis leguleiorum mores, anſam calumniandi ſibi datam maleuoli (latè enim patet hoc vitium, & eſt in multis) putarunt; perinde quaſi qui Iuris interpretes accuſet, ſi indoctos &, vt Plautino more loquar, turpilucricupidos eſſe dicit, de Iure, non de hominibus detrahat: aut quòd aliqui quæſtum famæ præuertentes, officio ſeciùs quàm oporteat fungantur, eo nomine Iuriſprudentia ſit culpanda: quo nihil abſurdius vel dici vel cogitari poteſt. Si iuſtum enim hoc crimen, nulla planè diſciplina reprehenſionem effugiet: quandoquidem vt vina vaſis è taxo factis infuſa mortifera fiunt; ita ſalutaris alioquin eruditio ſi inciderit in hominem peſtilentem, moribus illius redditur noxia. Iam verò quòd oratio Ciceronis pro Murenâ nobis opponitur, quis non intelligit, ab Oratore prudentiſſimo tempori cauſſæque datum, vt tunc Iuriſprudentiam paruifaceret, de quâ magnificentiſſimè pluribus in locis & ſentit & ſcribit? vt ſi vſquam, hîc in eum cadat illud Laberij, duabus ſediſſe ſellis.

Dixi de Iuriſprudentiâ non quæcumque poteram, ſed ex infinitâ copiâ collegi, quantum ad excellentiam eius demonſtrandam ſatis eſſe iudicaui. Oſtendimus autem eſſe non ab humano profectam ingenio, ſed à ſummo rerum opifice Deo: docui non minus, ne dicam plus, cùm elegantię tum ſubtilitatis in eâ quàm in ceteris artibus ineſſe: viam ad gloriam & opes proximam & quaſi compendiariam eſſe demonſtraui: morum ac diſciplinæ magiſtram, oppreſſorum portum & aram, innocentiæ tutelam, pacis & concordiæ nutricem, ciuitatum vinculum, communis denique ſalutis genitricem eſſe planum feci. Quid reliquum

 eſt,

eſt, A.O. quàm vt vos horter, vt omnes pariter & Iuriſprudentiam laudemus, colamus, veneremur, & eius antiſtites omni beneuolentiâ & honore proſequamur? Multum quidem Oratori tribuatur, qui de quauis re poteſt aptè, ſcienter, ornateque dicere: magnus habeatur Phyſicus, qui rerum admirabilium, quæ in terris mundoque fiunt, cauſſas aperit; plurimi fiat Mathematicus, qui reconditâ in arte & multiplici ſubtilique verſatur: in honore & pretio ſit Medicus, qui morbos à corporibus noſtris depellit: verùm anteponatur omnibus Iuriſconſultus, ſine cuius doctrinâ nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus ſtare poteſt.

## DE PRÆSTANTIA LINGVÆ GRÆCÆ.

QVAM diu firma ſtetit res Romana, floruêre litteræ, viguêre artes, & quidquid rerum eſt bonarum: eâdem inclinatâ & à barbaris impulsâ, magno mox impetu cuncta

*In peius ruere & retrò ſublapſa referri.*

Poſt eius autem occaſum ſpiſſiſſima nox ingruit, ac tanta caligo temporum, vt eloquentiæ regulam, vt ſapientiæ conſultiſſimam viam nemo quiſquam reſpiceret; Græcarum certè litterarum nulla prorſus notitia, nullus eſſet vſus. At patrum tandem noſtrorum memoriâ, vel antè paullò, quædam iterùm lux affulſit, Græciaque Turcarum in poteſtatem redactâ, pręſtantes quidam eruditione viri grauiſſimo ſeruitutis exuto iugo Græcam in Italiam doctrinam quaſi poſtliminiò reduxerunt, vnde paullò pòſt in Galliam, Hiſpaniam & Germaniam ſpargi diſſeminarique cœpit. Nunc denuò, ſi verum fatemur, eò rediiſſe res videtur, vt non leue periculum impendeat, ne orbe conuerſo rurſus ad alias illa ſedes ac vel ſola terrarum vltimarum commigret. Solent enim contemptus & publica circa bonas artes ſocordia talia tropica inſtituere; *ſublatiſque ſtudiorum pretiis, etiam ipſa ſtudia pereunt, ceu minùs decora.* Atqui nunc incommoda quædam opinio pleroſque inuaſit, animoſque iuuenum non modò, ſed ipſorum quoque parentum, velut peſtilenti quodam ſidere afflauit, nullam

Iam haſce litteras cultoribus ſuis aut vtilitatem aut dignationem adferre, & proinde tamquam ad ſuperuacuas minimè ſudandum. Quâ perſuaſione cùm nihil magis noxium ſit atque perniciosum, anniti pro ſe quiſque debet, vt ex animis hominum ea ſtirpitus euellatur, & excellentiâ doctrinæ politioris ob oculos poſitâ, iuuentus ad ſtudium eius & amorem excitetur. Ego faciam equidem pro virili parte, & ceteris in aliud tempus reiectis, in præſentiâ tantùm de linguæ Græcæ laudibus & vtilitate breuiter ac perfunctoriè dicam. Si enim ad plenum exequi cuncta vellem & complecti orando, tanta rerum eſt ſeges ac materies, vt verba nulla ſuppeterent, ac citiùs me dies quàm oratio deficeret. Dum igitur hoc agimus, huiuſque linguæ præſtantiam primis quaſi coloribus adumbramus, aurium operam, ad audiendum qui conueniſtis, beneuolè mihi dicate.

Tres omnino linguæ ſunt, communi quadam opinione reliquis omnibus digniores, Hebræa, Græca, & Latina. Inter has autem excellere vulgò videtur & eminere Hebræa, non aliâ profectò cauſsâ, quàm priuilegio quodam antiquitatis & ſacrorum. Nam ſi iuſtâ lance ſuiſque ponderibus vnamquamque examinamus, parùm multum hanc diffundi, præterque paucos Rabbinorum & Thalmudiſtarum, anguſtis ſacrorum librorum finibus concluſam, his modò qui ſacra diligentiùs enucleare voluerint, vtilem & fructuoſam eſſe conſtabit. Quod autem genus doctrinæ, quam dignam hominis ingenui ſtudio diſciplinam, vel ingenioſus Græcorum oſor nominare & proferre poſſit, quæ non in vberrimis horum monimentis tantaque ſcriptorum varietate reperiatur? Imò quid vſquam bonarum eſt artium, quod aut ab iſto copioſiſſimo fonte non fluxerit, aut, niſi riuulos eius accerſierit & aſſumpſerit, velut deficientibus venis extenuetur ac penè euaneſcat? Luſtremus agedum omnes & animo cogitationeque percurramus, nullam inueniemus profectò, quam non aut totam aut magnam partem Græcis acceptam ferre debeamus. Nam hi in Italiam, Galliam, aliaſque Europæ regiones, vbi non modò nulla cum Muſis & Mineruâ ratio, verùm vt in vltimâ barbariâ cuncta horrida erant & inculta, colonias, vt ita dicam, ſcientiarum miſerunt, ac tenebras & noctem illam temporum ſuâ luce colluſtrarunt. Quod vt memoria nulla vetus aſſe-

rat, nullæ palàm faciant hiſtoriæ & annales; res ipſa tamen & ratio, cui ſi quis non credat, nihil humani diuiníve credat, & loquatur & confirmet. Ipſæ, inquam, illæ, de quibus agimus, ingenuæ & liberales artes, non aliis vſque adhuc appellatæ nominibus, quàm quæ olim ab inuentoribus Græcis acceperunt. Sed & præcipuæ, quibus illæ conſtant, partes, & innumeræ ſine quibus tradi doceríque nequeunt, dictiones. Quare non eſt mirum, adeò Græcorum eis opus eſſe auxiliis, vt abſque eo tibicine & fulcro claudicare prorſus videantur. Quod vt oſtendam ita ſeſe habere, ab hac potiſſimùm auſpicium faciam, quæ tenerioris eſt ætatulæ tirocinium, & viam atque aditum ad ceteras munit.

Quis, obſecro, veram originem, quis vim & proprietatem verborum, quę ſanè quamplurima Latium illud vetus, vt inopię ſuæ ſubueniret, à tranſmarinâ mutuatum eſt Græciâ, niſi Græcæ linguæ doctus intelligat? quis præter hunc varia locutionum genera minuſque vulgatos orationis modos, quos itidem à Græcis erudita deſumpſit antiquitas, vel in legendo plenè capiet, vel in commentando, cùm vſus erit, aptè opportunéque vſurpabit? Quis alius rectè ſcribendi rationem, quando vel aſpiratione vel Græcanicis vtendum erit litteris, è quorum vel ignoratione vel ſcientiâ continuò de reliquis iudicari ſolet, certam ſatis & exploratam habebit? Quid? in ſermone & pronuntiatione, quæ tamen omnibus qui nomen & notam imperitiæ reformidant, inter prima curarum eſſe debet, ſine Græcæ linguæ notitiâ quàm frequenter vacillabimus, quàm fœdè turpiterque labemur? Niſi fortè quem oblectare exiſtimemus illa quæ ſuperioribus nata ſunt ſæculis, intra Græciæ fines idiomate Græco relegato, Paraclĭtum, Antiphōnam, Alexandrĭam, Baſilĭum, eiuſque generis alia multa, quæ minùs tamen aures radunt ac verberant, quòd ad ea longo iam vſu velut occalluerunt. Alia, alia ſexcenta ſunt, in quæ ceu breuia quædam & ſcopulos vnumquemque noſtrûm impingi continget, ſi non ad Helicen & Cynoſuram, id eſt originem Græcam, animum & oculos conuertamus.

Quod verò ſequitur, & quò filum orationis ducit, ad artem faciendorum verſuum ſi neceſſariam hanc linguam eſſe dicam, quòd eius ad calculos exigi ſyllabarum ratio debeat, vereor ne putidè moleſtéq; dicere, ne trita nimis & tralaticia adducere videa-

deamur. Mittam igitur hæc, aliiſque rationibus Poëticam Græcorum adminiculo plurimum indigere demonſtrabo. Non enim vt quiſque verſum pedibus inſtruxit, ſenſumque teneriorem ambitu verborum intexuit, continuò in Heliconem venit. Aliis opus eſt copiis atque præſidiis: & quemadmodum in Ægypto nullas terra fruges progignit, niſi ſtagnante Nilo benè irrigata; ſic pectoris noſtri (ita loqui liceat) ager nec concipere nec edere partum poteſt, niſi ingenti quodam flumine litterarum inundatus.

*Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant,*

ac variis è ſuccis puriſſima mella cogunt atque ſtipant: ita qui noluerit malus eſſe poëta de populo, cùm omnia Muſarum arboreta perambulabit, tum ſacros illos & vetuſtate venerabiles lucos, vbi perpetuò virent ſequaci cum hederâ lauri, vbi iugiter ebulliunt puriſſimi illi fontes; è quibus veteres quia largiter hauſerant, ſupremum propè laudis & gloriæ culmen attigerunt. His itineribus itur ad carmen: huc digitum intendunt Romanæ Muſæ principes, & ſua per veſtigia poſteros mittunt. Hinc cæleſtis illa prodiit Æneis, omnemque non modò ſuccum & ſanguinem, ſed etiam colorem duxit. Hinc Romanæ fidicen lyræ, Pindaricos ſecutus feliciter numeros, inſignem capiti coronam decerpſit. Hinc Catullus, Tibullus, & qui Romanus non immeritò dici Callimachus amat, exemplum ſcriptionis ac laudis ſuæ materiam acceperunt. Quid Comicos ac Tragicos in ſcenam producam? qui Græcanicos eius generis ſcriptores non leuiter & ſaltuatim libarunt, ſed interpretari quàm imitari maluerunt. Quid mirum? nihil optimis addi poſſe videbant, & quidquid mutare conabantur, id non tam ſecùs quàm ſequiùs dictum iri animaduertebant.

Videtis, Auditores, ad hæc adyta neminem ingredi ſine Græcis & ducibus & myſtagogis: an exſpectatis, vt tantumdem de Oratoribus dicamus? Ipſi prodeant, ſitque non dubia declamatorij ſermonis, ſed certa religioſæ ſub teſtibus orationis fides. Te appello Marce Tulli: tu memorię prodidiſti, quòd eloquentiæ Latinæ pater audis, hoc te potiſſimùm Græcis acceptum ferre diſciplinis. Te M. Fabi teſtor, qui tuum illum, quem à teneris formas Oratorem, à Græcis initium facere debere, & hiſce fun-

e damen-

damentis eloquentiæ faſtigium inædificare confirmas. Quid vultis ampliùs, Auditores? an vt reliquos inſpiciamus omnes, qui nomen huic Diuæ dederunt? Excutite agedum, ſcrutamini diligenter: Græcis omnes inſtructos fuiſſe litteris, Græcorum omnes imitationi ſtuduiſſe comperietis; ſed inprimis Demoſthenis, quem diſertus & elegans ille Secundus dicendi normam & regulam appellat, de quo M. ipſe Tullius teſtatur, illum multa perficere, ſe conari; illum poſſe, ſe velle.

Sed & Philoſophos (nam liber animus noſter eſt, & quiduis cogitatione complectitur) Philoſophos inquam intuemini: non togatos, ſed palliatos, non è Septis aut campo Martio, ſed ex Academiæ ſpatiis aut Lycei ambulationibus; non è porticu Minutiâ vel Æmiliâ, ſed illâ Zenonis & Chryſippi pœcile prodeuntes cernetis: nec antiquos tantùm illos, à quibus prima præcepta ſapientiæ & aurea reperta manarunt, quicumque deinceps ordine longo veniunt: nullum in his Titium aut Seium, ſed Iamblichum, Porphyrium, Proclum, ſed Alexandrum, Simplicium, Ammonium, omnes denique Græcos & Græcè loquentes audietis. Tardè enim, tardè Philoſophiam vrbs Martia cognouiſti: id eſt eo demum tempore, quo ſtabilito firmatoque iam imperio, cum Græciâ commercium habere cœpiſti. Hæc tum aditum tibi munitauit: hæc velut manuduxit ad illa

*Edita doctrinâ ſapientum templa ſerena,*

cùm iam anteà leges ſuas, id eſt inclytas illas Solonis, è quibus XII. concinnatæ ſunt tabulæ, tecum benignè participaſſet. Huic etiam diuinam medicandi ſcientiam debes: quippe quæ multis ante Celſos & Scribonios ſæculis, imò vel antè conditorem tuum Romulum, Podalirios, Aſclepiadas atque Machaonas, quos ætas ſua quaſi ſalutares Deos coluit, felici quodam puerperio procreauit. Quid? non Hippocrates & Galenus, quos velut in arce Medicinæ poſitos ceteri medicorum filij venerantur atque ſuſpiciunt, medendi regulas & præcepta Græcè poſteris tradiderunt? Quid? non illa, quibus noſtra nos mortalitas obnoxios reddit, infeſta an funeſta morborum manus, non ſalutares illæ plantarum atque medicamentorum copiæ quibus illam noxam peſtemque depellimus, non ipſæ denique corporis noſtri partes, præſertim interiores illæ, quas circa præcipua medi-

medicorum cura verſatur, Græcis omnes nominibus, quia Latina non habemus, appellantur?

Sed quid ego illa commemoro, quæ patent, quæ liquidò tenent omnes? Neç enim cuiquam dubium aut obſcurum eſſe poteſt, quin Medicinæ candidatus in Græcis ſtudium ponere neceſſariò debeat; de Iuris& Legum fortè aliquis de foro rabula neget: quem ſatis refutabunt religioſiſſimi quique Themidos antiſtites, qui noſtrâ parentumque memoriâ Iuriſprudentiam liberali cauſsâ manu aſſeruerunt, & abſterſis fœdiſſimis illis maculis, quibus ſuperioribus ſæculis ab hominibus minimè malis, ſed amœnioris litteraturæ expertibus, velut cœno conſpurcata fuerat, in priſtinum ſplendorem reddiderunt. Et quibus aliis quæſo præſidiis aut opibus, quàm quòd & pares in vtriuſque linguæ facultate, & antiquitatis & hiſtoriæ periti? Nihil dico de Epitomâ Theophili verè aureâ, quâ legum ille elementa pulcherrimè complexus eſt: taceo de libris Βασιλικῶν, & promptuario Iuris ab Hermenopulo præclarè concinnato: prætereo multas multorum Principum Conſtitutiones, Epiſtolas, Decreta, quę in voluminibus Legum Græcè exſtant: quorum omnium cauſsâ, qui Græca ſtudioſè didicerit, vt omittam quanto futurum id ornamento ſit, operæpretium facturus eſſe videatur.

Nolite exſpectare, Auditores, dum omnes obeam oratione meâ diſciplinas; deſino, ſi tria de Theologiâ verba fecero, grauiſſimâ illâ quidem omniumque digniſſimâ, quę per ſepta nubium in cælum euolans, mortalium animos cæleſtibus inſinuat ſecretis, ac diuina cum humanis artiſſimâ copulatione deuincit: ad ſummam, quantum æterna caducis, cæleſtia terrenis, tantum ceteris dignitate ſcientiis antecellit. Verùm eâ re nec temerè, nec illotis, quod aiunt, pedibus ad eam accedendum eſt; ſed magnâ cum reuerentiâ, multiſque ſubſidiis & inſtrumentis. Nam ita naturâ comparatum eſt, vt optima quæque & præſtantiſſima maximâ cum difficultate coniuncta ſint, & in re ſummâ vel leuis error grauis ſit ac periculoſus. Præceps hîc autem eſt & lubrica via ſine ducibus Gręcis, quòd ſacrorum monimentorum magna pars initio ſcripta Græcè, quòd ipſorum Euangeliorum Marci, Lucæ, Ioannis, totque Epiſtolarum Apoſtolicarum primigenia ſcriptio Græca, quòd Baſilius, Origenes, Gregorius

Nazianzenus, Clemens Alexandrinus, Chryſoſtomus, Damaſcenus, alijque complures diuinâ ſapientiâ viri, ſanctas cogitationes interioreſque ſuos ſenſus Græcis litteris conſignarunt.

Sed hîc audire mihi videor proletarios quorumdam ſermones, quibus breuiter reſpondendum exiſtimo, ne quod contemptu præteriri poſſet, metu conſcientiaque à nobis omiſſum eſſe iactent. Omnes, aiunt, illi tui Græcorum heroës, quorum velut indices percenſuiſti, quandoquidem Latij nunc iure dônati ſunt, & in Romanam accepti ciuitatem, &, vt ita dicam, intra pomœrium & vrbis ipſa mœnia verſantur, quid vltrà iam opus immenſum maris æquor ſulcare? quid in Græciam & Athenas Atticas commigrare? perinde quaſi quàm facile negotium eſt pro pallio togam in humeros iniicere, & in aliquam ciuium Romanorum tribum tranſcribi, tam etiam in procliui ſit, quæ ſcitè & eleganter vernaculo patrioque ſermone ſcripta ſint, eadem alieno & externo ſic tractare, nullum vt appareat veſtigium ac nota peregrinitatis, eidemque ſententiæ diuerſi idiomatis reſpondeat cultus & Latinus tamquam Atticiſmus. Innumera, mihi credite, ſunt quæ adoptari recuſant: quę ſi in aliam tranſferre & transformare linguam conamur, vis omnis & venus ſimul perit: non aliter quàm herbæ quædam & arbores, ſi loco mouentur & in aliud migrant ſolum & cælum, prorſus degenerant, & aut nullos planè fructus, aut pro dulcibus acerbos & amaros gignunt. Sua cuique linguæ gratia, ſuus ineſt decor & natiua quædam forma, quam nullo mentiri fuco, nullis exprimere pigmentis vel egregius artifex poſſit. Beata Græcis vbertas eſt, ac mira iungendis & quaſi coagmentandis vocibus felicitas; quò Latini ſermonis inopia, de quâ cùm Fabij Quinctiliani, tum ipſius exſtat querela Ciceronis, numquam aſpirabit. Interpretes autem quantum ab auctoris mente ſæpè aberrent, magno ſuo malo res litteraria cottidie experitur. Quas enim illi, Deus immortalis, præſtigias nobis obiiciunt? quæ monſtra, quæ portenta vel mari ſubmergenda, vel *infelicibus vſtulanda lignis*, pro veris & legitimis contra legis Corneliæ decreta ſupponunt? quæ diſtinguere & internoſſe tantùm illi valent, qui cum Latinis Græca coniunxerint. Hi fidenti ſecuroque gradu ſcriptorum genus omne peruadunt, nec aliorum velut Otacuſtarum narrationi

tioni

tioni credere coguntur; ſed ſuis ipſi vident oculis, ſuis audiunt auribus, denique ſuâ, non alienâ fide nituntur. Non oſtendam, quàm præcipuum iucunditatis fructum capiant ex ipſis ſummorum hominum accuratis & meditatis commentationibus, quibus omnium ſæculorum conſenſu ſapientiæ ſimul & eloquentiæ palma defertur. Non commemorabo, quantum iuuet ac delectet in Latinis etiam libris, quibus Græca paſſim ceu gemmæ & emblemata quædam inſeruntur, abſque interpellatione & vno lectionis quaſi curſu pergere, cùm aliis, qui ſine interpretibus nihil poſſunt, eorum occurſu, ſicut viatoribus obiectu fluminum aut incilium, gradum ſiſtere & hærere neceſſe ſit. Præteribo tacitus, quanta & quàm liquida voluptas intimis eos ſenſibus titillet, cùm vident & obſeruant, quos quiſque riuos & quaſi digitos à perennibus illis fontibus in agros ſuos ac prædia deduxerit. Relinquam hæc omnia cum aliis permultis; quæ ſi velim perſequi, nullum oratio noſtra reperiat exitum, & abundè ſatis ex his rerum capitibus liquere exiſtimo de ſermonis huiuſce præſtantiâ, tum etiam quantum interſit cum ipſiſmet auctoribus an eorum interpretibus colloquamur.

Deſinant igitur, deſinant iſti μισέλληνες: comprimant vocem erroris & ſtultitiæ ſuæ indicem: vos autem, Auditores, ſi Græca lingua ceteris eſt longè copioſior, tantùmque habet ad emendatè & loquendum & ſcribendum momenti: ſi Poëſis & Eloquentia ſine his fomentis frigidæ, exſangues, emortuæ ſunt: ſi Philoſophia, quòd Græcè tradita ſit & ad poſteritatem propagata, Græcis quamplurimùm litteris adiuuatur: ſi nullum in Medicinâ abſque eis operæ pretium facere quiſquam poteſt: ſi Iuriſconſultorum ipſa lumina tam huius quàm Latini ſermonis peritiam habuerunt: ſi plerique libri ſacri Deóque dictante conſcripti, multorumque ſanctiſſimorum hominum monimenta vix aliter quàm Græcè legi poſſunt: & vt ſemel finem faciam, ſi hæc lingua amœnioris omnis diſciplinæ magiſtra, liberalium & ingenuarum artium parens, altrix, conſeruatrix: quid quæſo penſius nobis eſſe debet? in quo magis elaborare, vbi maiorem adhibere curam, meditationem, ſtudium oportet? Negotiatores medius fidius incerti ſpe commodi, tum etiam opifices parui quæſticuli gratiâ magnam laborum & moleſtiarum molem ex-



Digitized by Google

hauriunt, variiſque terrâ mariq́ue periculis caput obiiciunt; nos aliquantulùm operæ in re pulcherrimâ ponere pigebit? vbi non ambigua, ſed explorata; non exigua, ſed multo maxima; non leuis & vana, ſed ſolida, ſed duratura nos manet vtilitas. Quòd ſi M. Cato Conſularis, Cenſorius, & tantis domi belliq́ue rebus geſtis, ac iam ſexageſimum ſupergreſſus annum, Græcas addiſcere voluit litteras, &, vt ipſius verbis vtar, ***auidè ſic arripuit, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens***, an obſecro quiſquam noſtrûm & id ætatis & in hac otij felicitate ſibi id graue & moleſtum habebit? Non id profectò vereor, Auditores, neque tam malè de ſæculo noſtro libet augurari. Date operam, quæſo, ne animi fallar, & optima ſtudia non opinionum, vt ita loquar, inani bracteâ, ſed ſolido veritatis auro iuſtiſque pretiis æſtimate.

## PACEM *cum* BATAVIS *eſſe faciendam.*

MAGNIS de rebus ac neceſſariis deliberamus P. C. Bellum ne paci, an bello pax præferenda ſit, dubitatur. Quæ conſultatio licet nihil habeat difficultatis; tamen ſententiæ quorumdam, armorum potiùs quam pacis ſociæ, veſtras in deliberando mentes diſtrahere videntur, & tamquam in obſcuro quodam negotio ancipitem adferre curam cogitandi. Quorum hominum oratione quia video Rempub. in ſummum adduci periculum & extremum pænè diſcrimen, memor cùm perſonæ quam impoſitam à vobis ſuſtineo, tum caritatis quam patriæ debeo, diutiùs mihi imperare non poſſum, quin pro patriæ ſalute malorum ciuium inuidiæ me opponam, voceſq́ue indices mei ſenſus, imò bonorum omnium, emittam. Vos oro & obteſtor P. C. ſi quid liberiùs in eos dixero, quos tam odi quàm Rempub. diligo, tum amoris communis patriæ, tum vltimâ neceſſitate expreſſum cenſeatis.

Sed priuſquam declarem, cur pacem eſſe velim, refutabo ſermones aliquorum, qui non opinione lapſi (loquar mehercule quod ſentio) ſed voluntate à Repub. diſſidentes in re clariſſimâ tenebras nobis offundere, atque inanium rationum ſplendore obiecto mentis aciem perſtringere, ne veritatis lumen conſpicere poſſimus, omnibus neruis contendunt & elaborant. Negant

&

& legatos mittendos, & pacem faciendam, quòd iuſta belli cauſſa, quòd infinitæ noſtri Regis opes ac potentia, atque adeò certa tandem & explorata victoria. In quâ parte terrarum hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in eâ, cuius habitatores olim maiores noſtri, cùm à Cæſare Iulio bello laceſſiti, pro libertate, pro aris & focis decertarent, in optimâ tamen cauſſâ ſuperati ſunt; & cùm ſuis contenti finibus neminem læderent, incurſionibus Hunnorum & Vandalorum crudeliſſimarum gentium toties vexati ſunt & oppreſſi. An eſt quiſquam qui hoc ignoret, cùm homines pij deſtinentur ſedibus illis æternis ac beatis, eos in terris aliquando Deo conniuente ab impiis & omnium ſacrorum ac religionum hoſtibus vinci, torqueri, cruciari? Niſi verò exiſtimemus Iudæorum olim gentem iniuſtiores habuiſſe bellandi cauſſas, quando pro defenſione templi auguſtiſſimi & religioſiſſimi dimicabat, quàm importunos illos ac nefarios Perſarum, Medorum, Ægyptiorumque tyrannos, qui diuina & humana violarunt, atque effrenatâ quadam & furioſâ dominandi cupiditate regiones omnes ac ſola terrarum vltimarum ſanguine & cædibus repleuerunt. Neque poſſet aut Iudas ille Machabæus religionis propugnator acerrimus, aut fratres eius præſtantiſſimi duces, aut alij innumeri, quos legentibus Annales & monumenta vetuſtatis repræſentant, aut noſtrâ patrumque memoriâ tot Principes Europæ, qui fato neſcio quo Chriſtianæ Reip. miſero cum Turcis toties aduerſo Marte pugnarunt, non impij ac ſcelerati cenſeri, ſi ſemper ab iiſdem partibus Iuſtitia victoriaque ſtarent. Itaque non ſine cauſſâ doctiſſimi homines, cùm animaduerterent improborum non dico impunitatem, ſed proſperitatem ſecundaſque res maximam eſſe illecebram peccandi, fictis fabulis memoriæ prodiderunt, eum qui aliquid impiè ſceleratèque commiſerit, poſt mortem agitari Furiarum tædis ardentibus; terribiliaque Titanum, Ixionis, Tantali ſupplicia, horrendaque nomina Cerberum, Tiſiphonem, Acherunta, Cocytum excogitarunt. Sed quid ego Poëtarum figmenta & ineptias penè aniles commemoro? Quid Sacræ litteræ, quid viri ſanctiſſimi & ipſa Religionis noſtræ columina, quid ipſe Deus cùm inter homines humanâ ſpecie verſaretur, aliud pietatis cultoribus propoſuit, quàm miſerias & ærumnas? Nullum profectò certius

atque

atque manifeſtius diuini fauoris argumentum. Ex quo patet, quàm debile ſit hoc propugnaculum aduerſariorum, quo ſententiam ſuam firmatam ſatis & obuallatam putabant, noſtramque victoriam ob iuſtas belli cauſſas aliquando fore dictitabant.

Neque me illa oratio commouet, quâ regiam magnitudinem & potentiam tamquam murum nobis opponunt. Ingentes, fateor, PHILIPPI Regis opes, exercitus incredibiles, immenſum Imperium, felicitas permultis & inſignibus victoriis comprobata: veruntamen cogitare debemus, longo difficilique bello vel ampliſſimos theſauros exinaniri, deinde in locis maritimis iniquiorem fore belli rationem, maioriſque cùm impendij tum diſcriminis, præſertim cum hominibus exercitatiſſimis atque paratiſſimis, nobiſque in eo genere dubio procul longè peritioribus: poſtremò naturam & conditionem, vt vinci poſſimus, nos habere. Et, vt commodiori loco res noſtræ ſint, magnaque ſpes victoriæ, quæ certè non eſt, longè melior ſit tamen certa pax, quàm ſperata victoria. Nuſquam enim minùs quàm in bello reſpondent euentus, & incerti planè ſunt armorum exitus, Marſque communis. Quod ſi velim exemplis confirmare, dies, vox, latera me deficiant. Vtinam non reapſe docti id eſſemus! Non tot fortiſſimos duces interfectos, tot exercitus occiſione occiſos, tot claſſes ſubmerſas, tot munitiſſimas vrbes amiſſas quereremur.

Non eſt igitur quare fiduciâ virium elati & inflati tantos nobis ſpiritus ſumamus, pacemque repudiemus. Niſi fortè quòd ea turpis, quòd periculoſa, quòd, vt illi clamitant, eſſe non poſſit. Pax turpis? quid ſi planum facio, eſſe honeſtam, eſſe vtilem, eſſe neceſſariam, numquid cauſſæ eſt, quin vt Senatu moti ſedes illas, ad quas non ſimplici directaque viâ, ſed per itinera deuia, per anfractus in hac nocte temporum aſcendiſtis, turpiſſimè deſeratis, atque omnem hominum conſpectum fugiatis? Quis enim mortalium, niſi veſtri ſimilis, in poſterum vos auſcultabit? quis non contaminato veſtro ſpiritu & impurâ iſtâ voce commaculari Rempub. ſeque, ſi vos audierit, ſcelere adſtringi arbitrabitur? quis vos non vitabit, & cùm viderit, tamquam auſpicium malum deteſtabitur? Sed pax turpis & ignominioſa. Videte P. C. quam iſti famæ veſtræ ſecurim iniiciant. Nam ſi res ita ſe habet, cur

Digitized by Google

cur toties pacem petiuiſtis? niſi verò cùm legationem ad Batauos decreuiſtis, pacem non petiſtis: nec tum pax à vobis eſt petita, cùm legati veſtri è portu Antuerpiæ ſoluentes Bataùiam verſus nauigarent. Quid? cùm Erneſtus laudatiſſimæ memoriæ princeps, veſtris conſiliis & auctoritate litteras ad Mauritium & Ordines Batauiæ daret, tum pacem non petiſtis? Ad quid igitur, aut quò proficiſcebatur vir clariſſimus & prudentiſſimus N? quò N? quo N? Quid, cùm per omnia veſtræ ditionis opida publicis in concionibus pro felici legationis euentu preces & vota concipi iuſſiſtis, cùm ſpe pacis conuiuia inſtituiſtis, cùm voces teſtes lætitiæ veſtræ non continuiſtis, tum pacem vehementer à vobis deſiderari non declaraſtis? Itaque cùm non ſemel veſtris legationibus pacem petiſtis, quam nomini veſtro maculam & labem inuſſiſtis, ſi tanta ſit in pace turpitudo? Sed benè res habet P.C. tantum abeſt, vt hinc aliquod in veſtram dignitatem aut dedecus aut infamia redundet, vt etiam laudem ſitis ampliſſimam conſecuti. Quamquam enim veſtri conatus ad nihilum reciderunt, quoniam tamen conſilia non ex euentu, ſed ex voluntate probanda ſunt, cunctis notum atque teſtatum feciſtis, vos amantes eſſe patriæ, concordiæ, publicæque tranquillitatis, & omnem à vobis culpam miſerrimi belli tantarumq; calamitatum remouiſtis. Odium illud inueteratum, quo noſter hic ordo conflagrabat, pænè reſtinxiſtis, nec ignem nouum ſubiici permiſiſtis. Quòd ſi tandem opus ad præclarum, ad optatum finem perducatur, quid ſolidæ laudis ac veræ dignitatis præſtantius vobis poterit accidere, quid efficaciùs ad immortalitatem gloriæ & ad memoriam veſtri nominis ſempiternam, quàm horribilem illam vim tempeſtatum ac procellarum, quâ Reip. nauis quaſſabatur, & maximos illos decimoſque fluctus, qui naufragium non tantùm huic Belgio, ſed omni propemodum Europæ minabantur, nec humanis viribus ſedari poſſe videbantur, veſtrâ arte & prudentiâ eſſe compoſitos? Hæc profectò laus ſuperabit omnes omnium ducum atque regum victorias, trophæa, triumphos: hæc litteris mandabitur, hæc memoriæ prodetur, huius ne poſteritas quidem omnium ſæculorum immemor erit.

Deſinant igitur, deſinant iſti quietis, otij, compoſitionis ini-

mici falſa veris ſupponere, remque pulcherrimam quaſi dedecoris & ignominiæ plenam infamare. Quid autem periculoſam eſſe pacem intelligant, non video, niſi ſeipſos ſpectent, quibus omne in turbido conſilium, quique in iſtis Reipub. tenebris cæciſque nubibus ac procellis pleniſſimis velis proſperè nauigant. Nam ſi quemadmodum ipſi volunt, idcircò dubia pax & incerta futura ſit, quia cum iis quos hoſtes iudicauimus; ex eo ſequetur, quo nihil abſurdius ne cogitari quidem poteſt, mortales amicitias, ſempiternas inimicitias habendas, ac proinde bellum omne ſemel inceptum numquam eſſe finiendum. Quod enim ferè bellum cum aliquo ſuſcipitur, niſi miſſi feciales, niſi denuntiatio facta, niſi hoſtis fuerit iudicatus? Prô Deus immortalis! eſſéne quemquam tantâ audaciâ præditum, qui quod à veritate remotiſſimum eſſe ſciat, id in hoc ampliſſimo loco extra ſeptum dentium, vt Poëticè loquar, emittere non dubitet? quod nemo non videt, id Principes publici conſilij & orbis terrarum ipſa lumina præterire credat? quod ipſe ſibi probare non poſſit, id alteri perſuadere conetur? Quòd ſi crudum adhuc bellum & recens eſſet, non immeritò timeri poſſet, ne quid pax haberet inſidiarum; verùm poſtquam tanto temporis interuallo, tantiſque partium cladibus & vlciſcendi cupiditas, & animorum ille ardor deferbuerit, quænam, malum, eſt iſta ſuſpicio? quis ille metus? quæ tanta diffidentia? Vt aliquis verò remaneat poſt pacificationem ſcrupulus, vt nonnihil offenſæ & ſuſpicionis in animis reſideat, nónne paullatim dies eximet, vſus & conſuetudo tollet?

En rationes, en cauſſæ, cur pax, quâ melius nihil hîc à Deo mortalibus dari poteſt, reſpuatur. Supereſt vt quibus è periculis ea nos eripiet, & quam habeat neceſſitatem, doceamus. Nam de communibus illis pacis commodis & vtilitatibus non diſputo, cùm nemo poſſit eſſe tam ſtupidus & ſtolidus, tam audax & impudens, qui non iſta cùm probè ſciat, tum etiam fateatur. Illud dico, ſi bellum trahitur non fore nobis cum vno hoſte certamen, ſed cum infinitis. Etenim vt Batauí intelligent (intelligent autem, quia nihil tam occultum, quod non erumpat & illuſtretur) quid hîc agitauerimus, odium in nos concipient acerbiſſimum, nouis amicitiis & artioribus fœderum vinclis ſeſe conſtringent, omnes gentes atque nationes ad ſocietatem belli contra

tra

tra nos ineundam inuitabunt, ac ne Turcas quidem infenſiſſimos Chriſtianorum hoſtes aduocare verebuntur. Et metuo, ne, quod aiunt, tamquam vnguis in vlcere exiſtant. Omnibus enim Regibus & Principibus (vt eminentiſſimæ Fortunę comes Inuidia eſſe ſolet) adeò grauis & odioſa Regis eſt noſtri magnitudo, quibuſcumque modis vt alas ei incidere conentur. Et nunc quidem alij palàm & aperto Marte faciunt, alij clàm perduellibus copias & pecuniam ſubmittendo. Tandem verò cùm & regias opes diuturno bello penitus exhauſtas, & noſtras omnino vires debilitatas & ad nihilum redactas exiſtimabunt, omnes ſimul perſonam deponentes, odium quod clauſum tenuerant, effundent, omnes bellicum canent, ac velut ad commune quoddam incendium reſtinguendum conuolabunt. Poteritis igitur tot hoſtibus eſſe pares, qui paucis ægrè reſiſtitis? Poteritis vno tempore varios exercitus alere, præſidia diuerſis locis habere, claſſes ædificare, inſtruere, renouare; finitimas ciuitates, quæ immunitæ ſunt, quæque ſi caperentur, velut aggeres oppugnandis ceteris eſſent, firmare munitionibus, tormentis, commeatibus, reliquoſque bellorum ſumptus ferre? Poteritis, inquam, rebus attritis bellum ſuſtinere tam varium atque multiplex, qui viribus integris, & optimâ Republicâ vni ferendo vix eſtis? Licétne ſperare plebeculam ad nutum huius ordinis expeditam ſemper fore, & ad munia militum obeunda, ſumptuſq; in rem militarem faciundos promptam ac paratam? nihil ab inopiâ ac deſperatione, peſſimis ſanè conſultoribus, metuendum? nulla ſeditio vel motus à turbâ militari? qui nunc ægrè coërcentur, quid facturos putamus poſt grandem ſtipendiorum numerum & graue æs alienum? Proponite vobis ante oculos, & intuemini paulisper animis, quanta tum ipſorum futura ſit inſania? quâ vi, quo impetu, ad bona cuiuſque deprædanda rapientur? quâ audaciâ, quo furore, præſtantiſſimorum locupletiorumque ciuium domos irrumpent? Nullâ in vrbe tam immanis Annibal captâ, quàm in noſtris tum illi ſinguli Tragico illo Oreſte aut Athamante dementiores eſſe videbuntur.

Sed de hoc ſatis. nam ſolâ tantæ calamitatis cogitatione totâ mente & omnibus artubus contremiſco: itaque ad aliud tranſeo. Serus in cælum redeas, SERENME PHILIPPE, rogo; verùm

ſi quod fata iamdudum minantur, id aliquando perfecerint, quid propiùs fiet, niſi Deus nos reſpexerit, quàm vt occaſus & interitus huius Reipub. conſequatur? Quemadmodum vbi magna & annoſa arbor conciderit, ad ramos vndique & ligna cædenda concurritur: ita ſi quid humanitus Regi noſtro contigerit, bellis necdum ſopitis, omnes in occaſionem intenti, velut ſignum ad arma perculſis tantoque caſu vacillantibus inferenda ſublatum exiſtimabunt, ac velut ad prædam inuitati coniunctis copiis impetum facient. Neque eos modò, quos infeſtos eſſe Regi credimus, hoſtes habebimus; ſed & alios, vt vereor, quos, vt in animis multæ ſunt latebræ magnique receſſus, amiciſſimos putamus.

Sin hæc leuiora videntur, quæ ſunt longè grauiſſima, num etiam hoc contemnimus, quòd Religio Catholica ſummum ex belli morâ capiet detrimentum? Si quis adhuc in Batauiâ pietatis ſenſus reſtat, ſi qui latent in pectoribus hominum igniculi; hi vel aſſiduâ malorum conſuetudine, vel longo temporis ſpatio, quo nullus in iis locis Catholicæ Religionis vſus, ita reſtinguentur, vt breui tempore ne ſcintilla quidem ſuper ſit futura. Ceteri verò ſic confirmabuntur, vt falſæ opiniones erroreſque penitus inſiti & vetuſtate iam corroborati nullâ vi ſint euellendi. Adhæc Turcarum & Barbarorum Imperium maximo noſtro tum damno tum dedecore mirum in modum augebitur. Ita nimirum ſuperioribus temporibus, diſcordiâ cùm Boëmundi atque Tancredi, tum aliorum, magnus ille Saladinus, Chriſtianis ex omnibus Aſiæ finibus exturbatis, Ieroſolymam in poteſtatem redegit, & ad eum diem inuiolatum & intactum Seruatoris noſtri monumentum profanauit. Ita diſſidentibus Palæologis à Cantacuzenis, Amurathes magnam Græciæ partem occupauit. Ita Mahumethes vrbem Conſtantini Romanæ magnitudinis æmulam, & illâ tempeſtate lucem orbis terrarum, vbi tanta religio, tot Diuorum templa, tot Sanctorum reliquiæ conditę erant, non ſine graui Principum Chriſtianorum inter ſe digladiantium infamiâ cepit, & Imperium Orientis clariſſimum funditus euertit. Ita, vt antiquiora præteream, patrum noſtrorum memoriâ Suleimannus, Ferdinando Auſtrio & Ioanne Sepuſio de regno contendentibus, Budam atque Belgradum ampliſſimas

vrbes

vrbes expugnauit, totamque Pannoniam vaſtauit, afflixit, diuexauit. Ita Rhodum, ita Boſniam diuinâ tuâ & incredibili virtute, Rex MATTHIA, contra innumerabiles Barbarorum copias impigrè defenſam amiſimus. Ita denique Cyprus inſula locuples ac referta Venetis ablata, iugum acerbiſſimum excepit ſeruitutis. Et vtinam his regionibus ac finibus immanium & nefariorum latronum imperium terminetur! Vereor ne Europa. ſed abſtinebimus augurio tam ſiniſtro. Illud affirmo, niſi celeriter hæc domeſtica bella ſedentur, adeò non eſſe ſpem recuperandi quæ perdidimus, vt etiam grauiora ſint formidanda.

Quare nolite P.C. id velle, quod velle non debetis, niſi vnâ ruinâ concidere omnes velitis: & cauete per Deum immortalem, ne mala quæ vitare facilè poteſtis, vltrò velut aduocetis & attrahatis. Eſt veſtri conſilij, in poſterum quàm longiſſimè prouidere: proptereà in hac cuſtodiâ tamquam in ſpeculâ conſtituti eſtis, vt dies & noctes omnes Reipublicæ partes intueremini, populumque veſtræ fidei commiſſum ſecurum tutumque præſtaretis. Turpe fuerit, ſapientes homines & multarum rerum peritos, maximè in re tam clarâ, tam dilucidâ, conſilio lapſos, eoſque calculos abieciſſe, ad quos redire poſteà fruſtrà deſiderent. Id tempus habemus, eam opportunitatem, eum totius populi conſenſum atque conſpirationem ad pacem, vt ſi (quod Deus omen obruat) eâ reiectâ grauior aliquis Reipublicæ caſus acciderit, ampliſſimus hic ordo, qui ſic eſt propoſitus atque editus in altum, vt ab omnibus ventis inuidiæ circumflari poſſit, & odium omnium hominum, & crimen omnium malorum quæ ſequentur (quid autem mali non ſequetur?) ſit ſuſcepturus. Equidem hoc vociferor, hoc Deum hominesque teſtor, me Reipub. non defuiſſe; ſed integrâ re monuiſſe, prædixiſſe, denuntiaſſe.

Dixi de periculo: docebo quamquam omnes pariter in vnam belli curam incumberemus, id ne diutiùs quidem geri poſſe. de tribus enim quæ propoſuimus, hoc extremum eſt. Quî poteſt geri bellum in tantis anguſtiis rei pecuniariæ? Indiarum ille fons ab aliquot iam annis minùs copioſè fluere cœpit, alioque curſum dirigere videtur. Vnde igitur auxilium præſtolabimur, vectigalibus, id eſt neruis Reipub. iampridem inciſis, omniumque fortunis conſumptis? An à nobilibus? qui quòd nihil commodi

percipiant, aut ex fundis & agris, quos vel mare perruptis aggeribus inundauit, vel hoſtium incurſiones incultos atque deſertos reddiderunt, aut ex ædibus atque prædiis vrbanis, quæ conductores vix reperiunt, ad incitas & extremam egeſtatem peruenerunt. Ab his ſubſidium exſpectabimus? An à negotiatoribus? quibus ante calamitoſiſſimum hoc bellum hæc regio ſic & abundabat & florebat, vt mundi totius emporium appellaretur, hoc verò tempore terrâ marique clauſis ad tam paucos redacti ſunt, vt vix vmbram & imaginem mercaturæ videamus. Nam quid ego de miſeris aratoribus loquar? qui prædiis & agellis expulſi, perditaque reculâ, quam aratro quæſiſſent, in quâ elaboraſſent, quam agri ſegeteſque extuliſſent, vagantur egentes cum coniugibus ac liberis; cumque ſudore & labore ſuo reliquis victum anteà ſubminiſtrarent, penuriâ nunc & fame contabeſcunt. Cùm hæc ita ſint, quæ ſpes eſt reliqua, ſi bellum ducatur, non inquam exercitum, ſed noſmetipſos, vnde vitam toleremus, habituros? cùm in campis illis fertiliſſimis, vbi paullò antè ſegetes luxuriabant,

*Carduus & ſpinis ſurget paliurus acutus:*

cùm à tergo, fronte, lateribus, denique ab omni parte nationibus cingemur infeſtiſſimis, atque adeò nihil quidquam aliunde importabitur. Tot vndique fata nos circumſtabunt, vt ne ſalus quidem ipſa tueri nos poſſit. Vnum eſt remedium Pax, quâ non ij modò, quibus ſenſum natura dedit, ſed etiam tecta, ſed agri, ſed conſtans ille & æquabilis aſtrorum fulgor, ipſique cælorum orbes, qui continuo gyratu circumacti concordiâ quadam & caritate mutuâ ſeſe complectuntur, lætari quodammodò videntur. Hanc omnis nobilitas, quantulacumque reſtat, equeſter ordo, opifices, agricolæ, ſummi, medij, infimi, denique vniuerſi vnâ voce atque vnâ mente à vobis poſtulant ac petunt: hanc patria proſtrata ad pedes, manuſque ſupplex multis cum lacrymis tendens, vos rogat: hanc repoſcunt magni illi manes & clarorum Heroum animæ, qui vobis imperium hoc florentiſſimum reliquerunt, orantq; ne hunc dolorem cineri atq; oſſibus ſuis inuratis, vt per poſteros malè de patriâ meruiſſe videantur: hanc ad extremum mẽtes Beatorum omnium, qui ad æternã illam domum recepti perpetuò conſentientibus ſunt ſenſibus, à vobis efflagitãt.

Quare

Quare agite P. C. paucis iſtis ad bellum vos impellentibus non minùs quàm armato hoſti reſiſtite, veſtriſque cogitationibus ad pacem conuerſis, de Legatorum miſſione decernite. Recordamini ſalutem agi non tantùm huius populi qui commendatus eſt vobis, ſed totius ferè Europæ, cui Turcæ ferrum ignemque minitantur: vitam & fortunas cuiuſque, quæ in ſummum diſcrimen vocantur; decus & honorem nominis veſtri, quem hoc pacto maiorem in modum augebitis: Religionem Chriſtianam, quæ ſi bellum producitur, in Batauiâ prorſus extinguetur. Sit aliquis ærumnarum finis, quibus vltra triceſimum iam annum conficimur. Reddantur parentibus liberi, liberis parentes. Sint homines tuti in tectis, nec in perpetuo metu, ne vel è ſinu gremioque patriæ abſtrahantur, vel è patrimonio quaſi naufragio nudi expellantur. Reſtituatur cultus agris, quies & tranquillitas habitatoribus, ſecuritas terris, mari, portubus. Floreant iterùm ſtudia & diſciplinæ liberales, quæ ſpretæ contemptæque iacent. Recipiant ſuum robur leges, quibus inter arma nullus eſt locus. Redeat vbertas & abundantia rerum omnium. Ceſſent vrbium expugnationes, tectorum incendia, rapinæ, ſtupra, cædes, cedatque tota malorum illa cohors: eiuſque loco ſuccedat omnium cumulatione bonorum quæ mortalitas recipit perfecta felicitas, vt omnes intellegant, poſt acerbum diuturnumque bellum quàm ſit pax cùm iucunda tum ſalutaris.

## APP. CLAVDIVS *accuſat* Q. FVLVIVM FLACCVM *quòd Campanos contra iuſſum Senatus ſecuri percuti mandauerit.*

Si quis veſtrûm, Quirites, fortè miretur, me, qui & multis abhinc annis dicendi conſuetudinem intermiſerim, & in cauſſis iudiciiſque publicis ita ſim verſatus, vt defenderim multos, læſerim neminem, ſubitò mutatâ voluntate & ad dicendum & ad accuſandum animum appuliſſe: is vbi meum conſilium rationemque cognouerit, & id quod facio probabit, & optimè de Repub. mereri iudicabit. Quis enim eſt, qui meum vel conſilium vel factum reprehendere

hendere poſſit; cùm ea cum ſummo Reipub. bono ſint coniuncta? Quid verò eſt, prô Deum hominumque fidem, in quo ego patriæ plus prodeſſe poſſim, quàm ſi Q. F. Flaccum tam atroci aſtrictum crimine in iudicium vocauero? quid eſt quod aut Pop. Rom. gratius eſſe debeat, aut aliis nationibus optatius eſſe poſſit, quàm ſi metu iudiciorum cuiuſlibet gradus atque dignitatis homines in officio contineantur, ac ne magiſtratus quidem ipſi à pœnâ ſint eximij? Quis autem ad hanc cauſſam accommodatior quàm ego, qui Conſul, atque adeò Reip. conſulere debeo, qui veſtris ſuffragiis collega Fuluio datus, atque in iiſdem caſtris militans, grauiſſimis ab eo ſum affectus iniuriis? Ego ſanè mihi perſuadeo, non poſſe ſine ſceleris atque infamiæ notis hanc accuſationem à me prætermitti: idemque ſenſuros opinor omnes, vbi rem totam intellexerint. Quam dum, vti geſta eſt, oculis veſtris ſubiicere conabor, ac breuiter de rebus ſummis, id eſt, de turpitudine & detrimento, quæ, niſi prouideritis, in omnem Pop. Rom. ex iſthoc immani facto redundabunt, verba faciam; adeſte quæſo omnes animis, qui adeſtis corporibus, quorum ego frequentiâ magnopere delector: erigite mentes aureſq; veſtras, meque de publicis rebus dicentem, vt ſoletis, attendite.

Deſperatis Pœnorum auxiliis cùm Principes & Senatores Campani Romanâ freti clementiâ deditionem feciſſent, haudquaquam, vt ſcitis, inter nos ac Fuluium conueniebat, quid de captiuis eſſet ſtatuendum. Ille ſine morâ verberibus atque omni ſupplicio excruciatos necari poſtulabat; ego ſententiam abhorrens tam duram & atrocem, arbitrium eius rei totum ad Senatum Populumque Rom. reiiciendum aſſeuerabam. Et reuerà videbatur ille in meam ſententiam iuiſſe, decretumque veſtrum exſpectaturus, cùm repentè, non participato collegę profectionis conſilio, cum duobus equitum millibus nocte concubiâ caſtris egreſſus eſt, ac Theanam ire contendit. quò poſtquam primâ lucę veniſſet, captiuos iſthic in cuſtodiâ poſitos, donec litteræ Senatus deferrentur, produci iuſſit, imperauitque vt omnes ad palum deligati ſecuri percuterentur. Quo præclaro facinore peracto cùm nulli Theani ſupereſſent, quorum cruciatibus oculos paſceret, citatis equis, (veritus nimirum, ne quod impedimētum incœpto foret) Cales, vbi reliquię Campanorum erant, percurrit.

Vbi

Vbi cùm in tribunali conſediſſet, lictoremque lege agere iuſſiſſet; ecce litteræ Patrum, quibus vti Campanis parceretur, mandabant. Quid hîc quæſo miſericors noſter facit? Cùm Senatus populuſque Romanus ignoſceret, aut ſaltem mitiorem eis pœnam reſeruaret, cùm omnes qui ad tribunal confluxerant, cum lacrymis idem rogarent, cùm tota concio fletus fieret, repudiatis aſtantium precibus, contempto Populi Romani iuſſu, atque adeò auctoritatem veſtram pedibus trahens, lictori vt imperio ſuo parêret, imperauit. Itaque iſti miſeri, quibus quaſi certa ſpes ſalutis affulſerat, ſicut alij crudeliſſimis exemplis interempti.

O hominem ferum & ferreum! O factum immane & barbarum, quod vel Phalaris, aut ſæuiſſimus in Scythiâ tyrannus perhorreſcat! O rem turpiſſimam, & idcircò minimè vobis ferendam, Quirites. Quemadmodum enim clementiâ nihil eſt hominibus dignius, nihil laudabilius, nihil quo propiùs ad Deos accedunt; ita nihil ab humanâ naturâ diſiunctius, nihil turpius, nihil deteſtabilius crudelitate: quæ non hominum, vt cetera vitia, quæ cùm blandientia ſint & velo quodam vel vtilitatis vel voluptatis obteguntur, ſpeciem retinent humanitatis; ſed immanium belluarum eſt, atque eorum animalium, quæ natura creauit rationis expertia. Quemadmodum, inquam, nihil tam egregium, tam liberale, tamque magnificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis homines, ignoſcere inimicis quos in poteſtare habemus; ita nihil tam vile & abiectum, nihil à magnis & generoſis mentibus tam alienum, nihil denique tam odioſum, quàm iraſci ſupplicibus, vrgere atque opprimere iacentes, ſalutem eripere, ſæuitiam in victos exercere. Ac proinde nihil maiori curâ, longiorique mentis prouiſione fugiendum, Quirites, quàm crudelitatis infamia: ſiquidem decus, honeſtatem, laudem augere; famam humanitatis, quæ propria cenſetur Rom. generis & nominis, retinere deſideramus. Quod quidem hactenus diligenter à nobis cautum dicerem, niſi dubius etiamnum eſſet iſtius exitus iudicij. Nam niſi poteſtate quam habetis, hodierno die rectè fueritis vſi, & truculentum illud ſcelus, quod omnium barbarorum ſæuitiam excedit, vindicaueritis, nemo non exiſtimabit

veſtro id conſilio, veſtro iuſſu perpetratum. Omnes gentes atque nationes quantum anteà clementiam Romanorum laudarunt, tantum nunc crudelitatem atque barbariem accuſabunt: imò mites præ nobis Carthaginienſes, lenes Scythas, miſericordes Getas habebunt.

Nolite igitur, Quirites, tantam ignominiam, quam vitare poteſtis, vltrò ſuſcipere; neque permittite, bonæ famæ ſplendori, quâ populos omnes anteitis, maculas inuri ſempiternas. Quin & detrimento, quod hinc acciperetis, occurrite. Quis enim tam ignarus & expers Reipub. qui non videat, ſi tantam atrocitatem ſententiis veſtris comprobaueritis, acerbiores omnium erga nos animos, grauiora bella, difficiliores vrbium expugnationes, lubricam magis & inconſtantiorem ſubditorum fidem, promptioreſque ad rebellionem ſpiritus futuros? Nam ſicut clementiâ & humanitate gentium exterarum animi maximè conciliantur, eâque ſub imperio noſtro ciuitates, prouinciæ, regna continentur; ita nullâ re magis quàm nimiâ ſeueritate & ſæuitiâ tum alienantur, tum offenduntur. huius metus & horror vacillantes deditionemque meditantes confirmat, timidis audaciam animoſque viriles immittit, frigidis ardorem, imbecillis vires ac robur, victis pugnandi rabiem ſubminiſtrat, victoribus cruentam parit victoriam. Quod exemplis confirmarem, niſi ſuperuacuum eſſe ducerem, quæ ſingulis veſtrûm occurrunt, à nobis recenſeri. Vnum præterire nequeo, quod extitit initio belli Punici, clariſſimum huius rei documentum. Saguntinos intelligo, quibus niſi cognita crudelitas Annibalis fuiſſet, neque vim hoſtilis exercitus & extremam obſidionis neceſſitatem exſpectaſſent, neque per nouem menſes impetum eius retardaſſent. Addo Caſilinates, quos ſcimus eâdem de cauſâ lora, detractaſque ſcutis pelles feruenti reſolutas aquâ, aliaſque ſordes mandere potiùs quàm Annibali ſe dedere voluiſſe.

Huiuſmodi ſunt effectus crudelitatis: videamus qui ſint clementiæ. Hæc omnium beneuolentiam colligit, hæc vincit iram, hæc proſternit odium, hæc efferatos mollit animos, hæc gentes armis nullo tempore ſubigendas domat & expugnat. Hæc Alexandro Macedoni totam Aſiam aperuit, & longè plus ad conſe-

conſequendum Orientis principatum profuit, quàm diſciplina militaris, quàm exercitus fortiſſimi, quàm inuictæ phalanges & aſſiduis exercitati prœliis Argyraſpides. Hæc, vt & domeſtica potiùs & recentia, quàm & externa & antiqua proferam, nuper in expugnatione vnius vrbis L. Scipioni non vna tantùm mœnia, ſed omnium Celtiberarum vrbium animos cepit, effecitque vt ad redigendas eas in ditionem Populi Romani non multis ſibi obſidionibus opus eſſet.

Sed hæc non nemo nobis concedat, vt neceſſe eſt: neget meritum Campanorum ſupplicium rectè vocari crudelitatem, quia Romanos, à quibus tot tantaque beneficia acceperant, difficillimo grauiſſimoque Reipub. tempore deſeruerant; nec modò deſeruerant, ſed etiam ad Annibalis caſtra tranſierant. quaſi verò nos in iſtis rebus hoſpites ſimus, aut ampliſſimus ordo Senatorum perperàm iudicarit, cùm parcendum eis ſtatueret. Non poteſt Q. Fuluius defendi, quin ſimul & Senatus & omnis populus Romanus accuſetur. non poteſt, inquam, Fuluius abſolui, quin vos ipſi condemnemini. Vtrum horum magis deceat, conſiderate. Quid? num in iſtâ communi fatalique defectione ſociorum omnium, pœnarum acerbitatem in eos cadere oportuit? qui iam inde à temporibus belli Samnitici ſocietatem ſeruauerant ſanctam illibatamque: qui noſtrum exercitum vnà cum Coſſ. apud Caudinas Furcas ſub iugum à Samnitibus miſſum, nec inermem tantùm, ſed etiam nudum vrbem ſuam ingreſſum, perinde ac victorem & ſpolia hoſtium præ ſe ferentem venerabiliter exceperant, atque Coſſ. honoris inſignia, militibus veſtem, arma, equos, commeatum benigniſſimè præſtando, & inopiam & deformitatem Romanæ cladis mutarant. O tempora, ô mores! Maiores noſtri quoties olim à Samnitibus, Volſcis, Æquis, aliiſque populis Italiæ noua ſemper arma mouentibus, & inſtar Hydræ Lernææ reſurgentibus, oppugnati? quoties fœderibus & pace violatâ repentino belli impetu nec opinantes adorti ſunt, agrumque Romanum igni ferroque vaſtauerunt? quod denique malum aut quam peſtem in Romanos immittere dubitarunt? Nihil profectò ad illos Campani: ludus iſta & iocus. Et tamen, dij immortales, quanto grauiores hi, quàm illi pœnas luerunt? Illis nihil

hil præter imperium & agri partem ademptum: horum vniuerſo Senatui, & plus quàm octoginta principibus (ô facinus indignum & à Romanâ bonitate alieniſſimum!) ſecuribus abſciſſæ ceruices.

Sed quædam mihi magnifica & præclara defenſio oſtenditur: cui quemadmodum reſiſtam, in magno timore ſum. Sic enim cauſſa conſtituetur, opinor, & vrbem virtute celeritateque Fuluij à furore Annibalis ad Anienem vſque progredientis tutam eſſe ſeruatam, & Capuam eius diligentiâ recuperatam. Quid agam? quò accuſationis meæ rationem conferam? quò me vertam? ad omnes enim meos impetus quaſi murus quidam boni nomen Imperatoris opponitur. Vrbem ſcilicet tuo conſilio, tuâ virtute, Fului, ſaluam & florentem aſpicimus? tu eam ex flammâ atque ferro, ac pænè ex faucibus fati eripuiſti? tu templis, delubris, tectis omnibus ſubiectos propè iam ignes circumdatoſque reſtinxiſti? tu gladios Pœnorum diſtrictos retudiſti, mucroneſque à iugulis noſtris reiecisti? An potiùs hæc Senatui Conſulibuſque viris fortiſſimis ac prudentiſſimis, qui tecum in caſtris verſabantur, omniaque propemodum adminiſtrabant, ferre debemus accepta? An fato huius vrbis, cui terrarum Imperium deſtinatur; & benignitati Deorum immortalium, quorum numine tanta vis imbrium effuſa, tanta ventorum violentia coorta eſt, vt cùm hoſtis nuſquam conſiſtere poſſet, ſeque diuinitus ſubmoueri cerneret, animam omnem deſponderet? De Capuâ nihil dicam, quia verecundia non patitur. Malim id ab aliis indicari, qui in obſidione fuerunt, teſtarique poſſunt, vtrius Conſulis opera fuerit inſignior.

At ſit ita (vide quid tibi Flacce concedam) tu ſolus hæc omnia feceris: tu patriæ ſalutem, Capuæ exitium dederis: quid tum? ideóne quidvis impunè tibi licebit? Ideóne fas erit decreta Senatus Legeſque P. R. violare? Ne Perſæ quidem hoc tulerint, apud quos tamen ita conſtitutum fuiſſe traditur, vt cùm eſſet quis alicuius criminis conuictus, non ſtatim condemnaretur, ſed priùs inquireretur in omnem illius vitam, inireturque ratio, plura ne turpiter & flagitiosè, an benè laudabiliterque geſſiſſet: & ſi vinceret turpium numerus, condemnaretur;

tur; ſin præponderarentur honeſtis turpia, abſolueretur. quanto minùs P. R. eâ re moueatur, qui rectum & interruptum vitæ curſum poſtulat; qui ne tantulam quidem offenſionem titubationemque admittit: qui M. Manlium ex illo ipſo loco, vnde Gallos depulerat, præcipitauit: qui iudicium T. Manlij de capite filij fortiſſimi iuuenis atque victoris non aliâ de cauſâ, quàm quòd contra imperium in hoſtem pugnauerat, comprobauit: qui ſimile iudicium A. Poſthumij de filio, qui iniuſſu præſidio diſceſſerat, recordatur: qui ſententiam M. Papirij Dictatoris de vitâ Q. Fabij magiſtri equitum, quòd ſe abſente Samnites prœlio vicerat, à patribus traditam etiamnum memoriâ tenet.

Ex his perſpicuum eſſe credo, quàm leuis iſta defenſio ſit, quàm ridiculum Imperatoriâ laude delicta velare: ſupereſt vt doceam exemplum hoc impunitatis magno fore Reipub. periculo. Etenim omitto quòd timendum ſit, ne, ſicut facere ſolent qui nouas res moliuntur, ita patientiam ille veſtram hoc pacto tentarit, aliam intereà viam muniтans, aliud iter affectans: non dico quòd hac veſtrâ lenitate magis illius corroborabitur audacia: quid ceteri tali exemplo non audebunt, cùm quod exemplo fit, id iure fieri putabunt? quid tam ſanctum, quod non violabitur? tam turpe aut nefandum, quod non patrabitur? quàm leuis erit veſtra auctoritas, cùm ipſimet auctoritatem non parendi attuliſſe videamini? quid de Repub. noſtrâ fiet, cùm ſi quid benè præcipias, nemo obtemperabit; cùm & Imperium & obedientia, quæ duæ res à ciuitatibus excludunt ſeditiones, & tuentur concordiam, exulabunt? Illud quod de naui, in quâ neque gubernatoris neque proretæ iuſſa reliqui nautæ ac remiges exequuntur; ſed quilibet pro libidine moderatur.

Quæ cùm ita ſint, nolite, Quirites, tantam improbitatem conniuis oculis præterire: ne patiamini præclaram clementiæ gloriam, quâ vt ceteris virtutibus nationes omnes ſuperatis, vnius ſcelere maculari: fugite diſcrimina, quæ niſi caueritis, cum totâ Republicâ ſubibitis: ne permittite vt quiſque arbitrio ſuo faciat, eò tractus quò libido, leuitas, furor rapuerint, & vt patientia veſtra omnino percalleat & obdureſcat: facite vobis

bis antiquæ ſeueritatis veniat in mentem. Circumſtant vnumquemque veſtrûm ſummæ auctoritates & exempla, quæ vos dies noctéſque commoneant, vt patrum veſtrorum veſtigia ſequamini. His auſcultate, & vnius hominis exemplo Magiſtratus docete, ne latum quidem vnguem ab imperatis veſtris eſſe recedendum. Sic omnibus notum teſtatumque fuerit, abſque veſtro iuſſu tam crudeliter in Campanos animaduerſum; atque adeò magnam à vobis turpitudinem odiumque amouebitis; & auctoritatem Senatus Populique Romani, quam ille imminutum, imò perditum iit, vehementer confirmabitis.

# PHILIPPI RVBENI
# EPISTOLÆ
## SELECTIORES.

### PHIL. RVBENIVS IOANNI WOVERIO *Antuerp.* S. P.

DESIIMVS timere, chariſſime Woueri, non dolere. Dicta eſt grauis illa & ingrata ſententia de manſione, quæ vehementiùs nos commouit,

*—— quàm ſi dicta eſſet dies.*

minùs tamen, quòd anteà ferè cogitatione præcepta. Nam, vt ſcis, iam pridem id verebamur, quod minimè volebamus. Verumtamen adhuc ſpecula quædam ſupererat, quæ planè nunc ſublata. nunc occiſiſſimum, vt Plauti illud vſurpem, eſt hoc negotium:

*—— pendent opera interrupta, minæque*
*Murorum ingentes*;

quæ verè, vt vetus verbum dicit, in aëre moliebamur. Vbi nunc viales illæ deliciæ? vbi ſummorum hominum & viſus & auditus? vbi diurnæ exercitationes & itineraria, ſexcentaque alia, quorum ſola cogitatio pectora noſtra ſecreto quodam gaudio titillabat? abierunt illa, nos manemus. quibus cruciari nos, mirum ſi quis miretur. Minus tamen tu debes, cui datur nihilominùs luſtrare pulchrum, quemadmodum ille ait, Latium, &

*—— priſca veſtigia Romæ.*

Quod vt tui aſpectu, cuius cauſsâ omnia volo, longè eſt gratiſſimum; ita propter diuortium tui, id eſt, illius quem & arctiſſimâ familiaritate & ſtudiorum ſimilitudine coniunctum vt alterum me amo, durum atque acerbum. Verùm vt leuiùs feram, dabunt interna hæc lumina, quibus quominùs idemtidem te interuiſam, prohibere poterit nihil, quamdiu clariſſimum iſtud cæli lumen intuebor. Cetera porrò quomodocumque ferre conor, ſæpiuſque opto tantum mihi roboris, ex animo cum Do-

Epictetus lib. IV. cap. VII.

ctore tuo vt exclamare poſſim: Ἀεὶ μᾶλλον ἐκεῖνο θέλω, τὸ γινόμενον. κρεῖττον γὰρ ἡγοῦμαι ὃ ὁ Θεὸς θέλει, ἢ ἐγώ. Sed heus, ecquid etiam nos conſoletur, quòd expetitam & exſpectatam diu opem Senecę ſuo Apollo noſter præſtet? Seriò hoc agit, &, ſpero, peraget. Vale mi Woueri, & Baronium quæſo noſtrum ſalutere iube. Louanij, III. Kal. Quintil. ∞. Iↄ. Ic.

## Ioanni Hemelario svo S. D. P.

Qvòd ad amiciſſimas tuas litteras non reſponderim, caue putes id aut negligentiâ, aut obliuione tui factum.

—— οὐ γὰρ ἐγ' αἴτιος εἰμὶ,

ſed difficultas iſta temporum, cùm vix quiſquam ad ea ſe loca conferat, quæ te habuêre, & per hæc bella tamquam extra commercium noſtrum videntur. Abſque tam æquâ & verâ ſilentij cauſsâ foret, adeò non excuſatum me nunc irem, vt vltrò deferrem & accuſarem. Dicerem ipſe ius huic crimini, & iuſtiſſimâ conſcientiæ cenſurâ velut ignominiâ notatus, tuo in poſterum aſpectu prorſus abſtinerem. Quàm verè hæc ſcribo, tam firmiter velim credas, atque adeò me omni culpâ liberes. tum etiam atque etiam tibi perſuadeas, concepto ſemel tui amori, & hactenus ſeruato integro inuiolatoque, ne tantulum quidem vllâ vel temporis vel locorum intercapedine deceſſurum. Quod à te pariter (ita ſcio) nobis impetrabunt & humanitas illa ſingularis, cuius oppidò quàm inſignia dediſti documenta, & Magnus hic amicitiæ noſtræ quaſi interpres atque pararius. Italiam cogitare te audio, & certè cum gaudio, quòd ſpeculæ neſcio quid affulgeat, illic aliquando te videndi, amplectendi. O dies illos ac tempus, cùm amicitiæ tuæ, vt ita dicam, nectare totum me perfundam, cuius minimum hauſiſſe guſtulum, adeò ſuaue ſit ac iucundum! Præcede tu interim, amiciſſime Hemelari,

—— θεοῖσιν ἀμύμονι πομπῇ,

& vale. Louanij, Idibus Iuliis, ∞. Iↄ. c.

## Iacobo Timonio S.

Litterae tuæ quàm gratæ mihi fuerint, & quia tuæ, & quòd rerum nouarum tam vberes, verbis exprimere non facilè poſſim. Nec, vt verum fatear, id nunc ago. tute ſcis, quia ſcis

ſcis quàm eſſe debeant. Illud magis laboro, quâ ratione compenſem. A publicis hîc vacui ſumus: & vt illa in promptu ſint, quid hoc quæſo aliud, quàm ex vetere prouerbio, ligna in lucum? Priuata igitur reddam, & facinus omnino Tragicum, quod patratum proximis diebus in pago quodam Sluſa dicto, prope Thenas, ab auctoribus fide dignis accepi. Degebant illic communem apud patrem ſorores duæ, vna trium annorum & viginti, altera ſex & decem. Vtramque popularis adoleſcens, incertum occultâ maleuolentiâ, an vt iactaret, à ſe vitiatam dictitabat: & quidem ita palàm, vt omnium fabula eſſet, crebriſque ſermonibus ad patrem referretur. qui tantum-non id credens, atque adeò non leuiter, vt par erat, offenſus, filias vehementer obiurgauit: ſed illis conſtantiſſimè negantibus, diem homini dixit, vtque in vinculis haberetur, quoad cauſſa peracta foret, impetrauit. At ille pòſt paullò, deficientibus ad probandum crimen teſtibus, quòd, vt opinor, odium alienâ cauſâ & inimicitias quaſi gratuitas omnes declinarent, è cuſtodiâ dimiſſus, ad mores ſuos redit; atque vt laceſſitus, impendiò magis quàm antè peſtiferæ linguæ virus ſpargit. Pater interim frequenter natas inclamat, præſertim vbi pluſculum adbibiſſet, ſcortilla vocitare, impenſas litis, in quas damnatus fuerat, imputare. Quid porrò illæ miſeræ? quod plerumque ſequior ſexus & irritatus, & iuſtâ ſuccenſus irâ, extrema conſilia & præcipitia agitant, vltionemque per leges fruſtrà tentatam ſuis ipſæ manibus moliuntur. Inſtrumenta ſceleri deerant: his comparandis, quamquam prætextu mercatus, Louanium ire contendunt, ibique pecuniolâ, quam ex pauxillo frumento redegerant, quæque ſibi cultrum emit prælongum. His quaſi telis furoris ſuccinctæ, nec aliud ſpirantes quàm cædem & ſanguinem, cito gradu domum repetunt, vt victimâ feralibus deſtinatâ ſacris potiantur. Et ecce ſtatuente ſic Nemeſi, infelicem amaſium offendunt ſolum, ſecurè arantem, planeque iniuriæ opportunum. Hîc tum natu minor (vide pluſquàm marem in puellâ animum) in aduerſum inuclat; altera luctanti cum ſorore & pænè iam ſuperiori à tergo ferrum immergit. Nec hactenus quidem rabies ſtetit. Iacentem ſuperruunt, & ſpiſſis certatim ictibus lancinant. quid multis? veteres illas circa Pentheum Mænadas dixiſſes. Poſtremò inflictis

octo ſupra viginti vulneribus, ſpirantem adhuc relinquunt, ſed naribus priùs & auriculis trūcatis, quas ceu opima quædam ſpolia obuiis oſtentantes, ſceleris totius ſcenam aperiunt. Quin quod mirere, ſummi diſcriminis immemores pedem domo non mouebant, niſi quà monuiſſent amici, quà parens iuſſiſſet. Quorum auctoritate adducti, tum etiam paullatim illâ mentis nube euaneſcente, Thenas in monaſterium deuotarum virginum ſe ſubducunt: vbi etiamnum latitare perhibentur, religione loci fretæ, dum, vt nonnulla ſpes eſt, negotium componatur. Neque certè nullum habere colorem earum cauſſa videatur, ob iuſtas iræ cauſſas, de quibus omnem ſuſtulit dubitationem morientis confeſſio. Verùm hæc iudices viderint. Tu mi Timoni, in ſolutum accipe, licet diſpari viliorique monetâ. Non enim tam exiliter ad calculos vocanda eſt amicitia, vt par ſit ratio acceptorum & datorum. Scriptionis tarditatem quòd excuſas, pro ceterâ tuâ humanitate facis: cùm id minimè opus apud me, qui quàm tibi parum ad hæc otij, nimis teneo. atque idcircò tantùm excerpta quædam rerum nouarum vellem; non quòd litteræ ipſius tuæ non longè iucundiſſimæ, ſed quòd æquâ mente voluptatis parte carebo, quò tu à parte oneris ac moleſtiæ leueris. Vtrolibet certè modo, magno nos beneficio afficies: nos dico, quòd vnà Clariſſimum Lipſium, cui fuerunt tuæ primitiæ valdè gratæ. D. Billiottum quæſo reſaluta, tum quoque Machaonas noſtros, quorum tam illuſtri bono mirificè delector. Louanij, Nonis Decemb. ∞. I Ↄ. C.

PETRO-PAVLLO RVBENIO *fratri ſuo* S.

ANNVS eſt, mi frater, cùm Italia te abduxit; ſed longior hic quidem mihi, quàm ille vel Eudoxi, vel

*Attica quem docti collegit cura Metonis.*

Nam etſi, cùm patria te haberet, ſæpiùs vnà nos eſſe Fortuna inuideret, & oculorum plerumque ſolatia ſubduceret; tamen & vicinitas & prompta coniunctionis facultas diſcidij ſenſum magno opere minuebant. Nunc illa terrarum ſpatia, quibus diſpeſcimur, maiorem in modum deſiderium meum accendunt. Nunc, miſero neſcio quo mortalis ingenij vitio, in vetitum nitimur, atque impendiò magis libet quod minùs licet. Nunc per obſtan-

obſtantia regionum munimenta ad te prorumpit iſte tui amator animus, & quàm celerrimis cogitationum pennis tot ardua montium excedens iuga, ſuos amores identidem reuiſit. ſed affectu non vno. Sicut enim ſuffimenta quædam & odores, etſi nonnihil capiti graues, grati tamen & in delicijs ſunt: vt cibi quidam & condimenta palatum velut morſu vellicant, neque tamen non delectant: ita mentis hæc peregrinatio bonorum quà perceptorum quà ereptorum contemplatione quaſi dulce-amarum guſtulum exhibet. O ſuauem enim memoriam eius temporis verè mihi aurei, ſed nimiùm heu breuis, quod in tuo conſortio mihi fluxit! quod iam fugitiuum, quantum poſſum, reuoco, meæque rurſus poſſeſſionis vindiciarum iure facio. quippe quæ vna me tabula in hoc naufragio delectat, quoque velut ſoporifero medicamento magnam partem dolorem meum fallo. Sic loquor mi frater, & iſtud verbum vſurpare nullus vereor, quod ſtultorum tantùm & amentium eſſe deblaterant: qui dum omni prorſus affectu mentem humanam exui poſſe putant, ſuæ profectò duritatem an diritatem produnt. Apage ἀπάθειαν illam quæ reddit hominem non hominem, ſed ferrum, ſed ſcopulum, illoque in fabulis, quod etiam ſic lacrymis manat, Niobæo ſaxo duriorem. Quin Ariſtoteli potiùs & diuino Platoni plaudimus, qui non omnem omnino motum ex humani pectoris pomœrio deturbant, ſed rectæ rationis imperio ſubiiciunt, iniectiſque velut frænis moderantur ac coërcent. Quid apud Homerum, illum ingenij ſapientiæque principem, nonne omnia ſpei, metus, lætitiæ, luctus plena? quoties illic velut audire videris eductos magnis pectoribus gemitus? quoties cernere oculis ſtillantes lacrymis genas, vix ipſe ſiccus? At qualium virorum? Non Martialium illorum dumtaxat, omniumque, præterquam ſui, victorum; ſed herois illius Ithaceſij, quem vt expreſſam ſapientis imaginem ſequentibus propoſuit ſæculis, cui præſens vbique numen, & ipſa tamquam à conſiliis Minerua. Huic tamen non ſemel, vt alia pro derelictis habeam, ſola malorum recordatio ſic penitus animum, vt auctoris verbis vtar,

Apathiæ auctores Stilponenſes, à Stilpone, non Stoici.

—— ἐνὶ στήθεσσιν ὄρινεν,

vt palàm imparem dolori ſe fateretur, vt totum in fletum ſingultuſque ſe laxaret. Hic patriæ ſuæ nidulum beatis Phæacum

aruis antiquiorem exiſtimauit, & cum Penelope ceteriſque caris laborioſè conſeneſcere præoptauit, quàm in Diuæ contubernio tranquilliſſimam vitam agere

—— *ἀθάνατον ϗ ἀγήρων ἤματα πάντα.*

Sed labor longiùs. quò tantam enim aduocationem? quaſi verò tenerioris huius animi apud eum cauſſa dicenda ſit, quem ſimilem mei puto; ſed & ſui. Memini qui fueris; & is eſſe porrò pergas, non rogo, ſed obteſtor. Debes hoc naturæ legi, quæ præcipuam ab iis diligentiam exigit, quos præcipuo quodam titulo vinculoque coniunxit: debes communi gentium, quæ mutuum pari modo rependi iubet. Quod tum demum mihi reddideris, ſi nulli tantumdem. Primas abſque riuali ſibi poſtulat noſter amor, neque magis ferre ſocium, *quàm regna aut tædæ*, ſciat. Vale meum deſiderium. Louanij, XII. Kalend. Iun. ∞. IↃ. CI.

## ERYCIO PVTEANO S. D.

VNAS ad te dedi, amiciſſime PVTEANE; vnas accepi. ecce nunc alteras, quas expreſſit à te miſſa ſalus. Fateor enim, fateor, non ego ille diligens, ille *αὐτόματος*, qui meâ ſponte ad ſcribendum impellar. machinis, vt ita dicam, opus eſt: præſertim quando mihi perſuaſum, nullo amoris intertrimento ſileri: quem inter nos quidem ardentiorem autumo, quàm vt eiuſmodi flabellis vſus. Meus ſanè erga te, licet non exæſtuet, eructetque globos flammarum, in ipſis viſceribus ſpirat & feruet, vt illud in Ætnæis fornacibus

—— *πυρὸς κρατερὸν μένος αἰθομένοιο.*

Emicare aliqua videbis, ſi Fors, aut Fatum potiùs aliquando nos iungat. Nam etſi vix ſperare mihi fas (fortunam meam noui) factis vt animum hunc poſſim effingere, tamen ſpem aliquam mihi facit ſpes mutui & aſpectus & affatus. Scio quanti ſæpè momenti vultus, oculi, ſermo, quos velut affectuum notores natura dedit. Vt enim apud improbos hæc interdum fallant, in probis non ſæpè, iſtc certè numquam. Qui aliud in pectore concluſum, aliud in ore promptum habet, non is profectò mihi probus. mihi? imò Poëtæ ſapientiſſimo, cuius illud noſti:

*Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσι*
*Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ νόῳ, ἄλλο δὲ εἴπῃ.*

Sed

Sed quorſum hæc tam multis? non ſanè quòd verear, ne de animo meo dubites, cui tam liquidò conſtat, quis is eſſe debeat, & quibus eum ponderibus cùm publica tum priuata merita in te inclinent; ſed quòd alia deſint, quæ ſcribam. niſi fortè publica velis, quæ ſatis nunc calent, hoſtibus Berckam ad Rhenum, noſtris Oſtendam obſidere aggreſſis. Sic enim potius Principi viſum, inferre inquam bellum quàm propulſare, ſiue quòd arduum nimis obſidionem ſoluere, ſiue quòd hanc capi, quàm illam retineri, magis è Republicâ iudicaret. quamquam, vt nunc quidem erat, vtrumque in ſpe. Nam & Bataui lentiùs agere, & noſtri acriùs inſtare; ac iam, neſcio qui boni de Oſtendâ rumuſculi. Faxit DEVS OPT. MAX. vt veri fuerint, vel ſaltim quaſi prodromi, communi omnium, præcipuo tamen Flandriæ bono. Sed iſta vos ab aliis; non hæc, vt opinor, quibus εὐαγγέλια debere te fateberis: viuit & valet, quem vixiſſe arbitrabamur, amicus ille magnus Barclaius. Vbi, quæris? in patriâ ſuâ. hîc illud aſtrum tamquam in profundâ quadam σκοτίᾳ deliteſcit. ſed, quod gaudemus, valet. Tu fac, vt item ætatem, mi PVTEANE, & amare nos porrò perge. Louanij, IV. Eid. Quintil. ∞. IↃ. CI.

PETRO-PAVLO RVBENIO *fratri ſuo* S.

PRIMA votorum Italiam videre, & in eâ te, mi frater. altero potitus ſum, alterum in ſpe. quid enim? quam illum iter Mantuâ Patauium? curriculo, vt ita dicam, confici poterit, cùm anni tempus feret. ſed tum id videbimus. Nos hîc ante paucos dies (decimusquintus iam labitur) aduenimus. vbi interim tamdiu?

*In Sequania menſem qua neſcio ſera morata eſt*
*Segnities; nec ſera tamen. tranſiuimus Alpes*
*Nondum præcluſas, niueo nondum aggere ſeptas;*
*Sed faciles, nulloque morantes obice greſſum.*

Nam ad te, quidquid in buccam. Venetias ſub Natalem Domini cogitamus, ſed ad duos aut tres dumtaxat dies; quippe in Bacchanalibus eódem redituri, niſi frigus & gelu obſtiterint. quod nunc adeò vehemens & acre in his locis, vt Venetiæ velut in ſolido ſitæ non niſi per glaciem, ſi quidem ſatis ea firma, adiri poſſint. quod ante duodecim item annos accidiſſe narrant. Quid tibi de

bi de hac vrbe videatur, ceteriſque Italiæ quas luſtraſti iam plurimas, vt volupe ſit ex te audire: de Româ inprimis, quæ breui tibi deferenda, ſi Princeps Mantuanus, quod ſpero, ſaluus domum redit. O rem malè ad Caniſiam geſtam! Felicem verò te, qui procul abfuiſti, & occaſione iſtâ eundi Romam vſus es. Quid Pourbio quæſo factum?

*——ſuperéſtne & veſcitur aurâ Æthereâ?*

Poſt diſceſſum nihil à matre, nec potuit. quò enim miſiſſet? ſpero valere & ſuſtentare ſedulò. Tu fac idem mi cariſſime frater, & longiores litteras magiſque ſerias exſpecta, cùm vbi ſis cognôro. Patauij, Idib. Decemb. ∞. IↃCI.

ERYCIO PVTEANO S. D.

QVòd tanto interuallo nihil omnino ad te, neſcio profectò quî defendam. color omnis cauſſæ deeſt: niſi fortè quòd Venetiis fuimus, & quidem

*Saturnalibus optimis dierum.*

Ecquid enim tum ſerium illic à nobis geri potuiſſet, cùm vbique nihil præter luſus & iocos, cùm omnium oculi menteſque ſpectaculis & acroamatis occupatæ? Dices: Ergon' ineptiendum cum vulgo? quid ni interdum? *Dulce eſt deſipere in loco*. & magnum illum σόφον ad ſpectata iam ſæpè Floralia redire non pigebat aut pudebat. nedum vti nos, qui ne quidem adhuc inter πεντηκόντοντας, his rebus non afficeremur, quas, vt nihil aliud, ipſa ſatis commendabat nouitas, quæque vel ideò videndæ nobis videbantur, quòd aliàs non viſæ, non videndæ. Sed de his ſatis; ad epiſtolam tuam venio, quam accepimus cum AVSPICIIS SECVNDIS, illo ipſo temporis articulo quo viæ nos dabamus, & magnâ cum voluptate fructuque legimus, vt paullò antè CENTVRIAM, aliaque tua. Grauem ea querelam habebat de operis illis Tullianis, qui tantum operis doctis faceſſunt omnibus, ac Phœnicem illum ſuum quaſi contra Clodios aut Catilinas ſe defenſum ire iactant. Quid quæris? Scenæ ſeruiendum eſt, & neceſſe interdum καιρῷ λαβεῖν; præſertim in docendo. Nam in ſcriptionem alienam quis, malum, aliquod ius ſibi ſumat? vel ſi, quod innuere videris, eò quoque ventum impudentiæ, *ten' moueat cimex Pantilius*, aut, vt lepidè tu indigetas, pædagogi mures?

Eorum

Eorum certè cauſsâ manum haud vortam,&,cum antiquiſſimo Satyræ ſcriptore —— *paucis malim,at ſapientibus eſſe probatus,*
Ἢ πᾶσι νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.

De Simone Catelano ſic eſt: ad noſtra ille ſacra tranſiit. Vtinam alij imitentur! De Theſaurarij nepote quod Audejantius nuntiauit, non nimis miror. nam ante diſceſſum noſtrum tale quid hominem parturire animaduertebam, & in valedicendo magnas ille ſuſpicionum anſas dabat. Magis miramur, quòd ad plures noſtras epiſtolas nihil Louanio reſcribatur. Sed ferè omiſeram de Segeto gratias agere, qui tuâ commendatione Venetiis nobis præſtò fuit. Vale, mi amice, &, quod Sequanus ille noſter comes te rogat, inquire, an Barret, ille mercator, quem, vt puto, noſti, ex Sequanis iſtuc ſit reuerſus, ſed commodo tuo. Patauij, poſtridie Kal. Martias, ∞. I Ↄ. C I I.

His iam obſignandis, ecce Fabricius Calaſſus cum acerbo de inualetudine tuâ nuntio. quo ſanè percuſſus ſum vehementer, nec minùs quàm debui. Paullùm tamen erigit me ſpes, quam in temperantiâ tuâ pono, tum ſummorum, quibus amicis vteris, conſilio medicorum. Tu modò fac animo bono firmoque ſis.
Νοῦσον γ' οὔπως ἐστὶ Διὸς μεγάλου ἀλέασθαι.
atque in poſterum moderatiùs quæſo ſtude, vt poſſis diu. Salutat Richardotus.

## IVSTO LIPSIO V. C.

ITA eſt: non tardi nos in ſcribendo, ſed infelices in mittendo. quinas vt minimùm, imò ſenas ad te dedi, & binæ tantùm, tabellariorum an aliorum culpâ, perlatæ. Niſi verum, nihil mihi poſthac humani diuinive credas. Haud enim fugit me, ſollemnem hanc querelam & prauum quorumdam eſſe morem, ſuum hoc modo crimen in alios deriuandi. Sed eorum, quibus non eſt religio, loqui παρὰ τὸ ὄν.
—— ἢ γὰρ ἐμοὶ φίλ' ἀληθέα μυθήσασθαι.
Via Mediolanenſis, quâ vtebamur, non ſatis tuta videtur. Itaque mutatâ ratione, Venetias mittere cepimus ad negotiatorem Belgam, & porrò mittemus. Quàm autem hactenus miſerè litterarum tuarum bonum concupierim, vel tacente me tenes, ſi amorem meum, ſi ambitionem intueris. illum quidem ſemper ſollicitum,

citum, & inanes quoque ſpecies animo figurantem; hanc quemuis alium honorem, ac præ tuis litteris vel illas veterum ſpreturam laureatas. Felicem ergo me, cui nunc

——— *τόδε μακρὸν ἐέλδωρ*

*Ἐκτετέλεσται!* ———

Felicem hanc lucem, quâ natus iterùm mihi videor, quòd eâ LIPSIVM velut renatum intellexi! Nónne iure ſic loquor, cùm morbus abiit, qui mortis quoddam inſtar? cum vice hiemis

——— *illa viget genitabilis aura Fauoni,*

*Pacatumque nitet diffuſo lumine cælum?*

cùm, aperto terræ ſinu, amœnum tuum

——— *ὄρχατον ἀμφιπολεύεις,*

*Αὐτὸν θ᾽ ἑρπήνετα ἰδὲ κέρκον, ἠδ᾽ ὑάκινθον,*

otioque tam iucundo negotia diſtinguis? Verùm publicæ res angunt, & miſerrimus labentis patriæ ſtatus. credo; ſed vt illum olim ——— *cunctiſque timentem*

*Securumque ſui:* ———

illum, inquam, Romanorum principem, qui cùm & nondum res perditæ, & ipſe plurimum in Repub. poſſet, remedium aliquod allaturum ſe non deſperaret. At nobis quantulum ſpei ſupereſt? aut quid aliud de noſtris exſpectes, quàm quod Poëta de Troianis,

*Ἕκτορι μὲν γὰρ ἐπῄνησαν κακὰ μητιόωντι,*

*Πουλυδάμαντι δ᾽ ἄρ οὔτις, ὃς ἐσθλὴν φράζετο βουλήν?*

Sed illi viderint. Mihi profectò (cur nõ enim arcanos meos ſenſus tibi prodam?) cùm omnia Flacci, tum iſtud inprimis allubeſcit:

*Muſis amicus, triſtitiam & metus*

*Tradam proteruis in mare Creticum*

*Portare ventis.*

Quod vtinam reapſe præſtare mihi ſit! aut, quod Seneca ſapientis eſſe dicit, *viuere præſentibus lætum, futuri ſecurum!* Cui quidem auctori nónne breui lucem? Detur id, quæſo, Senecæ, cui tam opus tuâ ope: detur tempori rerum, cui talibus monitis & doctrinâ. De veteri Philoſophiâ neſcio quid inaudiui. O ſi tela hæc pertexatur! quod ego vehementiùs deſidero, quàm Penelopæam illam Antinous & riuales. De Centuriis vt gaudeo! præſertim cùm in his nomen quoque meum. Gratias igitur ago pro immor-

immortalitate; ſed immortales. neque non pro ſedulâ mei curâ, quæ de rationibus meis quærere impellit. quo certè intimis ſenſibus commoueri me ſenſi, cùm hîc potiſſimùm agnoſcerem antiquum illud tuum, benè mihi velle, benè facere. Quid porrò reſpondeam, mi Domine? nihildum certi. Romæ videro, quò in auctumno ibimus,

*Αἴκε θεοί γ' ἐθέλωσι, τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.*

quos precor, vti te, Clariſſime Domine, communi bono diurnare in terris patiantur. Patauij, v. Kal. Aprileis, ∞. I Ɔ. C I I.

ERYCIO PVTEANO S. D.

T*ίς νύ μοι ἡμέρη ἥδε, θεοὶ φίλοι; ἦ μάλα χαίρω,*
quòd, vt ex litteris intellego, quæ tibi maximè cupiebam
——— *τὰ μὲν δή τοι τετέλεσται*
*Ἐκ Διός.* ———

Scribis enim abiiſſe morbum, atque *χρυσέαν*, vt Lyricorum princeps appellat, *ὑγίειαν* reſpicere te cœpiſſe. Tu nunc, obſecro, mi amice, religioſè eam cole, & ſtudiis immoderatis caue ſis offendas. Quod etſi tibi curæ eſſe ſignificas, an non aliquam dubitandi cauſſam præbeat illa nouarum ſubinde commentationum ſeges? In alium quemuis hæc ſuſpicio facilè cadat; in te minimè, cui tam felix & fertile ingenij ſolum, vt ſine magnâ culturâ quaſi ſuâ ſponte lætiſſimam frugum copiam profundat. Quo certè nomine tantum tibi gratulor, quantum famæ, quantum honori tuo faueo. Sed inprimis de reciperato valetudinis bono. Mihi deſtillationes nimis quàm moleſtæ. Sed nunc benè eſt, quia tibi benè eſt. De Muſathenâ valdè probo. De carmine, quod à me petis, tuâ cauſsâ nolim. Quid hoc enim aliud,

*Quàm ſtellis nebulam ſpargere candidis?*

Niſi fortè hac fini petis, vt, quemadmodum næuo diſtincta facies, ex collatione magis emineat tuorum excellentia ſcriptorum. Sed ſiue hac, ſiue aliâ, ecce quod *αὐτοσχεδιάζων* chartis illuſi. diuulgandum hac lege, ſi iudicij tui calculus approbarit. Tuum iudicium facio: tu cenſe, tu corrige qui potes. Ipſi ferè in noſtris caligamus, & nullus in manibus liber erat, cuius ad obryzam certiùs explorarem. De Gratiâ Mariâ, quod ſuperioribus tuis litteris quærebas, nihil præter vanum rumorem. Venetiis quidem,

i vt

vt impetraret, aliquot dies egiſſe dicitur; ſed irritus voti paullò pòſt reuerſus. In ſcholam rarò nos pedem. Dices: Quid ita? Fatebor: (ſoli enim ſumus) corruptum palatum, & liquidiſſimo illo nectare, quod aliquamdiu ſimul hauſimus, imbutum, feculentum hoc villum neſcio quo modo repudiat atque faſtidit. O LIPSI vbi es? ecquando rurſus frui te licebit? ſed præmaturum hoc votum. Quod ſupereſt, Deum precor, vt diu te firmum fortemque ſeruet. Patauij, III. Kalend. Aprileis, ∞. IↃ. CII.

Si quid à Clar. LIPSIO, fac nos quęſo participes; nos quidē nihil.

## HVBERTO AVDEIANTIO S.

O GRATAS mihi tuas iucundaſque litteras, mi Audeianti! quibus tam diligenter omnia exequeris, & omnino πάντα περὶ πάντων. Multum anteà tibi debebam; ſed iſto recenti beneficio nimio plus. cumulus accedet, ſi perges. quod vt facias, etiam atque etiam rogo. Gratiam referre conabor, cùm erit occaſio, tuaque cauſsâ quiduis faciam non minùs diligenter quàm libenter. De Balduino certiorem me fecerat Puteanus. Quid quæris? miratus ſum; ſed minùs tamen, quòd ille in diſceſſu noſtro neſcio quid obſcurè de iſto ſuo decreto indicarat, quod repentinum minimè fuit. Nam, ſi meminiſti, ſæpè ille multa de miſerâ mortalitatis conditione, de contemptu rerum humanarum, quòd omnia nempe vana & ἀτμὸς ἀτμῶν. Gratulare illi, quæſo, multamque ſalutem apprecare meis verbis. De Wouerio, quod res erat, cogitabam in Hiſpaniâ manſiſſe, cùm iam peſtis deferbuiſſet. Vtinam in Italiâ videam, amplectar! quod non deſpero planè. De D. Pantino valdè mihi gratum. gratias agerem nunc, ſi vacaret. faciam aliàs. Tu quæſo librum mihi ſerua. ſcis enim quàm hæc talia ex dono auctorum accepta ſint. Domus certè veſtra valdè vacua eſſe debet. mirum, ni breui quis irrepat. non enim dubito quin multi id ambiant, & ſcio quàm ægrè D. LIPSIVS precibus reſiſtat. Nec fortè ex valetudine eius ſit iſta ſolitudo. De veteri Philoſophiâ quod inceptum ſcribis quàm velim abſolui! ſed priùs Senecam, cui vix quidquam à perfectione abeſt. Sed quod ante omnia factum oportuit, de promotione tuâ gratulor ex animo. Benè rationibus tuis conſuluiſſe mihi videre, quòd τὰ θεολογούμενα non reliqueris, animo potiùs tuo & genio,

nio, quàm conſiliis quorumdam obſecutus. Epiſtolam meam Brugis datam quòd vt amicitiæ ſyngrapham ſeruare ſcribis, vt quid obſecro? non ea tanti, nec teſtibus nobis opus aut eiuſmodi documentis. Satis magnum alter alteri theatrum ſumus. Perſeueremus modò. quod ego quidem facturum me cõfirmo,

——— ἐπὶ μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι.

Vale cariſſime Audeianti, & dominam quàm amanter meo nomine ſaluta. ſed & Richardoti, qui te quoque. Litteras tuas exſpectabimus, & quidem longiſſimas ac familiares. Hoc enim familiaritas noſtra ſuo iure poſcit, & ego ecce præeo. Iterùm vale. Patauij, v. Eid. Aprileis, ∞. IↃ. C I I.

IVSTO LIPSIO V. C.

IN ſacris legitur, veteres illos ὀρθοδόξους, etſi ſemper & vbique cultui Numinis intentos, ſubinde tamen, vt quaſi coràm adorarent, ad auguſtiſſimum Ieroſolymorum templum itauiſſe: ſic ego licet omni tum tempore tum loco tui memoriam religioſè colam, tamen per litteras niſi aliquando venerer, haudquaquam facio mihi ſatis. Hæc igitur cauſſa ſcriptionis, hoc incentiuum. Quod enim aliud habeam ſcribendi argumentum? Circa publica hîc Alcedonia ſunt; nulla belli tempeſtas aut procella. Priuatæ noſtræ res eodem loci: nihil innouante illo poteſt. Quid mirum inter lituos & tubas ac grauiſſimas difficillimi belli curas? Sed & illas domeſticas de filiæ conditione καὶ τέλει γλυκερῷ τοῦ γάμου. quæ res vt confiat, valdè conniti Præſidem arbitror; quoniam iſtâ affinitate magnopere familiæ dignationem auctum iri videtur. At Burgundicum illud negotium, quod ad Antonium pertinebat, ac diu agitatum fuit, vt ad nihilum tandem planè reciderit, inaudiiſſe te opinor. Mouebit ille breui Româ, in Belgium rediturus, & frater in eius locum; ſed non ante auctumnum. De ſtudiis, mi Doctor, quæris? Ingenuè fatebor: frigent ea ſine ſuo Phœbo, ſine vllo enauſmate & incitamento. Nam præter Medicinam hîc ceteræ diſciplinæ ferè inſuper habentur. hæc autem mirum in modum excolitur: ad huius exactam ſcientiam πολλαὶ καὶ ἀρχαῖαι ἔφοδοι. Profeſſores enim egregij ſanè ſunt, ac ſcriptis plerique noti, quodque ante omnia eſt, profectus diſcipulorum ſtudioſi. quippe quos ad ægros vnà ducere ſolent, il-

liſque præſentibus inter ſe de cauſſis morborum atque remediis diſſertare. Ampliùs crebra ſpectacula Anatomica. tum hortus publicus, in quo tãtum-non omne genus plantarum. Flores tantùm requiro, in his partibus admodum raros, vbi non temerè tulepas inuenire ſit, niſi ſimpliciores illas, nullâ colorum varietate diſtinctas; viliores autem floſculorum, & quales tu ſtirpitus euellas, atque è finibus horti extermines, in areolis & locis maximè conſpicuis non abſque riſu ſæpiculè video. præſertim quando tuorum in mentem venit, cùm obuerſatur colorum illa diuerſitas, quorum alius flammeus & exuberantiſſimus, alius pallidior aut obſcurior, alius è pluribus mixtus atque compoſitus. Sed quouſque protollo, quod in primis oportebat? prodiit libellus neſcio quis ἀνώνυμος καὶ δυσώνυμος, in diuinum illum tuum in Corn. Tacitum Commentarium. Is nondum ad manus meas peruenit, nec quidquam præter auditum habeo: verumtamen nullus ambigo, ſimilem hunc aliorum in hoc genere eſſe. Bergomi editum aiunt: ſed putem in Germaniâ potiùs.

Ἆ δειλὲ ξείνων, ἔπι τοι φρένες οὐδ᾽ ἠβαιαί,

qui in LIPSIVM aliquid poſſe ſperas, illum ἄζωτον, illum ἀβέπλιστον, φιλλὸς αἰς, ὑπὲρ ἔρκος ἄλμας. Sed vlciſcentur illos ſui mores, ac virus illud, quod in alios emittunt, ipſos necabit. Nam hîc etiam, vt opinio mea fert, antiquum illud tuum obtinebis, vt, quod veræ magnitudinis eſt, haud ſentias te percuſſum; nec illos conuitiari, ſed vagire velut infantes putabis. Ita qui latratu ſuo lædere te conabantur, ipſi ſilentio tuo diſrumpentur. Quod ſupereſt, Deum precor, vt te, Clariſſime Domine, orbis terrarum bono diu terris inuerſari ſinat. Patauij, VII. Idus Maij, ∞. IↃ. CII.

## IOANNI WOVERIO *Antuerpienſi* S. P.

GAVDE, mi Woueri. Videbimus nos, ſi quà fata ſinant, intra paucos dies. Bononiam enim cogitamus, & antè Veronam, vt ſcilicet inde ſimul Mantuam. Nam ita decreuiſſe te ſcribis, & etiamſi non decreueris, aut mutaris, facilè tamen impetraturum me confido. Vix enim exiſtimo, nos præterhac adeò citò iungendos. O ſi Bononiæ aliquamdiu licuiſſet, & in eodem rurſus contubernio! Sed hæc vota, quippe nimis magna & pænè

Digitized by Google

pænè improba ——— *Caurusque Notusque*

*Irrita per terras & freta ſumma ferunt.*

Quare ſaltem hanc, quæ datur, occaſionem arripiamus,& duorum aut trium dierum vſurâ fruamur. quos ego quidem viuaci ſemper memoriâ & velut ex æquo cum illo die colam, qui mihi vitæ huius auſpex. Eam mihi voluptatem, adeò ſolidum animi gaudium & conſpectus tuus & ſuauiſſimi ſermones pollicentur. Quàm cupidè tua de Hiſpaniâ, de Italiâ iudicia auſcultabo! quàm auidis hauriam auribus tot varios itinerum caſus,

*Totque maris vaſtæque exhauſta pericula terræ!*

Nam à nobis quidem quòd multum exſpectes, cauſſa nulla eſt. In limine etiamnum hæremus, nec diu, cùm in patriâ adhuc & larem apud familiarem. Plura cupiebam. ſed impediunt interuentores. &,vt quid? breui coràm, id eſt, poſt octo plus minùs dies. Vale igitur mi amiciſſime, & prorſus cari fratris amate vicem. Patauij, VI. Kal. Quinctil. ∞. IↃ. C I I.

## IVSTO LIPSIO V. C.

TVVS ille morbus & languor mihi pænè morbo eſt, & ſi vicario malo tuum leuare poſſim, non recuſem. Incredibile eſt: ſed beneficia tua cogita, atque adeò tibi debitum amorem: tum aliquem ſaltem affectum animique motum non plebeium in iis eſſe oportere qui à tuâ diſciplinâ.

*Οὐ γάρ πω πάντεσσι θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς.*

Sed nihil vltra preces & vota, quæ pro ſalute tuâ nuncupare nullus deſino. Tu ſumme Deus hoc mihi potiſſimùm

*Acceptum face redditumque votum.*

Venetiis nuper rediimus cum D. Antonio, viſaque iam ſemel iterùm vidimus. Nihil autem libentiùs, quàm Patrem Poſſeuinum, probum & pium ſenem, tuæque CLARITVDINI peramicum. Quod & verbis & reapſe ſatis oſtendit, cùm tuâ cauſsâ perhumaniter nos excepit, & colloquio perquam familiari dignatus eſt. Ætas eſt decliuis: ac planè iam

——— *πολιόν τε κάρη πολιόν τε γένειον.*

quo magis miror ſtudium aſſiduum & intenſum. Sermone Latino & Gallico promptiùs vtitur, quàm ab Italo quis exſpectet. Laudabat ille mirum in modum Regis Galliæ legatum iſtic

agentem. *Philippus* hic *Canaeus* eſt, natione Aquitanus, & Præſes, ni fallor, Toloſanus. Sed & Philoſophiæ admodum ſtudioſus, ac ferè par in vtriuſque linguæ facultate. quippe qui Ariſtotelis non pauca vertit. Ille non ita pridem à partibus Caluinianorum, à quibus pertinaciter vſque ſteterat, ad caſtra Catholicorum melioribus auſpiciis tranſiuit. Et hæc legationis cauſſa. Cùm enim in voculas hominum incurrere ſe videret, honeſtam hanc miſſionem ambiſſe ferunt, vt eo modo ſuorum oculis ſe ſubduceret, dum iſte rumor deferbuiſſet. Ad ſummam, tam multa de hoc Viro Poſſeuinus, vt eum adeundi non leue nobis deſiderium iniecerit. Sed hîc Stoïcam, & vt quidam ait, vrbanam frontem opto. quam naturâ molliorem ratione confirmare conor, quia corrigi naturam poſſe opinor, ac virtutem eſſe διδακτόν. Eâ cauſsâ quædam ſubinde mihi ſuggero, ac velut inſuſurrari mihi fingo, quod olim à Mineruâ Telemacho:

——— ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις,
Ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται. ———

Vale vir maxime, doctorumque omnium coryphæe. Patauij, v. Kal. Quinctileis, ∞. IↃ. CII.

PETRO-PAVLLO RVBENIO *fratri ſuo* S.

FABVLAM narras, vel potiùs agis mi frater. Adeò graphicè depingis, ac velut ob oculos ponis clandeſtinum illum & furtiuum hoſpitis aduentum; & quemadmodum ipſe, detractâ homini perſonâ, præclarè fraudem eam iueris vltum. quod certè mihi quàm gratiſſimum, & ſi quid aſpectu mei factum, gratias ago. Gratum etiam D. Guilielmo, cui partem eam epiſtolæ legi, quique vel idcircò profectionem accelerabit. Tantumdem enim à te exſpectat, & ego tuo nomine promitto: nec vllo timore ſum, ne temerè ſpopondiſſe videar. Scio quàm religioſè ξένιον illum Iouem ſiue hoſpitalem colas. rectè ſanè atque ex moribus æui priſci, quo in tantâ ille veneratione. Nam publica vix vlla cùm eſſent hoſpitia, quiſque ad amicos diuertebant: ſæpè etiam ignotos: ſed tum ſymbolo ſiue teſſerâ, quæ ad illum ſeruabatur vſum, & à parentibus ad liberos tranſibat, amicitiæ fidem adſtruebant. Sic Græci, ſic Romani. de quibus hoc prætereà Noctium Atticarum auctor, ante clientelam & cognationem illis hoſpi-

hoſpitij ius fuiſſe, maioremque huius quàm illarum in operâ dandâ faciundoque officio habitam rationem? Quid veterrimi ſanctiſſimique patres, qui quò propiùs ab exordio mundi aberant, eò magis ad eius conditorem & perfectam naturam accedebant? Quid illi fortiſſimi apud Homerum ἥρωες, quibus inter curas primas exercere liberalitatem in aduenas, & hoſpitij ſacra ſemel ſuſcepta ſemper inuiolata ſeruare, etiam in ipſâ acie inter cædes & ſanguinem. Quid mirum? magnum id amicitiarum vinculum & firmamentum:

> Τοῦ γάρ τε ξεῖνος μιμνήσκεται ἤματα πάντα,
> Ἀνδρὸς ξεινοδόκου ὅς κεν φιλότητα παράσχῃ.

Sed quid de his tam multa, ad te præſertim, cui potiùs fræno quàm calcaribus opus? non alia certè cauſſa, quàm quòd & argumentum hoc delectaret, & aliud vix eſſet. Nam de meis rationibus meliùs coràm. De tuis verò quid dicam; quando ſuſceptâ iam eâ prouinciâ, fruſtraque re non integrâ conqueramur. Caue tamen ne tempus tibi prorogetur. per mutuam hoc caritatem,

> *Perque tuos oculos per Geniumque rogo.*

quod ipſum tamen neſcio quomodo ſubuereor, quòd & facilitatem tuam non ignorem, & quàm ſit arduum negare Principi tum tali, tum annixè petenti. Sed animum obfirma, & aliquando te in plenam, quæ ab Aulâ ferè exulat, aſſere libertatem. Tibi hoc licet.

> *Vtere ſorte tuâ.* ——

Dices actum me agere, & eamdem vſque cantilenam occinere. Ita eſt, & ſæpiùs idem peccabo.

> *Verus amor nullum nouit habere modum.*

& talis meus erga te mi frater, non ſolùm quia frater, verùm etiam. Sed nolo in os, quod aiunt. cetera ab animo tuo interroga. Tu vt aliud nihil, fraternitatem in me ama, quæ quid eſt aliud, quàm diuiſus, vt quidam ait, ſpiritus? & vale. Patauij, Idibus Quintil. ∞. IↃ. CII.

## IOANNI WOVERIO *Antuerpienſi* S. M.

BINAS ex Belgio litteras à te accepi, mi Woueri: prioribus iam pridem reſcripſi, & accepiſſe te opinor, ideoque poſterioribus tantùm reſpondebo, quæ refertæ omni officio, diligentiâ,

tiâ, ſuauitate. Nam primùm quidem de ſuſcepto vitæ genere gratularis, & feliciter ſemel atque iterùm acclamas: deinde quàm diligenter mones, ne mihimet ipſe deſim, ne quod vltrò defertur, repudiem bonum: poſtremò non ſolùm operam mihi tuam, ſed & fortunarum communicationem & κοινωνίαν prolixè polliceris. Vnde hæc, mi Woueri, niſi ab vberrimo caritatis tuæ fonte? quem perenni & inexhauſtâ quadam ſcaturigine iturum ſemper (vide fiduciam) nulla me dubitatio tenet. Neque enim, vt omittam cetera quæ mihi tecum intercedunt, ſanctius eſt iiſdem ſacris quàm ſtudiis initiari, neque vinclum maius & arctius eadem ſuxiſſe vbera, & eodem educatum eſſe lacte, quàm diſciplinæ ſcientiæque nectar ab eodem hauſiſſe doctore & magiſtro. Contigit hoc nobis diuino quodam ſtellarum conſortio. Quod ô vtinam detur aliquâ rurſus vitæ conſuetudine coniungi, illo ſaluo & incolumi, à quo ſalus noſtra & incolumitas. quam rem quo cupio vehementiùs, hoc magis me ſollicitat eius imbecillitas, & nouum morbi genus, quo pectus atque cor, id eſt, ipſam vitæ ſedem petitam eſſe ſcribis. O tunc opportunum aduentum tuum! quæ illâ nocte pænè vltimâ & fatali didiceris, obſeruaris? cùm arcanos tibi ſenſus vir ille ſummus concrederet, & tamquam in extremâ fabulâ ſine ſipario tecum verſaretur. Sed & dolorem hauſeris acerbiſſimum, cùm tam periculoſis affectum ſymptomatis, & velut extremum ducentem ſpiritum parentem illum alterum videres. Me quidem vel ſola eius rei cogitatio mirum in modum perturbat. Sed nolo rei tam acerbæ memoriam renouare,

*Ac pænè obductum callo refricare dolorem.*

Ad eam epiſtolæ partem venio, quâ mei quoque mentionem factam nuntias, &, vt ne ſinum influenti fortunæ claudam, hortaris. Magna res eſt, mi amice, magna; ſed & magnum iudicium LIPSI, tantique apud me momenti, vt, etſi longè ſupra merita mea id eſſe ſciam, tamen neſcio quomodo me inclinet impellatque. Vnum vereor, ne occaſio tam bella nimiâ noſtrâ morâ elabatur. Nam D. Guilielmus longiorem commeatum impetrauit, & fortè non ſolùm hac æſtate, ſed & hieme Romæ manebit. quod alioqui non nolim, quia Italia & Roma valdè placent. Clar. LIPSIO meliuſculè nunc eſſe audio, & Antuerpiam vale-

valetudinis animique gratiâ profectum. Deus Opt. Max. & illum, in quo mihi omnia ſunt, & te, qui amore mihi frater es, diu ſeruet. Ex Vrbe, VII. Eidus Iun. ∞. IↃ. CIII.

## HVBERTO AVDEIANTIO S.

Τίπτ' ἄνεῳ ἐγένεσθε καρηκομόωντες Ἀχαιοί;

*Quâ factum cauſsâ te eſſe putem Harpocratem?*

an obliuione noſtri? an aliquâ offenſiunculâ? vix eſt vt opiner, nec id conſcientia mihi dicit. Binas in Italiâ litteras à te accepi: totidem, imò ternas ad te dedi. Quare potiùs aliam βαθύτητος iſtius longique ſilentij cauſſam quæro, &, niſi fallor inueni. Publicus nempe ſermo priuatum hunc interrumpit. neque verò iniuriâ; ſi quidem publica priuatis ſunt præuertenda. Verumtamen, mi Audeianti, ſubſiciui temporis aliquid huic rei demus, neque amoris hoc iter intercludi patiamur. Ceterùm ego valeo, & viuo tui memor, tui amans: ſed & DD. Richardotus, Baronius, Oranus. Sæpè enim vnà ſumus, & veſtri Louaniique ſingulari cum voluptate mentionem habemus. O amiculi, ô colles, ô mœnia, quando vos reuiſam! quando te brachiis iſtis ego vinciam, & præſenti, quod abſenti nunc facio, gratulabor? Macte eſto, mi Audeianti, & iſtâ viâ quaſi regiâ ad decus & laudem perge. *Spondeo digna tuis ingentibus omnia cœptis.*

Multam tibi ſalutem, quos modò nominaui, veteres amici. Tu quæſo & multam & officioſam CLAR. D. CORSELIO meis verbis nuntia, & vale. Ex Vrbe, III. Eid. Quintil. ∞. IↃ. CIII.

## IOANNI WOVERIO *Antuerpienſi* S. P. D.

MVLTA mihi ex te iucunda prouenerunt, ſuauiſſime WOVERI; ſed nihil æquè ac litteræ, quas nudiuſtertius à te accepi. Iſtis enim dolor, quem ex diſcidio noſtro capiebam longè maximum, tamquam anodyno quodam medicamento acquieuit. Quod & magno opere adiuuit magnum, quod hîc repperi, quoque velut poſtliminiò frui rurſus incipio, bonum. Sic nimirum ſunt humana, ſolidæ nihil vmquam vt obtingat voluptatis, & vt vno cùm potiamur, altero ſit carendum. Sicque apud Homerum, Pelei filio pro Patroclo vota facienti

—— ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε.

Sed heus: ſcin' quid LIPSIVS abs te petat? Vincentium Coubergium ſuis vti verbis ſalutes, quæraſque, an habeat ectypum ſtatuæ L. ANNAEI SENECAE, quæ Romæ in ædibus Ducis Altemſij exſtat. Si habet, ô factum benè. nam ad hunc typum imaginem fieri velit, quæ in veſtibulo, vt ita dicam, librorum SENECAE ſpectetur. Tantum eſt. Vale mi amiciſſime. Louanij, ∞.IↃ.CIV.IV.Id.Quintil. Doctori NONIO quæſo ſalutem.

## IOANNI WOVERIO *Antuerpienſi.*

PLANE geminus mihi tecum affectus, ſpeque metuque mixtus. Etſi nunc quidem ille remiſſior. Rediit enim noſter ille ſummus, & nihildum mutauit. Vin' cauſſam? obſtare nonnemo è potentibus videbatur, veritus, vt opinor, ne luminibus ille ſuis obſtaret. Pendet tamen adhuc res, & abſentis fortè rationem habebunt. qui tamen obfirmato magis animo nunc eſt, ſtatuitque nullam prorſus decretis ſuis inducere lituram. Alienum ab Aulâ ſemper noſti; nunc etiam abhorret. Et ſanè præſtet in quietem ſuam permitti; præſertim hoc tempore, cùm felices illi videntur qui nullam Reipub. partem attingunt. Quod cùm antea, tum nunc quoque ex animi ſententiâ magnus ille vir adfirmat. Dices: Cur ergo Bruxellam? vt librum Principi offerret, & amicorum precibus obſequeretur. Et, vt rem dicam, titulum Conſiliarij inſcribi ſibi facilè patiatur; ſed nudum & ſimplicem. nam cum onere ne quidem vellet illum regis Perſarum & βασιλέως βασιλέων. Et quia timet ne hoc iungeretur, & ipſe interdum in Aulam accerſeretur, nihil omnino mutari malit. Quod ita fore credimus. Quamquam Reu. P. Oliuerius Manareus Soc. I. qui telam hanc exorſus eſt, libenter eam pertexeret, & etiam nunc aliquid molitur. Ille autem cuius maxima res agitur, nullus ſe immiſcet. Euentus, cuicuimodi is fuerit, faciam te certiorem. tu per Fidem tuam totius rei neminem. nam arcana eſt, & hoc quidem nunc magis, quòd ad nihilum recidere videatur. Apud LIPSIVM etiam totum diſſimula, niſi fecerit ipſe mentionem: per me enim nuntiatum tibi putaret. Ignoſce vanæ ſollicitudini meæ. nolim vel minimo næuo gratiam meam commaculari. De Prætorio quid quæris? conueni hodie inquilinum, & ſedulò pretium ſciſcitatus ſum. Ille verò ſeriò negare ſe ſcire, priuſ-

priuſquam litteras acceperit ex Hiſpaniâ Duciſſæ, vt ita loquar, de Feriâ, quæ Angla, & ſoror, atque adeò heres huius Comitiſſæ, quæ prædij domina erat. Vbi verò certum aliquid compererit, quod menſe aut ſex ſeptimanis vix poterit, nobis ſignificaturum. De Baronij negotio nimis te amo. Cura id obſecro: nihil potes vtrique gratius atque iucundius. at magnum in celeritate momentum, vt cum primis iſtuc mercibus perferatur. Sed, vt anteà ſcripſi, nolim tuo detrimento fieri. Litteræ Italicæ Cl. LIPSIVM mirificè delectant, at me non minùs. Neſcio enim quomodo mihi Italia in animo & amore. Vale mi amiciſſime, & quod facis, nos ama. Louanij, x. Kal. Martias, ∞. I Ↄ. C V.

## IVSTO LIPSIO V. C.

SVPERIORIBVS litteris meum huc aduentum indicaui: iam verò non alia ſcribendi cauſſa, quàm vt officium obeam ſcribendi, ſalutandi. Quod quidem ſæpiùs facerem, ſi per tabellarios liceret, qui in ſolis ſepoſitiſque locis quàm velim rariores. Quo fit etiam, vt in altâ nocte verſemur, & quid publicè geratur, iuxtà cum ignariſſimis neſciamus. Vnum tamen habeo dicere, quod in opido propinquo Brainiâ contigit triſte ac fœdum. Ad LXXX. nempe ædificia ipſo meridie lucis B. Ioanni Bapt. ſacræ flammâ edace abſumpta. Orta hæc ex ictu bombardæ, quo ſimul excuſſus funis ignitus ſeu fomes ſtramineum incidit tectum, quod ignem ſubitò concepit, & in adhærentia latè diſperſit. Tam repentinum autem tamque vehemens fuit πυρὸς μένος αἰθομένοιο, tota ferè ſupellex vt vnà perierit, & non parum multi δυςήνων παῖδες ſint ad incitas redacti. Sed & extra mœnia latè dilata flamma ſtabula inuaſit curſui publico attribura, punctoque temporis ſolo æquauit. Valencenis turris templi bis de cælo tacta. Quid mirum in æſtu tam immodico, tantâque ſiccitate? Et tamen agreſtes magnum ſegetum prouentum ſperant; pomorum non item. Vide quæ ad te ſcribam, ne nihil ſcribam: quibus videlicet aures meæ perſonant, & quæ huic loco ſunt accommodata. Quod reliquum eſt, Deum veneror vt te Ampliſſime Domine, σὸν τῆς παιδείας προεστῶτα καὶ μυρία εἰδότα Reipub. litterariæ tuiſque ætatem ſeruet. Ruri, III. Kal. Quinctil. CIↃ. IↃC. V.

SERAPHINO OLIVARIO S. R. E. *Cardinali.*

QVOD adhuc contemplatio magnitudinis tuæ vetuit, id hoc tempore debiti neceſſitas officij non ſolùm facilè patitur, ſed ſuo velut iure expoſcit. Hęc ipſa ſtilum mihi porrigit, vt Ill^mæ & Reu^mæ Dominationi tuæ pro ſingulari beneficio gratias ſcribam. quas tamen quemadmodum ſcribam, haut ſatis reperio. Sed & deficio, & nimio quaſi lumine perſtringor, quoties benignitatis tuæ ſolem propiùs intueri conor. Hæc olim me tam facilè ad aſpectum & affatum tuum admiſit: hæc ipſa nunc Illuſt^mi Cardinalis Columnæ domum reſerauit. Quod ipſum etſi magnum & lōgè ſupra merita noſtra ſit, meo tamen animo plurimum dignationis à commendatione Ill^mæ tuæ Dominationis mutuatur: quæ non tantùm apicem huc ſuum demiſit, vt inter curas me ſuſciperet; verùm etiā tam honeſtam de me notoriam, vt & amicorum litteræ & ipſa res dicit, prolixè tulit, ſeque potiſſimùm myſtagogo me in ſummatis viri clientelam voluit induci. Quid hoc mihi potuit eſſe vel optabilius vel magis ambiendum? quid inquam honorificentius, quàm ab eo commendari viro, cui vel leuiter innoteſcere abundè magnum ſit: quem omnes pariter vnâ mente mirantur, vno ore collaudant: cui quamquam in altiſſimo dignitatis gradu collocato, nihil vmquam aut gratia præſtitit, aut ademit inuidia: qui denique, quod olim Vlyxi ſuo tribuit Homerus,

——— βροτῶν ὄχ' ἄριστος ἁπάντων
Βουλῇ καὶ μύθοισιν, ———

& ſingulari quadam indulgentiâ ſuperûm omnia tamquam ſingula abſoluit. Quæ verè, non ambitioſè à me dici, teſtis inprimis vrbs illa vrbium, in quâ velut ampliſſimo quodam orbis terræ theatro mirabilis ille virtutum ac prudentiæ tuæ concentus clariſſimè exauditur. Sed ſatis te fama tua laudat, & quidquid ego dixero, minus erit: quod inſtitueram grates ago gratiaſque, quòd Illuſt^ma & Reu^ma tua Dominatio tam enixè me iuuare & ornare dignata ſit; & quidem ſiue dignum crediderit, ſiue tantum amauerit, vt ea tribuerit non digno. Sed paucis ago, quodque Deo fertur acceptiſſimum, impendio plus ſentiendo, quàm loquendo. Atque adeò ex animi mei ſententiâ profiteor, & his quaſi tabulis

bulis ſubſigno, tantorum me promeritorum

——— ἐκ ἐπιλησόμεθ’ ὄφρ’ ἂν ἔγωγε

Ζωοῖσιν μετέω καί μοι φίλα γούνατ’ ὀρώρῃ.

& eâ te Illuſtme & Reume tuæ Dominationi ætatem obnoxium fore, nihilque tam habiturum in vitâ propoſitum, quàm vt teſtimonio tuo reſpondeam, & ſponſionem illam obſidem numquam fallam. Et quoniam indulgẽtiam tuam expertus ſum, hoc inſuper beneficium per Genium te rogo tuum, vt me ſemper & beneficia tua diligas; Deum autem Opt. Max. vti te, Illuſtme & Reume Domine, terris diu commodare publico commodo velit. Louanij, pridie Kal. Sextil. ∞. IↃ. C V.

## ERYCIO PVTEANO S. P. D.

FELICITER, mi amice, feliciter. confectum enim audio negotium tuum ex tuâ noſtrumque omnium, id eſt beneuolentium ſententiâ. Et opportunè ſanè profectio cadet in hoc tempus, quo fœda tempeſtas impendere Italiæ videtur. Quid enim aliud obfirmati partium animi, quid Κρηταίων veſtri

——— κρατερὸι μενεδήϊος ἠδὲ μαχήμων,

quid denique delectus & apparatus bellici minantur? Huc accedunt longa & alta pax, & vices rerum humanarum. Quorſum autem hæc? vt iſtâ prouinciâ magis magiſque gaudeas, pedemq. ex Italiâ lubentiùs efferas. De libello ad me miſſo mirificè te amo, mi Puteane. Crede mihi, teipſum hîc viciſti; non ſolùm illum Laconiſmi impugnatorem. Mihi ſanè vehementer placet, & de munuſculo gratias habeo. egiſſem iam pridem, ſi per fratris morbum licuiſſet. Ecce autem Epicedion, quod petiſti. Habet Moretus iam exemplum, & cum aliis, ni fallor, edet. Breuior in laudando ſum, quòd id alibi prolixiùs à me factum. in Apobaterio dico, quod fortè vnà imprimetur. petiit quidem Moretus vt mitterem. Tuam Næniam adiunxi, cui primus debetur locus. Vale amiciſſime PVTEANE, & frequenter quæſo ſcribe. Quas in hunc faſciculum litteras conieci, velim cures. Romæ, XI. Kal. Sextil. ∞. IↃ. CVI.

## GEORGIO VWENO I. C.

VICISTI, clariſſime iuuenis, & ſalutare prior occupaſti. Quid mirum? totus è Gratiis concinnatus, & ipſius hu-

manitatis viuida quædam imago. Sed benè, quod eadem illa virtus propriè tua tibi ſuggeſſit & perſuaſit, vt hactenus vinceres, & ſalutare nos per Clariſſ. PARENTEM tuum ſat haberes. Ita fit, vt in hoc officio poſterior priores in ſcribendo feram. Quid autem ſcribam? gratias & gratulationem. illas quidem ob conſtantem memoriam, & amicam atq; honorificam mei mentionem; hanc ob curſum ſtudiorum tam feliciter tantoque cum applauſu confectum. Macte animi, mi VWENE, & nihil non ſpera talibus virtutis & doctrinæ præſidiis atque ἐφοδίοις. Eueniunt digna dignis, & ego iam videre te videor hac viâ quaſi regiâ ad honores graſſantem, perque medias laudes velut quadrigis vehentem. Felices ter & ampliùs parentes!

——— μάλα πȣ σφίσι θυμὸς
Αἰὲν ἐϋφροσύνῃσιν ἰαίνεται εἵνεκα σεῖο.

Sed & patriam, quæ tantum ſibi de te ſperat & ſpondet! Veni ſodes, & rem magis quàm ſpem fruendam præbe. Sed heus quid de reditu meo cenſes tam celeri, tam inopinato? Mihi quidem ipſi monſtri ſimile, dominam illam vrbem & ante alias mihi caram tam ſubitò relinqui potuiſſe. Fecit matris imperium, & amicorum blanda illa πειθανάγκη, maximeque WOVERII noſtri, quem ego germanum in modum amo; neque tamen vinco. Mutuum enim mecum facit, & vt tu facias magno opere rogo. Vale flos iuuenum, & Ampl. D. PECKIVM (ſæpè cum eo te eſſe è litteris tuis colligo) mihi quidem tantùm de famâ notum, patri verò quondam meo tum amicitiâ tum ſanguinis nexu iunctum, officioſè verbis meis ſaluta. nam litteris temerè interpellare non eſt viſum. Antuerpiæ, poſtridie Eid. Iunij, ∞. Iↄ. CVII.

PETRO PECKIO *Principum NN. Conſiliario, & ad Regem Galliæ Legato.*

NIHIL tam mihi propoſitum, quàm in poſterum amicorum in litteris curandis operâ non vti. Nihil enim profectò fallacius. expertus id ſum, cùm aliàs, tum nuper in epiſtolâ ad A.T. negotiatori cuidam Lutetiam proficiſcenti, rogantique, numquid vellem, à me datâ. Nam vbi poſt reditum hominem conueni, faſſus eſt, reddere oblitum, & in vidulo (vah ſupinam neglegentiam!) huc retuliſſe.

Ἤ μάλα

Ἦ μάλα μοῦ κατὰ δ' ἄπλετ' ἀκιόντος φίλον ἦτορ,

non quòd alicuius eæ litteræ ponderis eſſent ac momenti, ſed quòd, illis non perlatis, ceſſator eſſe & à religione officij declinare viderer. Verùm quid facerem?

Τί δῆτ' ἂν ἀλγοίην ἐπ' ἐξειργασμένοις;
Οὐ γὰρ γένοιτ' ἂν ταῦθ' ὅπως οὐχ ὧδ' ἔχειν.

Vna remedij ratio, palàm id ipſum nouâ ſcriptione facere, atque adeò ſuſpicionem atque culpam à me ſegregare. Quod quia iam præſtitiſſe videor, ad epiſtolam tuam venio. quam epiſtolam, Deus bone! quâ elegantiâ! quâ doctrinâ! Nihil à me longiùs abeſt aſſentatione; non dubitabo tamen affirmare, Muſis ab ipſis præſcriptam tibi videri. Hoc certè erat, quod I. olim Guilielmus in Epigr.

——— PECKIADEM *pullum Phœbi atque ſororum*

appellauit, &,

——— *ætatem* PECKI *pro numine nomen*

ſibi fore promiſit. Præclara ſanè laus & rara, Iuris ſimul & litterarum antiſtitem, & quaſi περιδέξιον Homerici illius Aſteropæi inſtar eſſe. Huc accedunt prudentia dicendique facultas: quibus quantum præter ceteros excellas, & principale iudicium & ampliſſimus, quo tantâ cum dignitate fungeris, honor ſatis abundeque declarat. Ad ſummam,

——— *quæ ſparguntur in omnes,*
*In te miſta fluunt; & quæ diuiſa beatos*
*Efficiunt, collecta tenes.*

Nec iſta verò dico, quòd huius affici te gloriæ γαργαλισμοῦ mihi perſuadeo, ſed quòd harum rerum commemoratione meum mihi bonum ob oculos pono, mihique magis ac magis de coniunctione noſtrâ placeo & plaudo. Nam in his quæ tam largiter in epiſtolâ mihi tribuis, exſulto planè & triumpho: nec permultùm meâ referre exiſtimo, bonâ fide de me ſic iudices, an tanto opere me diligas, vt ſecùs iudicare non poſſis. Amo laudes, amo, non modò quòd eæ ſuauiſſimum, vt ille dicebat, acroama, pulchrumque ſit à laudatiſſimo viro laudari; verùm etiam, quòd his mea mihi ſtudia, cùm talem inde fructum percipio, maiorem in modum commendari intellegam. Vnde & additum mihi calcar, vt omnino repræſentare ſtatuerim, quod in diem reſerua-

ſeruabam. Stat iacere aleam, & de conſilio A.T. cuius mihi au-
ctoritas pro ratione ſufficit, quod in manibus eſt, opuſculum emittere. Verumtamen vti celeuſma me tuum excitat & acuit; ita rurſus exſpectatio cohibet ac retardat. Scio quàm hæc grauis aduerſaria ſit,& oneris ex eâ magnitudinem metior. Sed iam occurro, quoad poſſum: exiguum eſt quod damus & paruæ rei: titulus, *Obſeruationes Miſcellæ*, pro argumento videlicet, quod eſt miſtum, ac ferè cuiuſmodi in *Electis* LIPSIANIS. Προσφωνεῖται autem Præſidi Richardoto, qui beneficiis me deuinxit. Quæ quidem A. T. nuntio, non quòd tanti putem, aut cognitione tuâ digna; ſed quia, cùm ipſe eorum mentionem inieceris, non poſſet non vitio mihi verti, ſi nihil ad ea reſcriberem. Pro clauſulâ, cùm mihi perennem & propriam A. T. beneuolentiam, tum virtuti tuæ, Ampliſſime Domine, parem fortunam, & quem longiſſimum habet vita progreſſum precor. Mater mea ſalutem A. T. plurimam dicit, etiam atque etiam. Antuerpiæ, III. Eid. Decemb. ∞. I Ↄ. C VII.

SERAPHINO OLIVARIO S. R. E. *Cardinali.*

CIRCVMEGIT ſe ferè annus, ex quo Româ diſcedens vale Ill^mæ & Reuer^mæ Dominationi tuę dixi. Hoc interim ſpatio litterarum nihil exaraui, non quidem obliuione officij, ſed ſingulari quadam & eximiâ reuerẽtiâ. Nam, vt veterum neſcio quis ait, habet plurimum ponderis tacita veneratio. Et quemadmodum olim ex præcepto diuino non quouis tempore, ſed in anno ſemel adytum & penetrale auguſtiſſimi & religioſiſſimi templi ingredi fas erat, ita nec temerè nec crebrò ſummates eiuſmodi viri vel adeundi vel interpellandi. Accedit quòd, cùm probè ſcirem, & ipſâ re ſatis didiciſſem, quàm Illuſtriſſima tua Dominatio pro benignâ prolixaq; naturâ factum mihi velit, reiiciendam in id tempus ſcriptionem exiſtimabãm, quo rem factam habere me nuntiare poſſem. Sed & tertia remora ac ſufflamen. Cùm enim ante pluſculos menſes chartis aliquid illuſiſſem, idq; cum epiſtolâ ſimul mittere mihi certum eſſet, obiecta mora ab hieme anni maximoque & acerrimo frigore, quod & operis typographicis omni pænè opere interdixit, & me in præſentiâ, ne nullas dem, inanes dare litteras cogit. Sed neſcio quomodo dum ſilentij
cauſſas

cauſſas enarro, ſcribendi ferè materiam conſumo. Nam de ſtatu rerum mearum admodũ pauca dicere habeo: ſpirat etiamnum & vitam trahit ille, cuius in locum euocabar, cùm ei fatum imminere videretur. atque exſpectandum adeò, dum vel ille ipſe vel alius in communem abiens locum, ſuum in Republicâ locum mihi cedat. Interim otio fruor, & amiciriis ſtudeo cùm veteribus confirmandis & colendis, tum nouis inſtituendis & conglutinandis. Ad ſummam, in occaſione non defuturum mihi fauorem confido. Liberiùs hæc & familiariùs ſcribo, quòd inter curas Illuſt^mæ Dominationis tuæ & in aliquâ gratiâ fuiſſe me (& vt porrò perpetuò ſim, vnicè opto) ſæpiùs & operis & factis expertus ſum. Quod ſupereſt de publicis, pax in ſpe quidem eſt, ſed adhuc dubiâ & incertâ. Deus, vt ſpero, nos aliquando reſpiciet, quod iugiter eum precor, & vt Illuſtriſſimam & Reuerendiſſimam tuam Dominationem per multos annorum recurſus firmam & valentem Eccleſiæ boniſque omnibus ſeruet. Antuerpiæ, Kalendis Martij anni τῆς τοῦ Θεοῦ ἐνσαρκώσεως ∞. IↃC. VIII.

## LVDOVICO BECCATELLO S. P. D.

QVOD hactenus officio ſcribendi temperarim, ingenuè & pro ingenio meo fateor, in eo me prorſus culpâ non vacare; ſed culpâ, quæ non ab alio fonte, quàm ab inertiæ quadam dulcedine, quæ paullatim ſubit, & inuiſam primò deſidiam pòſt gratam & amabilem reddit. Nam in amore quidem & memoriâ tui noli putare me ceſſaſſe. Nullus eſt ferè dies, quin Vrbem mente & cogitatione reſpiciam, gratoque recolam animo tum illuſtriſſimi patroni benignitatem & beneficientiam, tum & ſuauitatem & humanitatem tuam. Quod vt tam firmiter accredas mihi velim, quàm ego verè tibi narro:

——— ἦ γὰρ ἐμοὶ φίλ' ἀληθέα μυθήσασθαι.

Sed & promiſſum de effigie I. LIPSI τοῦ μακαρίτου penitus in animo meo ſcriptum eſt, ac liberabo fidem; ſimul ac fratrem meum, qui hanc epiſtolam tibi tradet, ac reuolare in patriam cogitat, & iam ferè πτερυγίζει, mecum hîc eſſe continget. Nam ab huius manu præoptem; quia nec LIPSIVM à quouis temerè depingi decet, nec abſque delectu quidlibet eruditis Romanorum oculis offerri. Interim ſi quid aliud, fidenter impera: fa-

ciam tam diligenter, quàm libenter. Et quoniam *in defectu rerum nihil operæ eſt indulgere verbis*, vale mi Beccatelle, &, vt alibi ſuperior, affectu par eſto. Antuerp. Kal. Mart. ∞. I Ↄ C. I I X.

## FRANCISCO BARTHOLINO S.

AVIS illa *exul hiemis, titulus tepidi temporis*, vt lepidè veterum neſcio quis appellat, poſt longum etiam interuallum ac vel diſſitis in locis nidum ſuum repetit ac reperit: tu, mi BARTHOLINE, amicos, vbicumque gentium ſient. In quo certè egregiam tuam indolem & humanitatem, quam in illo, breui licet, congreſſu & colloquio videre liquidò fuit, agnoſco ſingularem. Sed & ſimul elegantiam & eruditionem, cuius tam inſignes in epiſtolâ tuâ notæ. Vnde iam & hîc habes,

——— εἰ καὶ μάλα πολλὰ μεταξὺ,
Οὔρεά τε σκιόεντα θάλασσά τε ἠχήεσσα,

qui Cl. PERSIO ſecundas agat, plenoque laudes tuas ore deprædicet. Facimus id ſanè cùm ſedulò, tum lubenter. Neque enim hîc, vt aliis in rebus, quantum cuique dederis, tantum tibi detraxeris: imò verò contrà, laudum earum, quas amicis tribuimus, aliquis velut radius ad nos redit. Quod caue tamen in eam accipias partem, tamquam eâ re ſupra verum aut meritum quemquam extollam. Nihil à me longiùs abeſt aſſentatione, placetque ſupra modum pectoris & oris conſenſus quidam atq; concentus. Et id ipſum de te etiam vt credam, facilè adducor. Credo nempe quæ cupio, nec cornea mihi fibra: atque adeò ferè de me plus tibi, quàm ipſi mihi credo.

*Benè igitur ratio accepti atque expenſi inter nos conuenit.*
*Tu me amas: ego te amo, meritò id fieri vterque exiſtimat.*

Et ætatem animati ita ſimus! Quod ego non modò de me tibi ſpondere poſſum, ſed de te etiam mihi, qui tam illuſtre conſtantiæ documentum iam dediſti. Ad effigiem LIPSI τοῦ μακαρίτου quod attinet, ea non vnius exſtat artificis manu. Ecce eam tibi, quam ſimillimam, id eſt optimam iudicamus. De litteris ad PVTEANVM quieto tibi eſſe licet. Commiſimus homini certo & fido. Vale mi amice magne, & Cl. SPANOCHIO, quod coràm aliquando facere commemini, meis verbis officium & obſequium defer; tum etiam ASCANIO PERSIO, cuius

De

De Thermopoſiâ an breui in lucem? Antuerpiæ, A. D. VI. Kalend. Aprilis, ∞. IↃC. IIX.

## PETRO PECKIO *Principum Conſiliario, & ad Regem Galliæ Legato.*

EPISTOLAE perlator duos ipſos pænè menſes profectionem & Lutetiam locutus, quaſi Callipides alter, cubitum nullum proceſſit. Id in cauſsâ, quòd ſeriùs officio fungimur, & nunc demum hunc pauperis ingenij fœtum offerimus. Etſi vereor, ne citò nimis, néve parentem ille ſuum dedecoret, cui non minùs diſplicet, quàm Iunoni ſuus ille ἀμφιγυήεις. Verùm τοῦ καθήκοντος potior mihi ratio, eruditionemque quàm cultum & obſeruantiam in me deſiderari malo. Vt autem illud officij mei eſt; ita voti, gratum vt acceptumque habeas quod offertur, auctoremque, quo ſoles, amore proſequare. Erit hoc ſolatium in grauiſſimo luctu ab exceſſu optimæ matris. quo certè nihil accidere mihi potuit aut acerbius aut incommodius: hoc præſertim tempore, cùm nondum res meæ ſtabilitæ. Sed hæc, & alia ex tranſuerſo in vitam humanam incurrentia ferre debemus

*Καὶ μάλα τειρόμενοί περ· ἀναγκαίη γὰρ ἐπείγει.*

Te ætatem valere opto, A. D. & in terris diurnare, bono patriæ & tuorum. Antuerp. A. D. IV. Kal. Nou. ∞. IↃC. IIX.

## PETRO PANTINO V. R.

NON dubito, quin mirere, quòd tamdiu intra ſilentium me tenui. Et, vt verum fatear, ipſum me ferè piget ac pudet. Veruntamen optimæ mentis conſcientia, nec iniuſta prorſus moræ cauſſa nonnihil me conſolatur. Cogitaueram enim his diebus Bruxellam, vt coràm quidquid hoc eſt libelli, qui foras nuper à me datus, offerrem. Sed, vt ſæpè φθάνει ἡ ἐπίνοια τὴν γνώμην, in aliud nunc tempus profectionem extollo. Caſui igitur neſcio cui, non animo, ſi quid peccatum, imputabis, & hæc ærea verè pro aureis tuis (quo nomine gratas tibi gratias memini) benignê ſuſcipies. Id oratum te volo: tum etiam, vt ſicut ego iugiter te colo ——— καὶ αἰδέομαι περὶ κῆρι,

ita tu, admodum Reu$^{de}$ & Clariſ$^{me}$ Domine, in noſtri diligentiâ perſeueres. Antuerpiæ, A. D. IV. Kal. Nouemb. ∞. IↃCIↄIIX.

## STEPHANO CLAVERIO V. C. S. D.

EPISTOLA tuâ reſignatâ, V. C. vehementer me pupugit cheirographum & nomen tuum. Verebar enim ne querelam & quaſi nominis mei delationem contineret. Sed meliùs opinione res ſucceſſit. Nihil te benignius, humanius, officioſius. Ignoſcis non modò ſi quid per ignorationem dignitatis & doctrinæ tuæ peccatum; ſed & ea mihi tribuis, quæ nullus agnoſco, quæque magis optare fas quàm ſperare. Occupaſti certè, & verecundiæ meæ obrepſiſti. Sed & precibus & expurgationi, quam habiturus eram, vltrò occurriſti. Quare gratias ago quàm verbis exiguas, tam affectione animi copioſas; polliceorque, vel potiùs recipio, poſthac vel maximè mihi curæ futurũ, vti meum ego faciam; & in occaſione eruditionem, probitatem, humanitatemque tuam condignis laudibus proſequar: neque committam, vt quemadmodum in amicitiâ coniungendâ, ſic in eadem colendâ tuendaque poſteriores feram. Te verò etiam atque etiam rogo, conſtare tibi velis, & in amicorum ac beneuolentium cohorte perpetuò nos habere. Sed ad ceras miniatulas tuas venio, de quibus magnopere te amo; & vt ingenium quoque meum faciam, ſenſum meum liberè promo. Et primò quidem, τὸ *Hoc erat* ἐμφατικῶς dici fateor, nec mutato opus videri. De *Marte* non diſplicet. Meam quidem emendationem ſic explicabam: *Fortuna ac mens Gildonis aliquamdiu ſuſpenſæ & dubiæ fuerunt.* De *contis*, vt poſteriores ferè curæ meliores, mea iam mutata loco ſententia cedit: & ex Aldinâ editione repono, *cunctis*, vt Poëta dicat: *Corpus plenum eſt vulneribus; cunctis tamen* (vulneribus) *ſplendet iactantior gloria reſciſſa fœdati oris.* id eſt, *honeſtiora ſunt ea quæ in ore.* Hoc nunc placet. D: Scholiaſtæ Iuuenalis loco animus mihi pendet, &, vt ſum ἄπιστος, in alienam ſententiam facilè tranſeam: præſertim eorum

Οἱ μὲν φορτικοί εἰσι νοῆσαί τε κρῖναί τε.

Ceterorum non me pœnitet. quorum paria ac ſimilia multa abieci, poſtquam in tuum abſolutiſſimum incidi Commentarium, & vix quidquam ad ſpicilegium reliquum eſſe animaduerti. Plurimum profectò Claudianus & litteræ tum induſtriæ tuæ tum limato politoque iudicio tuo debent, nec cauſſam vi-

deo,

deo,cur delitias inter nos faciamus. Hæc Sparta, V.Cl. tibi obtigit,nec eſt temerè deſerenda. Perge porrò eam exornare, cùm per grauiores fori prætoriique curas licebit,ac benè vale. Antuerpiæ, A. D. IV. Idus Nouembris, ∞. IↃC. IIX.

De Relatione pergratum. Agnoſco tuum ſcribendi genus maſculum, ſublime, eruditum: ac pro antidoro mitterem Electa mea,ſi hominem idoneum nanciſci poſſem. Nam iſte faſciculus grandior grauiorque quàm pro curſore. Iterùm vale.

## MAXIMILIANO VRINTIO.

SI epiſtolam erubeſcere contingeret, hanc ipſam æmulam minio videres,amiciſſime VRINTI. Adeò pudet amicâ ſcriptione prouocatum tamdiu ſiluiſſe. Verumtamen aliquantillùm me recreat illa tua tam obuia facilitas & humanitas, inque magnam veniæ ſpem adducit; præſertim cùm huic βαθύτητι meæ & luctus ab exceſſu matris optimæ & occupationes in auſpiciis noui muneris aliquo modo patrocinentur. Quibus tamen velut indictis,ad preces confugimus,& ignoſci rogamus. Sed hac conditione (vide quam legem aduerſum me feram) ſi in poſterum tecum non amore tantùm, ſed & amoris officiis mutuum fecero. Addo cultum & obſeruantiam, quæ tibi deberi ſcio, tali tum ingenio tum eruditione viro, perque vitam omnem, (ita viuam) præſtabo. Vale V.Cl. meque, quod facis, ama. Antuerp. Kalend. Martij, ∞. IↃC. IX.

## PETRO PECKIO *Principum Conſiliario, & ad Regem Galliæ Legato.*

QVOD tanto iam interuallo nihil omnino ad te, non equidem excuſo. Agnoſci modò cùm occupatiunculas familiæ erciſcundæ,tum nouum & munus & vitæ genus, atque adeò ignoſci rogo. Nam aliunde, niſi fallor, ad te perlatum, aliquot ante menſes I. Bochio vitâ functo Patrum ſuffragiis me ſuffectum; & non longo tempore interiecto, Mariæ de Moy Secretarij F. iam dudum mihi deſtinatæ,quod benè vortat, matrimonio iunctum. Quo vel vno nónne ceſſatio noſtra συγγνωστός? Ita certè tibi videri cùm cupio, tum ſpero, Etſi fateor, nulla res officium hoc ſtyli remorari debebat, vnicum in abſentem cultus & ob-

ſeruantiæ monimentum. Sed iam in viam redeo. quid autem ſcripturus? de litteris & Muſis? at iampridem nulla cum illis mihi ratio per auſpicalis huius anni varia auocamenta. An de ciuilibus publiciſque rebus? Id verò ſit ligna in lucum, vt aiunt, & parùm, vt puto, κατὰ μοῖραν. Satis, vt nunc eſt, habeo, reuerti ad intermiſſum officij munus, memoremque & deuotum tibi animum approbare. Vale V. A. & Rubenium, vt facis, ama. Antuerpiæ, A.D.IX.Kal.Sextil. ∞. I Ↄ C. I X.

PETRO PECKIO V. A. *ad Regem Galliæ Legato.*

QVOD de me iampridem, id nunc de fratre meo nuntio, maritorum in ordinem relatum. Eſt is, vt aliquo modo notorem agam, ingenio peracri & eleganti, & Apelleæ, quam profitetur, artis peritiâ ſingulari. Quod Principem haud fefellit, qui eum ne vorſoriam in Italiam caperet, quò præmiorum ingentium illecebris reuocabatur, in familiam adſcriptum ſuam compedibus aureis ligauit. Verùm ipſus ſeſe nunc multò magis hoc maritali vinclo: quod & fraternitatem inter nos artiùs ligat. Nam ἡ νεόνυμφος comparis eſt meæ è ſorore maximâ neptis, eademque Brantij Graphiarij filia; cui præter adfinitatem, ſtudiorum ſimilitudo me etiam iungit. Quare non mirum, ſi inter gratulantium voces, inque geſtientis lætitiæ ſtrepitu Thalia mea non omnino obticuit. Mirum potiùs, quòd ea ſiſtere ſe tibi ſummæ cùm dignitatis tum eruditionis viro, vocemque coram Roſcio (vt ita dicam) mittere non dubitet. Etſi id quidem fit non captandi plauſus gratiâ, quem tenuitas mea non exſpectat; ſed vt abſentem aliquo ſaltem γαμηλίῳ ſymbolo participaremus. Inter hæc læta, ecce fulmen de Richardoti Præſidis fato: quod non priuatâ tantùm, ſed & publicâ cauſsâ grauiter nos percuſſit. in quo tamen acerbiſſimo luctu magno opere me recreat & ſolatur fama publica, quæ rarò mentitur, omniumque ferè deſtinatione PECKIVS ſucceſſor. Id ſi lepidè & ex voto noſtro procedit, vociſque publicæ prærogatiuam Principum puncta ſequuntur, pænè dixerim (ignoſcite magni manes) tanti fuit:

*——— damna iſta nefaſque*
*Hac mercede placent. ———*

Spero equidem ita fore, & in omine tam læto, quod Deus Opt. Max.

Max. ipſâ re firmet, epiſtolam concludo. Antuerpiæ, Nonis Nouembris, ∞. I Ɔ C. I X.

ARNOLDO BOVCOPIO S.

QVOD tardè reſpondeo, V.C. noli mirari. Litteras tuas Idib. Martij datas circa Non. Maij demum accepi. Quæ cauſſa moræ, mea non eſt inquiſitio. Quod meum autem, gratas tibi gratias ago de beneuolentiâ quâ iam diu me proſequeris, deque epiſtolâ eius indice ac teſte. quam & hoc nomine, & ob elegantiam eruditioniſque, quibus inſignitur, notas, exoſculor. Nam laudes, quas addis, tenuitas certè mea non agnoſcit; & eatenus tantùm fero, quà amorem, qui iudicio officere ſolet, loquuntur. Si quid autem lucis, id à viciniâ magni illius Solis, qui propiùs aliquando nobis fulſit. Etſi reuerà magis hoc onerat, &, vt ille ait, aduerſaria grauis exſpectatio. Nam reſpondere perquam difficile; & præſertim his quos aliæ ſibi curæ manciparunt. Sed hæc miſſa facio, & ad eam epiſtolæ partem verto, quà ad amicitiam & officia mutua nos inuitas. Quid hoc aliud quàm ἐς πεδίον τὸν ἵππον, vt aiunt? Narro tibi, mi Boucopi, nihil accidere nobis optatius amicitiâ tuâ potuiſſe, quæ ſi non deferretur, ambiunda planè erat ac prenſanda. Itaque teſſeram eius epiſtolam hanc habe, & firmæ & ſolidæ,

*Nulla queat poſthac quam ſolüiſſe dies.*

Humanè loquor; non Poëticè

——— *λέξαι δέ με θυμὸς ἀνώγει.*

Vale. Antuerpiæ, IV. Idus Maij, ∞. I Ɔ C. X.

PETRO PECKIO *Principum Conſiliario intimo, & ad Regem Galliæ Legato.*

SOLENNE eſt & vſitatum, his gratulari, quorum dignitatem amplificatam intelligimus. Et promiſcuè iam vſurpatur, etiam in amicitiis callidis ac fucatis. Quo fit, vt id ſæpè non tam obſeruantiæ & amori, quàm mori conſuetudinique feratur acceptum. Vt tamen hoc interdum accidat, non equidem vereor, ne huius & epiſtolæ & officij candorem vel minimùm infuſcet. Patent & multæ & iuſtiſſimæ lætitiæ meæ cauſſæ. Sanguinis vinculo ſors naſcendi iunxit; amicitiâ cùm parentum familiaritas,

ritas,tum, quod vti debeo,facio maximi, tuum ipſius iudicium. Animitus itaque gratulor, intimiſque lætor affectionibus, & id A. tuam mihi credere non credo, ſed certò ſcio. Nam etſi inopinati nihil accidit,& numquam dubium mihi fuit, quin Amplitudinis tuę rationem in occaſione Sereniſſimi PP.eſſent habituri, magno tamen opere factum ipſum me delectat. conſiderantem nimirum,quantum inter ſpem ac rem interſit, vtque leuis aliquando caſus exſpectationem ac vota noſtra aut eludat, aut certè moretur. Huc accedit, quòd is potiſſimùm honor tibi delatus, qui in patriam ad tuos remittet, qui Principibus propiùs admouebit, ac præcellentes illas virtutes, tamquam tabulas benè pictas,in bono lumine collocabit: qui denique deſtinatione omnium proximus quaſi gradus ad faſtigium illud, in quo nuper magnum illum Præſidem noſtrum magna pars Europæ ſuſpexit. Ita voueo, Vir amplíſſime,& vt voti me damnent,

—— θεοὺς ἐπιβώσομαι αἰὲν ἐόντας,

& honoris tui & publici boni cauſsâ. ſed & meâ ipſius: φιλαυτοὶ enim ſumus,&,vt liberè dicam,creſcere ſpes mea ac fiducia cum fortunâ cum dignitate tuâ quodammodò videntur. Sed de his hactenus. Morbum remiſiſſe, & de eo tum demum inaudiſſe me cùm meliuſculè tibi, vehementer gaudeo. Iam ſolidam rediiſſe ſanitatem, & diurnaturam ſpero. Sic ferè ſolet ab illo genere morbi, qui p̄ro multis medicamentis catharticis. O ita ſit, & optata tibi omnia, καὶ ὅσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς, Ampliſſime & Clariſſime Domine, eueniant. Antuerpiæ, Prid. Idus Nouembris, ∞. IↃC. X.

MARCO VELSERO *Reip. Auguſtanæ Præfecto.*

QVAM cenſendi iudicandique operam ſponte meâ ſumere vererer, eam te Prætore volente iubente non poſſum non ſuſcipere. Dicam itaque, quæ mea, quæ fratris rerum antiquarum nec incurioſi nec imperiti ſuper ſigillo tuo coniectura ſit. Sed priùs tamen aliorum, quas epiſtola tua habet,ſententias ὡς ἐν παρόδῳ leuiter attingam. Eſt qui ſymbolicè explicet, &,quòd indulgendum magis auribus quàm linguæ,ſignificari putet. ingenioſè quidem; ſed ſatin' obſecro decorè Taciturnitati & Attentioni,quæ Prudentiæ affines, ferinæ aures affingantur? Sunt qui Siga-

Sigalionem aut Harpocratem deſignatum exiſtiment; renuentibus & obſtrigillantibus tot paſſim ſimulacris, quibus ille ſilentij Deus digito ori admoto ſilentium imperans graphicè exprimitur. Nec deſunt qui amphotides neſcio quas hîc videant; quos mirum eſt, vt Comicum illud vſurpem, lolio victitare tam vili tritico. Nullæ enim in icone noſtrâ amphorides, parentibus auribus & ab omni prorſus tegumento liberis, & à loco ſiue laminâ diſcretis, ad modum ſcilicet athletarum. Nam his nudæ & extra vincula ſiue ligamina capitij exertæ aures. Saltim in iconibus, quæ penes fratrem meum ſunt, altera pugilis, altera pugnam cæſtibus committentis. & alia profectò facies aurigarum & agitatorum, quibus aures ipſæ tectæ munitæque contra flagellorum ictus: quemadmodum hodieque Romæ & alibi in Italiâ pueris ſingulare equos ex Mauritaniâ agitantibus. Sed hæc hactenus. Quid os frænatum? Optimè ſanè de quodam pœnæ genere quibuſdam in mentem venit. & facere planiſſimè huc videntur, quæ ex Plauto & Chryſoſtomo citantur, itemq; quod ex oratione Pacati ad Theodoſium ſubiicimus: *Cùm in iudiciis capitalibus aſtitiſſent, cùm gemitus & tormenta miſerorum auribus ac luminibus hauſiſſent: cùm lictorum arma, cùm damnatorum fræna tractaſſent, pollutas pœnali manus contactu ad ſacra referebant.* Hinc enim liquidò conſtat, reorum id ac damnatorum fuiſſe. verùm cuinam reo caprinæ eiuſmodi aures? Neminem certè quemquam facilè reperiam præter Marſyam, in quem vtrumque quadret. Satyrus enim hic ab Ouidio non ſemel appellatur; & eâ formâ, auribus inquam, non item pedibus vt alij Satyri, belluinis, antiquis effigiatur. Adde quòd in pœnam, vt quidam ait, & cecinit & cecidit, & pro linguario ſupplicium luit, quòd Apollinem non ſolùm temerè prouocare, ſed etiam, vt Mileſiarum ſcriptor memoriæ prodidit, priuſquam tibias occiperet inflare, deliramenta quædam barbarè de eo effutire, ipſaſque Dei virtutes culpare, ſuiſque vitiis poſthabere auſus. Quid, quòd & certamen hoc ore commiſſum? Nam & tibiæ ore inflantur, nec alio quàm linguæ plectro opus; & intercinere inſuper moris, ac per interualla verſus ore modulari. Itaque non ineptè membrum illud effrænum, quo nempe peccatum, ab artifice fræno coërcitum. Confirmare noſtram hanc cogitationem videtur geſtus pauitanris,

tantis, & grauius aliquod malum metuentis. Oculorum enim triſtis obtutus & acris ac recta in aliquem intentio, manus articulique ſuſpenſi, tum pedis illa reductio figuram huic alteram appoſitam fuiſſe declarant: Phœbi puta victoris ac minitantis, aut Scythæ illius cultrum intentantis, quem veteres Apollini vicarium dederunt, fœdum hoc miniſterium & carnificinam infra Dei maieſtatem rati. Quod ſupereſt de circulo collum ambiente cum tæniâ quæ à pectore prominet, an id tibiæ ſeu fiſtulæ, ſicut in aliquorum Satyrorum iconibus, ſuſpendendæ? quæ quidem tibia vel vt arma ac ſpolium victo detracta, vel temporis ſpatio, vt ferè ea quæ eminent & exſtant in ſtatuis (etiam æreis, etſi rariùs) aliquo caſu fracta cum parte lori deciderit. Vides, Vir Ampliſſime, vt omnia vndique colligamus hariolationi noſtræ firmandæ. Nam diuinationem numquam dixero, cùm hæc talia nubila ferè ſemper & ἀσαφῆ, neque tam exactè coniecturâ vel indagari vel explicari poſſint, quin aliqua dubitandi diſſentiendique materies relinquatur. Per caliginem hîc videmus, & more Scepticorum περὶ πάντων ἐπέχειν, & dumtaxat opinamur. Eoque veniæ, ſicubi hallucinamur, ſecurus, epiſtolæ finem facio, cumque fratre meo, qui te ſalutat officioſiſſimè, & maiorem quàm pro virili parte ſymbolam contulit, longiſſimum ætatis progreſſum Amplitudini tuæ precor. Antuerpiæ, A. D. XI. Kal. Sextil. A. ∞. IↃC. XI.

Virg. de Polyphemo: *Solamenque via de collo fiſtula pendet.*

## IO. BRANTIVS LECTORI.

HIC *verò* M. VELSERI *Muſarum & Virtutum patroni memoria mihi manum iniicit, ſuoque quodammodò iure flagitat, vt Elegiam & Lacrymas, quibus illi parentauit inſignis noſtri Poëta temporis I. Rycquius, pro re natâ ſubijciam. Idque tibi, Lector, qui V. Cl^m de Rep. hac etiam noſtrâ litterariâ quàm optimè meritum meritiſſimò iuxtà mecum amaſti, minimè fore iniucundum, meo ipſe ex animo perfacilè metior. Vale.*

IVSTI

# IVSTI RYCQVI
## GANDENSIS
# PIETAS
## IN FVNERE
AMPLISS. ET CL. V.
# MARCI VELSERI
## R.P. AVGVSTANÆ VINDEL.
PRÆF. PERP.

AD

CL. V. IOANNEM BRANTIVM

SENATVI ANTVERPIENSI

AB ACTIS.



Digitized by Google

*C. Plinius Cæcilius Epiſtolâ ad Maximum libro* V.

Qui voluptatibus dediti quaſi in diem viuunt, viuendi cauſſas quotidie finiunt. qui verò poſteros cogitant, & memoriam ſui operibus extendunt, his nulla mors non repentina eſt, vt quæ ſemper inchoatum aliquid abrumpat.

*Pindarus Iſthmijs, Ode* I.

Κοῦφα δόσις ἀνδρὶ σοφῷ,
ἀντὶ μόχθων παντοδαπῶν ἔπος εἰπόντ' ἀγαθὸν,
ξυνὸν ὀρθῶσαι καλόν.
*Leuis donatio eſt* VIRO SAPIENTI,
*pro omnibus et laboribus honorifica loquendo,*
*commune bonum ſtabilire.*

*Appuleius in Floridis.*

O CELERES BONORVM HOMINVM DIES!

IVSTVS

IVSTVS RYCQVIVS

# IOANNI BRANTIO V. C.

## S. D.

QVOD debebam SANCTIS VELSERI noſtri MANIBVS, occupatiſſimus perſolui. nullam enim occupationem adeò grauem eſſe putaui, quæ tale mihi officium eriperet. Dabunt alij alia, grandiora grauioráque, ego farre meo & molâ ſalsâ contentus ſum. & erit etiam is (ita ſpero, ô BEATA ANIMA!) cuius exſequijs hæc *Parentalia* perſolui. Quidquid huius eſt, Cl. BRANTI, ad cognitionem tuam defero & Cenſuram. hoc eſt: Primus PIETATEM meam noſces, qui DOLOREM iſtum primus nuntiaſti. Scio vix dignum eſſe quod deferatur homini adſueto elegantiſſimi RVBENI Muſis: ſed iucundum interdum eſſe vidimus Primatibus viris, ab inſtructiſſimâ menſâ ad horridulam & incomptam venire. Neque ſummus ille Deorum ideò minor eſt, quia Arcadiæ tuguriola, aut Baucidos ta-

bernulam aliquando intrauit. Itaque V. C.

—— *te quoque dignum*
*Finge Deo:* ——

Muſáſque noſtras, quo cœpiſti oculo, id eſt, candido benignóque ſemper reſpice. Ego ſatis me beatum felicemque putabo, ſi PIETATE complacui, qui VENVSTATE inter tot negotia placere vix poſſem. Haue mi BRANTI, cum Optimo Doctiſſimóque viro P. ANDREA SCHOTTO, & illo æui noſtri Apelle PETRO-PAVLLO RVBENIO genero tuo. LouanI ( vt volunt ) in Grudijs, Eid. Decemb. CIↃ. IↃC. XIV.

ELE-

# ELEGEIA
## IN FVNERE V. AMPL. ET CL.
# MARCI VELSERI
## REIP. AVGVST. VINDEL.
## PRÆF. PERP.

OMNIA, *quæ miſero facere & præſtare neceſſe eſt,*
*Cùm venit extremæ littera mæſtitiæ:*
*Cùm ſubitò ingentis narratum eſt funus* AMICI,
*Aut iſto ſiquid nomine amabilius;*
*Omnia præſtitimus, cùm te* VELSERE *fuiſſe*
*Nuntiat infauſtum nuper Epiſtolium,*
*Quod mihi ab* ADVATICA *facundus* BRANTIVS *orâ*
*Conſcriptum lacrymis miſerat & gemitu.*
*Ipſe quoque ingenti exſternatus corda dolore,*
*Et cunctis animi ſenſibus attonitus:*
*Vt neque iam dulceis Muſarum viſere cœtus,*
*Nec Charitum lubeat dona beata ſequi.*
*Nec iucundum aliquid triſti comprendere mente,*
*Tantis hei! curarum æſtibus obruitur.*
*It comes, & rigidis accuſat Numina verbis,*
*Numina quæ Mundi Fata, viceſque regunt,*
SCHOTTVS, *Hiantæi lux & decus omne ſuperſtes*
*Conſilij, ingenti pectora cordolio*
*Ipſe etiam attactus. nec quiſquam eſt munere in vllo,*
*Pieridum, aut aliquo nobilis ingenio,*
*Quin fleat audaci correptum funere* MARCVM,
*Et pullas veniat mæſtus ad* INFERIAS.

*Et*

*Et meritò. quis enim teneras lugere Camœnas*
*Suſtineat ſiccis cernere luminibus?*
*Quis niſi Marmaricâ duratus pectora caute, aut*
*Tygridos Armenæ paſtus ab vberibus,*
*Aſpiciat lacrymas tibi, Rex Pataræ, fluentes,*
*Aſpiciat doctis vndique Virginibus?*
*Non aliter Phrygio porrectum vulnere* ACHILLEM,
*Cæruleis fleuit mater in æquoribus.*
*Multos illa dies luctu confuſa ſedebat,*
*Fluctibus, & rapidis multa querens Zephyris:*
*Quamuis fata ſui prænouerat omnia Nati,*
*Parcarum rigidis edita ſtaminibus.*
*Non aliter cari miſerabile funus amici*
*Pelides tonsâ flêrat inantè comâ.*
*Hectoreo donec ſaturati ſanguine Manes*
*Senſerunt magni Vindicis officium.*
*Quam ſibi vindictam non longo tempore abeſſe*
* Iliad. ς. *Diuinus cecinit ipſe * Menætiades,*
*Prælia cùm circum morientem plurima Graij*
*Pugnarent miſto Dardanidum generi:*
*Ipſe ſed exuuijs per vim fraudatus Achillei*
*Purpuream querulo funderet ore animam.*
*Quo tibi tum caſu fortiſſime Tyndaridarum*
*Ereptum eſt, eheu! dulce ſodalitium.*
*Quod nuper ſancti nexum tibi vinculo amoris,*
*Vitâ etiam dulci dulcius, atque animâ*
*Conſtiterat. cum quo nigrum Briſeïdos ignem,*
*Atridæque dolos, Priamidæque minas,*
*Et cunctas ſolitus animo deducere curas.*
*Nunc vnà pereunt omnia veſtra bona.*
*Et mea,* VELSERE, *heu! tecum trahis omnia, tecum*
*Gaudia, & oppreſſi delicias animi.*
*Iam tua nec noſtras ſolatur epiſtola curas,*
*Nec blandis mentem paſcit imaginibus.*

*Iam neque me Sacro collaudas Monte furentem,*
*Quod Tragoras numquam Fuſidiuſque probent;*
*Aut modò Romulidùm ſaxis inſculpta ferentem*
*Nomina, ſacrilegus quæ tibi ſalua furor,*
GRVTEROque *tuo, & lepidis dedit eſſe Camœnis.*
*(Heu! quantum potuit hic nocuiſſe furor.)*
*Sic quoque non viſum fidè complexus amantem,*
*Quantum nec veteres Attica Peirithoos*
*Progenies coluit: nec, tu Thebana, furentis*
*Ductorem Pyladen ſemper-amicitiæ.*
*O! mihi* DI *ſaltem tribuiſſent antè benigni,*
*Stelliferis quàm te ſedibus impoſitum,*
*Sordibus eriperent miſeræ mortalibus auræ,*
*Semideoſque inter penè Deum facerent;*
*Lumina luminibus iunxiſſem, atque oribus ora,*
*Vna meis dudum vota cupidinibus!*
*Ah! quoties crudumque gelu, infeſtumque pruinâ*
*Alpis inacceſſæ molle putauit iter*
*Noſter amor, cùm te optatarum fine viarum*
*Speraret patrijs viſere* VINDELICIS!
VINDELICIS, *queis te Duce reddita Fama, Decuſque,*
*Nomen & æternâ nobile in Hiſtoriâ.*
*Tunc licuit Perſas opibus ſuperare Tyrannos,*
*Et plus quàm Attalicâ conditione frui.*
*Sæpè quò (ah! memini) ſanguis tuus ipſe mouebat*
*REMBOLDVS *iuſſo pectora conſilio.*
*Sæpè etiam tua me* *FEDERICE *audita voluntas,*
*Quem roſeo annumerat Curia Flaminio:*
*Omnis & Auguſtum venerata* INSVBRIA *Patrem,*
*Inter cæleſtes penè recenſet Heros.*
*Sæpè* *FABRI *voceſque piæ, ſuadelaque* GRAVI;
*Sæpè ſed aduerſi diſtinuère Dei.*
*Votaque tantorum rapuit leuis aura virorum,*
*Inſperſitque Notis impia ludibria.*

*IOANNES BAPT. REMBOLDVS XII-VIR litib. in vrbe iudicand.

*FEDERICVS BORROMAEVS Cardinalis, VELSERO addictus.

*IOANNES FABRI & HENRICVS GRAVIVS àmici Romani.



*At*

*At tu*, PRIMA VIRVM, *ſeu Te plaga vitrea cæli*
*Auguſtum magnâ in parte recepit onus,*
*Seu frondoſa pios recreant viridaria Manes,*
*Quà piger occultâ riuus inerrat aquâ,*
HEROVM*que manet ſeries generoſa priorum,*
*Siue aliâ atque aliâ ſede Beatus habes;*
*Sis memor, & noſtro faueas quicumque labori,*
*Siquis adhuc priſcæ ſenſus amicitiæ.*
*Si neque noſtrarum tangunt te obliuia rerum:*
*Nec tangent. fidus ſic mihi dictat amor.*
*Intereà exutæ quæ ſeruat pignora vitæ,*
*Inque roſà tellus, inque natet violà.*
*Semper Achæmenio coniungat cinnama coſto,*
*Aut iſto ſiquid dulcius eſſe potè.*
*Semper & aſſiſtat, qui* mollem MANIBVS vrnam,
VELSEROque leuem dicat humum cineri.

## THRENVS.

QVALIS *in aëriæ nemoroſis vallibus Idæ,*
*Mobilis arboreo fraxinus in populo,*
*Quam circum Nymphæ alternas duxêre choreas,*
*Et ſeptemgeminos Pan dedit ore ſonos:*
*Quam teneræ verno decorabant flore corollæ,*
*Nympharum niueis compoſitæ manibus:*
*Delitium populi, & turritæ gaudia Diuæ:*
*Paulatim ſuperis nubibus inſeritur.*
*Multi illam pueri, multæ accubuêre capellæ,*
*Arcentem capiti torrida ſolſtitia.*
*Sæpè ſua in vegetis fixerunt tympana ramis*
*Sacra Cybellæo turba miniſterio.*
*At ſimul hanc rigido ſecuit manus impia ferro,*
*Aut animæ furor imperuius Æoliæ,*
*Frondiferis iacet heu! ceruicibus inclinata,*
*Et iam pallidulis emoritur folijs.*

*Non*

*Non illi patriæ diuinus riuulus vndæ,*
*Nec dulci potis eſt munere Terra parens*
*Reddere vitaï, quem iam deperdidit, vſum;*
*Nec celſis iterùm nubibus inſeritur.*
*Sola (quod poſſunt) lacrymarum munera Nymphæ,*
*Aſperaque in rigidum nota ferunt Boream.*
*Sic tua,* VELSERE, *nos circum funera mæſti*
*Exiguum ſurdas carmen ad inferias*
*Fundimus: hei! miſeri vana argumenta laboris!*
*Non exoratâ ſed tibi vita manu*
*Frangitur intereà, vacuæque infunditur auræ,*
*(Heu! non tam paucos currere digna dies!)*
*Et tecum* Probitas, *noſtroque incognitus æuo*
Candor, *&* *antiquæ* Simplicitatis *opes.*
*Et blandæ* Charites, *tenerorum & vita* Lepôrum,
*Et ferè numquam aliis* Suada *locuta labris.*
*Et formoſa* Salus, *&* *pleno* Copià *cornu,*
*Quæque tuus Patriæ commoda multa fauor,*
*Quæque tuus ſanctis amor indulgebat Amicis.*
*Quæ nunc fruſtrà atro quærimus Elyſio.*
*Sed qualis leuis, & ſolitis ſine viribus ignis*
*Nequidquam arenti perfurit in ſtipulâ:*
*Perfurit ille tamen, ſolitaſque videtur in iras*
*Tendere: cùm intereà fumida materia*
*Deficit, & toto langueſcentem aëre liquit.*
*Haut ſecùs accenſi pectora mæſtitiâ*
*Nil profecturas miſeri laxare querelas*
*Cogimur, & rigidis increpitare Deis.*
*Nequidquam. quia quem tetulerunt luminis vſum,*
*Non vllâ redimunt Numina mæſtitiâ.*

## TVMVLVS.

QVIS *locus hic?* CHARITVM. *Quæ circum Numina?* MVSÆ.
*Quis Tumulo hos flores addidit? ipſa* VENVS.

*Qui circum Faſces? Auguſti præmia* HONORIS.
*Quæ Laurus? Sacri Symbola* APOLLINEI.
*Quæ coma? de flauo ſecuit* GERMANIA *crine.*
*Quæ lacrymæ?* AVGVSTÆ *deciderunt oculis.*
*Quæ Dea tam miſerùm lugens?* SAPIENTIA. *ſed quæ*
*Mœroris comes eſt addita?* PALLAS *Hera.*
*Quis ſitus heic?* MARCVS VELSERÆ *gloria Gentis.*
*Nil poteras maius dicere: nunc abeo.*

IVSTVS RYCQVIVS
VIRO MAGNO
EXIGVVM MONIMENTVM
P. P.

Digitized by Google

## CENSVRA.

CVM nihil debeat ſentire exitium, quod à magnis ingeniis proficiſcitur, meritò Orationes hæ & Epiſtolæ ſelectiores Philippi Rubenij, è tenebris erutæ, luce donabuntur, vnà cum Iuſti Rycquij in Marcum Velſerum Pietate, quæ vltimæ Rubenij ad hunc ipſum Epiſtolæ oblatâ occaſione ſubiungitur.

Ita cenſeo,

*Laur. Beyerlinck, S.T.L. Archipreſbyter, & librorum Cenſor Antuerpienſis.*

## SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimorum Belgicæ Principum, Priuilegio cautum eſt; nequis S. ASTERII *Epiſcopi Amaſeæ Homilias, Græcè & Latinè nunc primùm editas, Philippo Rubenio Interprete*, eiuſdemque *Rubenij Carmina, Orationes, & Epiſtolas ſelectiores*, præter Martinæ Plantinæ viduæ & Balthaſaris & Ioannis filiorum Ioannis Moreti p.m. voluntatem, vllo modo imprimat, aut alibi impreſſas in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, v. Martij, M. DC. XV.

Signat.

*Boudevvijns.*

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
APVD VIDVAM ET FILIOS
IOANNIS MORETI.
M. DC. XV.

Digitized by Google




Digitized by Google

Google